

NAZIONALE
8
33 G
21
ROMA
VITT. EMANUELE

P.IV.M. 30

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P.
LVDOVICI
DE PONTE,
E SOCIETATE
IESV,
MEDITATIONVM
PARS SEXTA.
QVAE COMPLECTITVR, MYSTERIA
Incarnationis, Nativitatis, & partis Dominicae Dolorosae Passionis, ex quatuor Euangelistis historice digestorum.

COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud Ioannem Kinchium, Ad Montem Pietatis,
ANNO M. DC. XII.

Permittitur typis describendum, Ioannes Vallensis Vicarius.

INTRODVCTIO

DE FERVENTIBVS AMORIS ET GRATITVdinis affectibus.

MEDITATIONES, quas in pręcedentibus huius operis partibus posuimus, fuerunt præcipuè de Mysteriis, quæ spectant ad humanitatem IESV Christi Domini nostri; & opera, quæ in ea, & per eam ipse gessit ante & post Resurrectionẽ; quamuis aliquæ fuerint insertæ de aliquibus Mysteriis ipsius Diuinitatis propriis, propter connexionẽ, quam habent inter se, quatenus ab vna eademq; persona proueniunt, quæ simul est Deus & homo: quas verò in hac parte ponemus, erunt præcipuè, de Mysteriis, quæ pertinent ad Diuinitatem, & Trinitatem Dei; & ad opera, quæ ab eo in bonum hominum procedunt: quibus, propter eandem cõnexionem, inferentur etiam quædam de Mysteriis spectãtibus ad humanitatem. Et quamuis hæc (teste S. Thoma) sint magis nostræ debili naturæ proportionata; illa tamen, quæ sunt Diuinitatis, sunt ex se magis excellẽtia, quibus præcipuè pascuntur Angeli, & spiritus Beati; illiq́ue viri perfecti, qui corpore

2.2.q.22. a.3.maxime ad 2. a q.180.a.4.

in terra degentes, ſpiritu habent ſuam conuerſationem in cælis; & continua Meditatione, & contemplatione rerum cœleſtium, augent ac perficiunt flagrantem Dei amorem, & perfectam cum eo vnitionem, quæ finis & ſcopus eſt viæ VNITIVAE, vt dictum eſt in quintæ Partis Introductione.

PRAECLARE hoc explicuit S. Baſilius reſpondens ad quæſtionem quandam ſibi à ſuis Monachis propoſitam, circa affectionem, qua eſſet Deo ſeruiendum, & in quo ea affectio conſiſteret: quibus ipſe his verbis reſpõdit: *Bonam animi affectionem, ego eſſe exiſtimo deſiderium vehemens placendi Deo idque inſatiabile, ſtabile & immotum. Comparatur autem ex ſolerti & continenti contemplatione magnitudinis gloriæ Dei, & grata repetitione, & recordatione aſsidua datorum nobis beneficiorum à Deo: Ex quibus in anima illud ingeneratur*, a diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota fortitudine tua, & ex tota mente tua, *ſicut faciebat ille, qui dixit*: b Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. *Cùm huiuſcemodi igitur animi affectione, ſeruiendum eſt Deo, illudq; efficiendum, quod dictum eſt ab Apoſtolo: c.b.* Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an nuditas, an periculum, an gladius? &c. Hæc Baſilius: Quibus verbis, breuiter nos docet S. Doctor, principalem finem vitæ Cõ-

templa-

S. Baſilius in Reg. Breui. 157.

a *Matt. 22. 37.*

b *Pſal. 41. 2*

c *Rom. 8. 35*

Digitized by Google

templatiuæ, in ſupremo gradu ſuæ perfectionis; & præcipua media, eam obtinendi; & fructum, qui ex illis mediis prouenit. Simul verò & eâdem operâ declarauit quoq;, quanta perfectione exercenda ſint opera vitæ actiuæ, adiuncta ſcilicet illis, interna deuotione, & ſpiritus feruore: qui in eo eſt ſitus, vt magnoperè afficiamur, ad ea, quæ ſunt Diuini obſequij; deſiderantes in eis placere, non mundo aut carni, aut nobis ipſis, ſed ſoli Deo: eò quòd ipſe talis ſit, qualis reuerà eſt: cui noſtro deſiderio, hæ quatuor conditiones ſunt adiungendæ.

PRIMA eſt, vt non ſit deſiderium tepidum aut remiſſum; quale eſt pigrorum, quod hæret in ſolo deſiderio, cum magno deſiderantis detrimento, iuxta illud, quod Spiritus ſanctus dixit, d *deſideria occidunt pigrum*; ſed eſſe debet vehemens, forte, & efficax, quale eſt feruentium, quod non quieſcit, niſi ad ipſa opera perueniat, quæ præſtat integrè & exactè. I.

d *Pro.21:25.*

SECVNDA conditio eſt, vt ſit deſiderium inſatiabile: ne videlicet facilè ſit contentus paucis aliquibus, quæ præſtat, aut perfert, etiamſi faciat aut perferat, quantum poteſt; ſed vt ad multò plura extendat ſe illud deſiderium: nec ſolum tædio aut faſtidio bonorum operum non afficiatur; ſed etiam tantâ fame illa appetat, vt nunquam ſatietur, &, ſicut *ignis*, e *nunquam dicat ſufficit*. II.

e *Pro. 30.16.*

TERTIA conditio eſt, vt ſit ſtabile, ne vi- III.

delicet ab hoc in illud facilè moueatur, ſicut
Prou.13.4. piger, de quo ait Spiritus ſanctus, f *vult & non vult piger.* Leuiter enim varia virtutis exercitia vult experiri, hæc relinquens ex tædio, & alia atque alia aggrediens, abſque firmitate & ſtabilitate in bono, quod ſemel cœpit; cum tamen illa ſtabilitas, valde ſit neceſſaria, ad culmen perfectionis peruenire cupienti.

IV. QVARTA, vt ita ſit conſtans, & perſeuerans vſq; ad mortem; vt non ſolùm nõ dimittatur, ſed nec laxetur, aut intepeſcat, ob tentationes aut perſecutiones occurrentes; & inuicto pectore, magnoque animi robore, his
Pſal.41.2. omnibus ſe opponat, ſicut g *ceruus* valde ſitiens, *deſiderans ad fontes aquarum*, magna vi fruticeta & crepidines perrumpit, donec ad aliquem fontem perueniat, vbi ſitim ſuam extinguat. Has omnes proprietates habuit deſiderium, quo CHRISTVS Dominus tenebatur exequendi voluntatem Patris, circa noſtram reparationem; vt ex iis, quæ in tertia & quarta parte ſunt dicta, conſtat. Quę ſola conſideratio ſufficeret, ad ſimilem in nobis affectum excitandum, cum par ſit diſcipulum imitari ſuum Magiſtrum; & ſit æquiſſimum, eodem affectu me in eius obſequium impendere, quo ipſe ſe impendit in meum commodum.

SED relicta nunc hac conſideratione, de qua multa ſunt dicta, idem Sanctus Baſilius alias duas hîc ponit, quæ ad noſtrum inſti-

tutum

tutum multum valent, quibus ſenſim obtinetur hic affectus, cum conditionibus prædictis.

PRIMA eſt, conſideratio magnalium Dei, & excellentiarum ac perfectionum eius, propter quas dignus eſt, qui ametur, laudetur, & ei ſeruiatur, ac obediatur infinito quodam affectu, ſi id eſſet poſſibile: ſed quia id non eſt: omnes tamen & ſingulæ earum mouent, & obſtringunt nos, ad procurandum affectum, quem habere poſſimus vehementiſſimum, inſatiabilem, conſtantem, & perſeuerantem. ſiquidem, vt ait Eccleſiaſticus: h *etiamſi glorificetis Dominum quantumcunque potueritis, ſuperualebit adhuc.* I.

h Eccl. 32.

SECVNDA eſt, contemplatio innumerabilium beneficiorum, quæ de ipſius manu accipimus; ab ipſo donata amore quodam vehementi, inſatiabili; & ita conſtãti, vt nunquam bene nobis faciendo defatigetur, nec dona ſua communicando ſatietur; nec porrò ceſſabit, quod in ſe eſt illa nobis communicare per totam æternitatem ſuam. Qua ratione obſtringit nos lege gratitudinis, vt deſideremus infinitis eius beneficiis reddere infinita obſequia, ſi ea nobis eſſent poſſibilia; ſiquidem, quidquid nos poſſumus, parum facit ad plurima, quæ nos ipſi debemus. II.

EX his colligit S. hic Doctor, quòd his cõſiderationib., generetur ſenſim in anima perfectio illius amoris, quo Deus vult diligi, cũ dicit: i *Diliges Dominũ Deũ tuũ, ex toto corde tuo,*

i Deut. 6.
i Mat. 22.
i Luc. 10.

& ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, & ex omnibus viribus tuis. Omnes itaque facultates noſtræ internæ & externæ, ſenſus omnes & membra corporis noſtri, modo quo ſingula poſſunt, occupentur in diligendo Deum, & iuuent operationem amoris inſatiabili vehementia, & perſeuerantia. Nam memoria & intellectus ſolùm diligunt, cùm recordantur & cogitant, ac perpendunt ea, quæ ad amorem prouocant; imaginandi & appetendi facultates etiam tunc diligunt, cùm producunt imaginationes & affectus, qui excitant & acuunt amorem: Senſus diligunt, quando oculi, aures, lingua, & guſtatus oblectantur, videndo, audiendo, & loquendo de rebus, quę ad ipſum amorem dirigũtur; & omnia membra corporis diligunt, quando ſubſeruiunt ad exequenda opera amoris Dei: Ac denique omnes noſtræ vires, amare cenſentur, cùm omnes occupantur in Deo diligendo, qua poſſunt intenſione; & in ſuperandis difficultatibus, quæ obſiſtunt; & in reſiſtendo tentationibus, quæ à diligendo, illas auertunt: quò ita k *charitas* in anima *radicetur & fundetur*, vt l *creatura nulla poßit eam ab illa ſeparare*, nec m *aquæ multæ tribulationum eam extinguere, aut flumina eius flammas obruere*: imò potiùs illæ, huiuſmodi aduerſitatibus ita creſcant, & perficiantur; vt nos permoueant ad imitandas heroicas & exemplares Diuinitatis virtutes, (quarum fiet mentio infrà Meditatione ſexta) eo modo, quò CHRISTVS

8. *Thom.* 2. 2. *q.* 44. *a.* 4. & 5.

k *Eph.* 3. 17.
l *Rom.* 8. 39.
m *Can.* 8. 7.

TTVS Dominus, quà homo, eas est imitatus: qui optimo iure dicere nobis potest: *Imitatores mei estote, sicut ego* Patris mei. Hæc omnia complectitur via VNITIVA, & finis harum Meditationum. Nam, etsi amor & affectus adeò excellens, vt prædictum est, sit donum gratuitum Spiritus S. qui placidè & absque multis ratiocinationibus, n *introducit* suos electos *in cellam vinariam*, eosq; inebriat feruentissimo amoris sui vino, magnasque delicias illis impertitur, in cognitione, quæ habetur ipsa experientia immensæ charitatis ipsius; ex nostra nihilominus parte, eius auxilio adiuti, eidem cellæ appropinquamus, volantes duabus his alis duplicium harum Meditationum, circa perfectiones ipsius Dei, & eiusdem in nos beneficia. Quæ Meditationes ita vicissim inseruntur, ob connexionem, quam inter se habent; eò quod in hac vita non possimus peruenire ad cognitionem Magnalium ipsius Dei, nisi per eius opera, beneficia, & dona, quæ ab eo promanant: & quoniam in huiusmodi donis, simul resplendent multa Dei attributa; ideo etiam in meditatione alterius horum, inserenda sunt aliqua, quæ pertinent ad alterum.

n *Cant.* 2, 4

MODVS ET RATIO BENEficia diuina meditandi affectibus gratitudinis.

SVPEREST nunc declarare, qua ratione diuina beneficia ſint meditanda: circa quæ quinque præcipuè ſunt conſideranda, vt infinitatem eorum cognoſcentes, gratos nos exhibeamus, vt par eſt.

I. PRIMVM eſt, infinita benefactoris, Dei videlicet, magnitudo: ad quam cognoſcendam, diſcurrendum eſt per ipſius Dei excellentias & perfectiones, ſicut in ſubiectis Meditationibus proponentur. Ex quo efficitur, vt quodcunq; donum, quantumuis paruum eſſe videatur, magni tamen ſit faciẽdum, eò quod qui largitur, ſit infinitè magnus: & ita dicebat Dauid. a *Exaltabo te, Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in ſeculum, & in ſeculum ſeculi: per ſingulas dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſeculum: quia, magnus eſt Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis.*

Pſal 144.1
Eccl. 43.31

II. SECVNDVM eſt infinitas amoris, quo beneficium confert, infinita magnitudo, cuius cauſa ipſum beneficium eſt magnifaciendum: nam cùm ex amore dat donum, ſeipſum quo-

que

que ſimul cum dono dat, & ingreditur rem ipſam amatam; & quidquid det, etiamſi reipſa ſit paruum, ita dat tamen, vt cupiat alia multò maiora dare. ſicut per os Nathan Prophetæ, Dauidi ſignificauit: b *ſi parua ſunt iſta beneficia, quæ in te contuli, adyciam tibi multò maiora*: quia nec potentia illi deeſt, nec voluntas, vt apparebit inferiùs. b 2. Re. 12. B

TERTIVM eſt, ipſius beneficij magnitudo, quæ modo quodam eſt etiam infinita, aut in numero, aut in excellentia. Nam quædam ſunt beneficia, quæ complectuntur innumera bona, quale eſt beneficium creationis & conſeruationis mundi, eiuſque prouidentiæ: alia continent in ſe infinitam excellentiam; qualia ſunt beneficium Incarnationis, Redemptionis, Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, & glorificationis: & pro omnibus ſunt Deo agendæ gratiæ, ſicut Iſaias dicebat, c *laudem dicam Domino, ſuper omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, & ſuper multitudinem bonorum Domui Iſraël, quæ largitus eſt eis ſecundum indulgentiam ſuam.* Et Sanctus Bernardus dicebat, nulla Dei dona præteriri à nobis debere abſque gratitudine & laude, non grandia, non mediocria, non puſilla: Quia puſilla, ſunt infinita numero; & quamuis aliquorum comparatione ſint parua; alijs tamen nominibus eadem ſunt maxima. III. c Iſaia. 63. Serm. 51. in Cant.

QVARTVM eſt, infinita vtilitas eius, cui hæc beneficia conferuntur: homo videlicet, IV.

miſer

miſer & ingratus; & verè indignus, cuius Deus aut memor ſit aut cui aliquod conferat beneficium. Vnde dicit Dauid, d *quid eſt homo, quòd memor es eius: aut filius hominis, quia reputas eum? homo vanitati ſimilis factus eſt: dies eius ſicut vmbra prætereunt.* Ex quo etiam deducam, quòd ſi meam vilitatem, cum Dei magnitudine conferam; indignus ſim, qui eius laudes in viliſſimo ore meo accipiam; dicens cum S. Auguſtino, quis ego ſum, Deus meus, vt laudem te? ſum puluis & cinis, canis mortuus & fœtidus, vermis & putredo; quomodo ergo tenebræ laudabunt lucem, mors vitam, vermis infinitum ſuum creatorem!

d *Pſal 8.5. & Pſal. 43.3.*

n *Soliloq. c 10.*

V. QVINTVM eſt, infinita Dei liberalitas in beneficio conferendo, quod ſcilicet ex gratia ſua & gratis donet, nullo commodo expectato ab homine, cui illud confert; & ipſo nõ ſolùm non promerente, ſed etiam immerito. idque infinitè, ob innumerabilia eius peccata & ingratitudines. Adeò, vt cùm tantus ſit Dei inimicus, non tamen defatigetur Deus, noua quotidie illi beneficia conferre. Hæc quinque docuit nos Chriſtus Dominus ponderare, reuocans nobis in memoriam beneficium Incarnationis ſuæ, cùm dixit: e *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* quæ ſententia, (vt alibi dictum eſt) quinque verba continet; & in ſingulis perpendendum eſt aliquid ex his, quæ hic diximus. Nam, qui beneficium contulit, eſt Deus infinitus; modus fuit diligendo; qui accepit, eſt mundus,

e *Ioan. 3.16. 1. Part. Med. 2.*

dus,& quidem abominationibus plenus; beneficium fuit ipsius filius vnigenitus,æquè infinitus, ac ipse quem gratis & nullis nostris meritis dedit: nam ideo dicit, vt filium suum vnigenitum daret.

PERPENDENTES itaque quinque hæc puncta in singulis beneficijs diuinis, debemus meritò debita gratitudine Deo respondere; ad quam (teste S. Thoma) inclinat primum ipsa virtus gratitudinis, eò quòd Deus sit primus ac supremus benefactor: erga quem præcipuè exercendi actus proprij gratitudinis: qui sunt, agnoscere & magnifacere beneficium ipsum, propter allatas rationes; propterea illum laudare, promulgando eius liberalitatem, vt omnes eum laudent ac glorificent; ac demum obsequia aliqua illi offerre, non intuitu alicuius alterius commodi, sed omninò gratis, quamuis nulla noua ab eo beneficia expectaremus: quia, quæ prius accepimus, sufficiunt. Quò autem nostra gratitudo sit plena, debet esse iuxta consilium Apostoli vniversalis; vt f *in omnibus gratias agantur*, nullo prætermisso beneficio; nec solùm pro ijs, quæ ego accipio, sed etiam *pro omnibus hominibus*.

2 2. q. 106. a 6 & q. 107 a. 1.

f 1. Tim. 2. 1

ADVERTENDVM est autem, tria esse in mundo creaturarum genera: quædam enim, & possunt & volunt gratias Deo agere pro acceptis ab eo beneficijs, reddentes pro hoc suo debito quidquid reddere possunt; huiusmodi sunt Angeli & Beati, qui in cœlo iam sunt,

imò

imo & animæ, quæ in purgatorio detinentur; & iusti, qui adhuc versantur in terris: aliæ sunt creaturæ, quæ possent, sed nolunt gratias agere, siue id fiat ex ignorantia, vt faciunt Idololatræ, qui DEVM non agnoscunt, & cæteri infideles; aut ex malitia, vt improbi Christiani, in quorum numerum venire etiam possunt tum Dœmones, tum iam damnati homines, quibus Deus contulit aliquando magna beneficia: aliæ sunt creaturæ, quæ nec velle, nec reddere possunt: quia non sunt præditæ intellectu, ad cognoscenda beneficia, aut gratias pro ijs agendas: huiusmodi sunt cœli, elementa, plantæ & animantes. Pro omnibus itaque beneficijs, quæ in omnes has creaturas, conferuntur, gratias Deo reddere debemus, coniungentes nos ijs, qui sunt in primo genere; vt cum eis gratias agamus, supplentes ignorantiam & malitiam secundi generis; & impotentiam tertij: inuitantes tamen illas ad laudes Dei: quia hac ratione meipsum magis excito, ad ipsum benedicendum, & glorificandum; & exacuo meum desiderium, vt omnes qui possunt ac debēt, ipsum laudent. Quare in omni loco & tempore (vt ait Apostolus) Deum laudabo illo verbo, quo ipse frequenter vtitur, præcipuè ad Corinthios, g *gratias Deo super inenarrabili dono eius.* Eodem verbo frequenter vtitur Ecclesia in fine Sacri Missæ, & Horarum Canonicarum, vt nos ad eius vsum magis afficiat. Nam, vt S. Augustinus ait:

g. 2. Cor. 9. 15.
g Eph. 5. 4. 20.
g 2. Thes. 1. 3

quid

quid melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo scribamus, quàm Deo gratias? hoc nec dici breuiùs, nec audiri lætiùs, nec intelligi grandius, nec agi fructuosiùs potest. Epist. 77. ad medium.

His manet explicata illa diligentia, quam ex parte nostra, in his meditationibus adhibere possumus, ad earum finem assequendum; ita cooperantes diuinæ gratiæ, cui potissimũ nota spes nostra innititur; & diffidẽtes nostris diligentijs, quin potiùs cùm omnes adhibuerimus, dicamus, quod Christus iussit; h *serui inutiles sumus, quod debebamus facere fecimus*; nec digni sumus tam dulci & excelso præmio, quæque est donum contemplationis; satisq́, nobis est, quod ad gloriam Dei illud obtinere optauerimus, qui etiam desiderat, illud concedere; & concedet vel in hac vita, si ita nobis expediet; aut certè in futura, vbi clare Deum ipsum contemplabimur, ac omnibus charitatis viribus in æternum diligemus. Amen. h Luc. 17. 10

MEDITATIO I.

DE ESSE DEI.

FVNDAMENTVM *omnium veritatum Catholicæ nostræ fidei, vt ait Apostolus, est*: a credere quia Deus est; *credere inquam, magnaq́ firmitate intel-* a Heb. 11. 6. S. Thom. 1. p. q. 2 a. 3.

intelligere, quod intra ſpectabilem hunc mundũ, ſit Spiritus quidã ſupremus & inaſpectabilis, qui ſit principium & finis rerum omniũ, quas omnipotentia ſua creauit, ſapientia gubernat, & ad ſeipſum tanquam ad finẽ vltimum dirigit: & hũc ſpiritũ vocamus Deũ. Ad hanc veritatẽ benè capiendam, dedit nobis ipſemet Deus, præter lumen fidei, alios quoq; Magiſtros & prædicatores, qui nos eam doceant, & in memoriã, ad noſtrã vtilitatẽ, reuocent: ſicut in ſubiectis punctis conſtabit.

PVNCTVM I.

PRIMVM itaq; perpendam, omnes creaturas huius mundi, eſſe tanquam prædicatores huius veritatis: nam cæli cum ſuis planetis & ſtellis, aër cum ſuis auibus, aqua cum ſuis piſcibus, & terra cum animantibus, plantis, & reliquis mixtis, omnia clamant & fatentur, quòd ſeipſa non fecerint; nec ordo, qui in illis eſt, caſu aliquo, aut diſpoſitione ſua ita ſit conſtitutus; ſed quòd Deus illa fecerit; ac, ſicut nunc ſunt, diſpoſuerit: quod ſi linguam haberent, omnia illa elata voce clamarent, ac dicerent illud Pſalmi: a *ipſe fecit nos & non ipſi nos.* Et ſicut videntes elegantiſsimam aliquam imaginem, aut palatium aptiſsimè fabricatum, ſtatim intelligimus, peritiſsimum aliquem pictorem aut Architectum illa feciſſe & in finem aliquem extruxiſſe; ſtatimq; oritur in nobis deſiderium illum cognoſcendi; & alios interrogamus, vt

a *Pſal. 99. 3*

illum

illum nobis indicent: ita videntes pulchritudinem creaturarum, & earum ordinem, possumus statim (vt ait diuina scriptura) intelligere, quòd sit Deus, qui illas fecerit; & in tanto ordine & consonantia gubernet, in finem aliquem valdè glorioſum: ideoque meritò excitabitur in nobis appetitus & desiderium, illum cognoſcendi; & intelligendi, quis sit: vt eum amemus, &, vt par est, ei seruiamus: & hoc spiritu aspicere debeo creaturas omnes & earum voces ac monita audire. Aliquando itaque, animæ oculos eleuans ad creaturas cœlestes, & ordinem ac motus, quos seruant Sol, Luna, Planetæ, ac cætera sydera; intelligam (vt ait Dauid,) quod ipsi b *cœli enarrent gloriam Dei; & opera manum eius annunciet firmamentum: dies diei eructet verbum, & nox nocti indicet scientiam*, & infinitam sapientiam Dei, gaudeboque, quod sit vnus Deus, qui hæc omnia conseruat & gubernat. Aliquando faciam, quod suadet Iob, dicens: c *interroga iumentum, & docebũt te; & volatilia cœli, & indicabunt tibi; loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris*: interrogabo inquam, quis eam pulchritudinem eis communicauerit, fœcunditatem, & cognitionem, quam habent temporum; & eorũ, quæ ipsis vtilia aut noxia sunt; & statim cogitabo, mihi respõderi: hoc quod habemus, non est nostrum; sed est solus Deus, qui nobis illud dedit. d *Quis* enim *ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit*. Quo respon-

b *Psal.* 18.1.

c *Iob.* 12.7.

d *Iob.* 12.9

ſo, exultabo intra meipſum, orans eundem ipſum DEVM, vt meas aures aperiat, ad audiendas voces harum creaturarum, quibus exciter ad ipſum cognoſcendum, & ex toto corde diligendum; ipſas verò creaturas prouocabo ad laudes magni huius DEI qui eſt in medio illarum, dicens Canticum illud trium
Dan. 3. 17. puerorum: e *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula,*
Iſa. 12, 6. &c. f O Ciuitas & *habitatio Sion, exulta & lauda, quia magnus in medio tui Sanctus Iſraël.* O Anima mea, aſcende per contemplationem, ſupra hanc Sion, & ſpeculam mundi; & circumſpiciens omnes creaturas, lauda, benedic, & glorifica ingenti gaudio & lætitiæ iubilo DEVM immenſum, qui eſt in medio earum. O DEVS immenſe, gratias
Act. 14. 16 ago tibi, quam poſſum maximas, qui g *non ſine teſtimonio te ipſum reliquiſti, in omnibus creaturis benefaciens: de cœlo, dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo*, corpora noſtra, *& lætitia corda noſtra.* Aperi, Domine, oculos animæ meæ, vt non contenti aſpectu rerum temporalium quas percipiunt ſenſus; aſcendant, ad contemplanda æterna, quæ non videntur; & te DEVM inuiſibilem, qui es ſuper omnia, cui ſit gloria in æternum Amen.

IN hoc gratitudinis affectu hærendum mihi eſt, vt infinitas gratias DEO Domino noſtro agam, ob notitiam, quam dedit nobis huius veritatis; & ob teſtium multi-

tudi-

tudinem, quos adhibuit, qui pro ea testimonium ferrent.

PVNCTVM II.

DEINDE considerandum, quod etiam intra nos ipsos sint multa, quæ prædicent, & fidem faciant, *quòd sit Deus*: quare, si consideratione ingrediar intra ipsum mundum abbreuiatum, hominem videlicet, & nominatim me ipsum; ex cognitione eorum, quæ ibi inueniam; peruenire licebit in hanc cognitionem, *quòd sit Deus*. Ac fortè propterea dixit Dauid: a *mirabilis facta est scientia tua ex me*, atq; si diceret, admiranda est, DEVS meus, scientia & cognitio, quam de te haber e possum, ex his, quæ in me deprehendo. a *Psal.* 138.6

NAM primò, intra me ipsum impressum habeo lumen naturæ, iuxta illud Dauidis: b *signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* Est itaque illud lumen, splendor quidam procedens ex vultu ipso Dei; nobisque manifestans, quod est bonum, & ipsum qui est summum bonum, à quo omne bonum procedit: cui lumini coniunctum quoq; est pondus quoddam, & propensio naturalis, quæ nos vrget ad id, quod est conforme rationi; & regulæ omnis bonitatis, qui est ipse Deus: trahitq;, ad eundem amandum, colendũ, & ei obediendum: & quando nostra peccata, non suffocant illam scintillã, aut non I. b *Psal.* 4.7.

extinguunt ſplendores huius luminis, frequenter experimur in nobis, quaſi fulgura quædam, quæ tum hanc veritatem nobis manifeſtant, tum implent corda noſtra lætitia.

II. DEINDE, intra meipſum animaduerto tantam pulchritudinem, & varietatem potentiarum, & ſenſuum externorum & internorum; tantamque multitudinem oſſium, venarum; arteriarum, & innumerabilium aliarum partium, adeò ſtupendo ordine inter ſe connexarum vt eædem ipſæ clament ac dicant, ſe non caſu factas, nec ſeipſas effeciſſe; ſed eſſe DEVM ſupremum artificem, à quo omnes proceſſerint, & admirando illo ordine diſpoſitæ: vt meritò Dauid dixerit: c *omnia oſſa mea dicent; Domine, quis ſimilis tibi?* O Deus infinite, oſſa mea, & arteriæ meæ, venæ, oculi mei, & aures, & omnes telæ, ac particulæ omnium membrorum meorum, ſenſuſque omnes, hoc teſtantur, hoc dicunt, quòd tu ſis Deus, & non ſit alius ſimilis tibi; qui eſſe, quod habent; dare illis poſſet, niſi tu dares. O ſi omnes illæ in linguas conuerterentur, vt hanc veritatem toti mundo manifeſtarent: te verò laudarent, glorificarent, ac propter eam benedicerent.

c *Pſal.* 34.10

III. PRAE OMNIBVS tamen, ſpiritus nobiliſsimus, qui intra corpus noſtrum latet, clamat, quòd ſit ſpiritus alius ſupre-

mus

mus intra hunc mundum, quamuis non illi aſtrictus: ſi enim meipſum conſideratione ingrediar, aduertam animæ meæ nobilitatem, ex ſtupendis operibus & actionibus, quæ à tribus eius facultatibus procedunt, memoria ſcilicet, intellectu & voluntate, liberoque eius arbitrio, quæ ipſæ facultates non ſunt ipſi corpori alligatæ; ſed exeuntes deambulant per ambitum totius terræ, maris & aëris, penetrantque ipſos cœlos; & aſſequuntur ſecreta naturæ, quæ ſenſus ipſi non percipiunt. Ex quo procedunt innumeræ artes, & ſcientiæ, & modi admirandi, artificia; diſpoſitiones, & directiones prudentiæ, in negotijs gerendis, in gubernando: &c. quibus rebus deprehendimus, animam noſtram eſſe ſpiritum inuiſibilem, immortalem; nec in ſuo eſſe dependere à corpore, cui illa ita eſt incluſa, vt, corpore diſſoluto & pereunte, ipſa tamen ſubſiſtat ac permaneat: quo expletur naturalis eius propenſio, & deſiderium immortalitatis, ac vitæ perpetuæ. Hoc autem totum apertè proclamat, eſſe Deum, ſpiritum inuiſibilem, & immortalem, à quo reliqui omnes ſpiritus procedant, qui ſit in medio huius mundi, dans eſſe & vitam rebus omnibus; non ſicut anima, quæ corpus informat, ſed altiori alio modo, quo omnes creaturas gubernat, communicans illis artes omnes, & ſcientias, induſtrias, & naturales inclinationes, quas habent, ſine vlla tamen ab eis dependentia. nam etiamſi vniuerſa mundi

machina dissolueretur, DEVS tamen in
d *Psal.* 138.6 se ipso permaneret. O DEVS immensæ maiestatis, nunc verè fateor, d *mirabilem factam esse scientiam tuam* & cognitionem tui, ad quam peruenio; *ex me* & ijs, quæ in me deprehendo, si enim in re adeò rudi, atque est corpus meum, est spiritus quidam adeò nobilis, anima scilicet mea, quæ illi dat esse & viuere, & illud gubernat; in quo, & pro quo facit res adeò stupendas: quanto magis necesse est, te esse in medio huius amplissimi orbis, qui spiritus es supremus, per quem omnes sumus, viuimus, & mouemur: siquidem ergo tu es meum Esse, & vita mea, volo etiam te appellare animam meam; & exultare, quod te habeam DEVM, quem summè, plus quàm me diligam! O si te omnes & agnoscerent, & diligerent plus quàm vitam suam, & animam suam! siquidem tu es instar vitæ & animæ omnium: cui sit gloria & laus in æternum. Amen.

PVNCTVM III.

TERTIÒ considerandum, non solùm pulchritudinem, concordiam, & ordinem rerum, quæ sunt in magno isto, & in paruo & abbreuiato hominis mundo, sed etiam omnes motus, tumultus, & inuersiones ordinum, perturbationes, & confusiones etiam particulares, miserias omnes,

labo-

labores & calamitates, à quibus, homines, viribus noſtris nos liberare & expedire non poſſumus, omnia hæc inquam eſſe tanquam excitatores, qui nobis reuocant in memoriam, *quòd ſit Deus.*

I. TONITRVA, fulgura, & fulmina è cœlo, niues, grandines, glacies, venti, & aliæ aëris tempeſtates, fluctus maris, inundationes fluminum, terræ motus, morbi, bella, & omnia quæ nos affligunt, etiam clamant *quod ſit* DEVS; qui poſſit his malis mederi. Quamobrem, cùm aliqua harum calamitatum premimur, natura ipſa duce, ſtatim DEI recordamur, & oculis in cœlum leuatis, remedium petimus ab eo, qui poſſit ſuccurrere: ipſa enim ratio hoc nobis dictat, eſſe aliquem qui id præſtare poſſit, iuxta illud Regis Ioſaphat ad DEVM: a *cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.* Ipſa etiam peccata, iniuſtitiæ, & iniuriæ, quas hi ab illis patiuntur, clamant *quod ſit* DEVS, ad quem ſpectet iſta ſcelera caſtigare, & præmium virtutibus reddere: ſiquidem in terra non eſt, qui hoc plenè & exactè faciat.

a 2. *Paral.* 20. 12.

II. PRAETEREA ipſa pugna & contradictio, quam intra me ipſum experior ex rebellione carnis contra ſpiritum; & perturbatione animi contra rationem; etiam clamat, *quòd ſit* DEVS, cuius virtute poſſim ſubiugare, quos propria non poſſem.

Hac consideratione, par est, me ipsum consolari, & animum sumere, tam in meis calamitatibus quàm in alienis; tam in priuatis malis, quam in communibus; & ex mundi malis, venire in cognitionem summi boni, qui intra ipsum est, ad quem pertinet ea mala amoliri. Aperi, Anima mea, oculos, & circumspice ipsum orbem, & quæ intra te sunt, & aspice res omnes prosperas & aduersas, & mox aures arrige: vt audias, quæ tibi dicunt; & audies omnes clamantes, quod in medio illarum *sit Deus*, qui prosperitatem dare, & aduersitatem depellere possit. Lætare itaque his gratis nouis, & stude cum Apostolo fidelitatem tuam ostendere, pugnando b *per arma iustitiæ, à dextris & à sinistris*, in prosperis scilicet, & aduersis; seruiens in vtrisque ei, qui se in omnibus Deum ostendit; ac propterea dignus est, qui ab omnibus laudetur, Amen.

b 2. Cor. 6. 7

EX HIS considerationibus deducam, quanti referat habere viuam fidem, & certum lumen huius veritatis, ac memoriam eius continuam; quia illa est frenum omnium vitiorum, & calcar omnium virtutum: cùm contra defectus in hac fide, & eius obscuritas, huiusque veritatis obliuio, causa sit omnium peccatorum, quæ sunt in mundo; omnium tepiditatum & imperfectionum, quæ fiunt circa diuinum obsequium: nam ideò DAVID: statim, atque dixerat c, *dixit insipiens in corde suo: non est*

Psal. 13 1.

Deus

Deus, adiecit: *corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studijs suis: non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Sicut si in aliqua Republica intelligerent homines, non esse Regem, non Iudicem, aut Iustitiam; mox, vt effrenes, in mille scelera alij aduersus alios erumperent: Idem ergo damnum adfert obliuio huius veritatis, *quòd sit Deus*; sicut dicitur in Iob: d *sic viæ omnium, qui obliuiscuntur Deum.* Et propterea scriptura Diuina, in Lege, in Psalmis & Prophetis, vehementer hoc exigit, ne Dei e *obliuiscamur*, sed semper eius memores simus: si enim meminerimus esse Deum, non peccabimus; viuemus pacati & quieti læti, confidentes, & animati, ad virtutes omnes exercendas, iuxta illud Dauidis: f *memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, donec defecit spiritus meus.*

d *Iob* 8.13.

e *Deut.* 6.13

f *Psal.* 76.4.

HINC etiam magnam concipiam compassionem erga eos peccatores, g *qui verbo confitentur se nosse Deum, &* (vt ait Apostolus) *factis negant*; expendens, quàm graue malum sit vel vnum peccatum lethale: siquidem, quantum est in ipso, h *negatio* quædam est, *contra Deum altissimum* & protestatio practica, *quòd non sit Deus*, cui sit obediendum; aut qui possit illud castigare. Ego tamen contrà, protestabor hanc veritatem corde, lingua & operibus: gaudens, *quòd sit Deus*; & gratias ei agẽs, quòd cognitionem & fidem mihi dederit huius veritatis; & studebo diligenter, eum in memoria mea semper habere; ipsas creaturas accipiẽdo

g *Tit.* 1.16.

h *Iob.* 31.28

tanquam excitatores obliuionis meæ, vt ita-tim atque illas aſpexero, memor ſim, *quòd ſit Deus*, à quo illæ & ego habemus, quòd ſimus: cui ſit honor & gloria in æternum. Amen.

MEDITATIO II.

DE AETERNITATE DEI & quod ipſe ſit ſolus QVI eſt.

PVNCTVM I.

S. Thom. 1. p. q. 3. a. 4. & 11. & q. 10. a. 2 & 3.

PRIMÒ eſt conſiderandum, non ſolùm eſſe certiſſimam veritatem, *quòd ſit* Deus, ſed etiam, quòd idem neceſſariò ſit, fuerit, & ſemper ſit futurus. nam eius ESSENTIA eſt ESSE: ita enim interroganti Moyſi Deum, quod eſſet eius nomen, reſpondit Deus; *a* EGO SVM QVI SVM: *ſic dices Filiis Iſrael*, QVI EST, *miſit me ad vos*: atque ſi illi dixiſſet, meum proprium nomen eſt ESSE QVI EST; & mea Eſſentia eſt, ESSE SEMPER; vt non ſit poſſibile deſinere eſſe: ſicut non eſt poſſibile, quod homo non ſit rationalis, aut quod lapis non ſit corpus.

a Exod. 3. 14

I. *Ioan. 1. 1.*

FVIT itaque Deus, antequam eſſet iſte mundus. ita vt, ſi cogitatione fingerem, ante milliones millionum annorum præceſſiſſe

hunc

hunc mundum; ante omnes illos milliones erat Deus, & semper fuit. Et ideo scriptura Deum appellat: b *antiquum dierum*; quia quidquid creatum est, nouum est, & recens; & ipse solus est adeò antiquus, vt eius Esse principium inueniri non possit.

In *principio erat verbum; & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.*

b *Dan.* 7. 9. 11.

DEINDE in eodem Esse permãsit semper, absque vlla mutatione, sicut ipse per Malachiam dixit: c *Ego Dominus, & non mutor*; nec seneſco aut marceſco, sed semper in vno eodemque Esse permaneo; ita liber à mutatione, vt nec eius vmbra me tangat: iuxta illud Sancti Iacobi: d *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

c *Mala.* 3. 6.

d *Iacob.* 1. 17

ET in hoc eodem Esse, permanebit in æternum, per milliones millionum annorum, ita vt nec ipsa imaginatione finis eorum fingi possit: vt propterea dixerit Dauid: d *Tu Domine idem ipse es, & anni tui non deficient*: & propterea DEVS & est, & vocatur æternus; cuius æternitas in eo consistit, quòd eius Esse nec principium habuerit, nec finem habere possit, nec successionem aut mutationem aliquam: sed totum illud fuit, semper est, & erit, sicut fuit.

III.

e *Ps.* 101. 28.

HINC magnos concipiam gaudij & laudis affectus, propter æternum hoc Esse Dei; & cantabo canticum illud Sanctorum quatuor animalium, qui dicebant: f *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEVS omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.* O Sancte Sanctorum, firme, stabilis, & immutabilis in

f *Apoc.* 4. 8.

tuo Esse, quod totum est Sanctum; veni, & fac me cognoscere, quis sis, & æternum tuum Esse; vt anima mea luce tua illustrata, te laudet, glorificet, ac benedicat per totam tuam æternitatem.

HINC quoq; intelligam, quàm sit res execranda propria voluntas, de qua S. Bernardus ait, quòd quantum in se est, vellet occidere & destruere Deum, & vt Deus desineret esse; & non esset, qualis est; ne ipsius scelera, aut nosceret, aut castigare posset: quam dementiam ope & ipso protestantur peccatores, qui propriæ voluntati se dedunt, quę Deo est contraria. Quorum vicem debeo dolere, & flere, quòd & ego in talem dementiam aliquando inciderim: contrà verò gaudebo, quòd Deus tale Esse habeat, vt nullus possit illud dissoluere, aut imminuere, aut quidquam subtrahere eius quod ipsius sapientia, & omnipotentia possidet: quia totum quod habet, æternum est, & immutabile, sicut ipsius Esse.

PVNCTVM II.

DEINDE considerandum, ita de Essentia Dei esse, quòd sit *qui est*, vt nulli alteri, præter ipsum Deum, id possit conuenire; quia solus Deus habet Esse à seipso, & reliqua omnia accipiunt ab ipso, quòd sint; ideoque ipse est principium absque principio, à quo omnia in suo esse dependent, & ipse à nullo. Et propterea dixit Apostolus, quod a *solus Deus habet immortalitatem*: quia solus

a 1. *Tim.* 6. 16.

ipse

ipſe ex natura ſua habet, non poſſe mori, aut deſinere eſſe: cætera omnia, etiam ipſum cœlum, Sol, Luna, & Stellæ, imò & Angeli ipſi, ex ſe ipſis non habent eſſe: ſed potiùs ſubiecti ſunt mutationi, vt poſſint non eſſe; & ex ſe ipſis, ſunt quaſi res inanis, & vacua ab eſſe, iuxta illud Apoſtoli: b *vanitati enim creatura ſubiecta eſt*, & c *ſicut veſtimentum omnes veterascerent*; &, d *ſi Deus auerteret faciem ſuam, omnes turbarentur*; *&, ſi auſerret ſpiritum eorum deficerent, & in pauerem ſuum reuerterentur*: niſi Deus ſemper illis daret eſſe, & illud conſeruaret.

b *Rom.* 8. 30
c *Pſ.* 101. 29
d *Pſ.* 101. 27.

Ex hac veritate benè perpenſa, deducam præcipuum ſpiritualis vitæ fundamentum. huic enim veritati innititur profunda humilitas, quam in Dei conſpectu habere debemus; quam habent etiam Angeli, & Spiritus omnes beati, & habuit ſacratiſſima Virgo Domina noſtra, imò & ipſa Chriſti Domini noſtri anima; ideoque æquum eſt, eandem vt ego procurem; expendens quòd, vt ſolus Deus eſt, qui eſt; ita ego ſum, qui non ſum: quia ex meipſo non habeo eſſe, neque habere poſſum, niſi ab ipſo Deo: &, ipſo ſe ſubtrahente à dando mihi eſſe, ego conuertar in nihilum, & ſicut Deus dixit Adamo: e *puluis es, & in pulueren reuerteris*, quia ex terra factus, in eam erat conuertendus; ita intelligam, proportione quadam dici mihi à Deo, nihil es, & in nihilum conuerteris; quia ex nihilo ſum factus, & ex me ipſo ſum nihil; & niſi Deus eſſe, quod mihi

e *Gen.* 3. 19

dedit,

dedit, conseruaret, statim conuerterer in nihilum: quamuis ex ipsius voluntate, esse animæ meæ nunquam sit in nihilum conuertendum.

QVOD si sum nihil in Esse, quod est fundamentum reliquarum perfectionum, idem erit de illis. Quare ex meipso & natura mea, nec Esse habeo, nec scire, nec posse, nec operari, nec motum vllum; nec habeo stabilitatem aut firmitatem in vlla re mea, sed omnia subiecta sunt vanitati & mutationi, & finis erit omnium mors, & non esse, nisi Deus illa conseruet, & propterea dixit Dauid: f *mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te.* Substantiam vocat totum suum esse, potentias, & virtutes suas, firmitatem, & fortitudinem, quæ resplendent in rebus omnibus, quas intus & extra se possidet; quia id totum ex se est nihil in conspectu Dei, sine quo, nec Esse quidem habet.

f *Psal.* 38. 6

SVPRA hoc itaque nihilum, quod ex me habeo; & suprà esse Essentiale, quod Deus ex se ipso habet, erigendi sunt omnes affectus vitæ spiritualis, quidam erga Deum, amando illum tanquam principium mei esse, eundem reuerendo, ob singularem quam ex seipso habet excellentiam; collocando in eum spem meam, tanquam in auctorem omnis virtutis & constantiæ, in ea illum laudando, gratiasque agendo, quòd mihi det esse; & reliquos affectus exercendo resignationis, subie-

ctionis,

ctionis, & obedientiæ, qui tanto Deo debentur. Alij affectus erunt aduersus me, meipsum contemnendo, eò quòd nihil sim; diffidendo meis viribus, nihil illis tribuendo; &, si quid boni aut in me erit, aut ego fecerim, non mihi illud arrogando; sed gloriam Deo pro omnibus reddendo: & omnes motus superbiæ, arrogantiæ, & inanis gloriæ, in abysso ipsius nihili submergendo. O DEVS æterne, cuius Essentia, modo adeò singulari est, *quòd sis*; gaudeo quòd sis solus QVI ES, & quod nulla res habeat esse, nisi à te. Clarifica, Domine, oculos animæ meæ, vt agnoscam illud Esse, quod tu habes per tuam Essentiam; & illud non esse, quod ego habeo ex me ipso: vt supra duplicem hanc cognitionem, tanquam supra duplicem polum firmum & immutabilem, moueatur rota vitæ meæ, donec perueniam ad sempiternam vitam, vbi te videam & fruar particeps factus æternitatis tuæ. Amen.

PVNCTVM III.

DENIQVE est considerandum, quòd Essentia DEI sit Esse, *qui est*; quia simpliciſſimum eius Esse, absque vlla additione & compositione, sed summa identitate, claudit, absque vlla limitatione, vniuersas perfectiones rerum omnium, quæ habent esse, idque modo quodam eminentissimo; & alias perfectiones infinitè maiores & excellétiores, quàm mente possimus

assequi, ita vt omnes res creatæ, & quæ creari possunt, si cum ipso comparentur, tanquam nihil sint, & quasi non essent, aut esse non haberent. Quamobrem dixit Isaias: a *gentes quasi stillam situlæ, & quasi momentum stateræ, reputatas esse coram Deo*; ac deniq; in eius conspectu sunt, quasi non essent, & sicut nihil. Ex quo magnam concipiam opinionem sublimitatis & Maiestatis ipsius Esse Dei, in cuius conspectu res, quæ alioqui habent esse adeò nobile, ita obscuratæ iaceant, quasi non sint. *Quod adhuc fusius expendetur, Meditatione quarta & reliquis.*

a *Isai.* 40. 15.

SIMILITER ex eo conficitur, quàm parui hoc nomine facere debeam res omnes creatas, eas præcipuè aspectabiles, quæ meum cor ad se rapiuut; siquidem omnes illæ in Diuino conspectu, sunt quasi aquæ stillæ, vtpotè quæ sitim meam extinguere nequeant, nec minimam desiderij mei partem explere; maximè cùm sint mutabiles sicut momentum stateræ, quod facillimè ad vtramuis partem inclinat, quocunque addito, vel subtracto pondere ab alterutra parte. O DEVS æterne, cuius proprium nomen est, QVIEST, gaudeo de sublimitate huius nominis, quod est tibi adeò proprium, vt impossibile sit alicui alteri conuenire, quàm tibi. O nomen venerandum, nomen ineffabile abscõditum, & ignotũ b *Abrahamo Isaac & Iacob*, manifestatum verò magno illi Moysi, in signum singularis amoris. Aperi mihi, Deus meus, inæstimabiles huius

b *Exod.* 6. 3.

nomi-

nominis diuitias, vt te reuerear, adorem, diligam, & ſeruiam; ſicut Dominus ſupremi huius Eſſe meretur. O Anima mea, ſi ſolus Deus eſt QVI EST, amplectens omnem perfectionem eius quod eſt ESSE: cur te non illi coniungis, vt Eſſe tuum obtineat nobilitatem & firmitatem cum Eſſe illius? cur te effundis ad creaturas, quæ ipſo Eſſe ſunt vacuæ: ſiquidem non poſſunt dare tibi, quod deſideras, cùm ipſæ illud non habeant: Ex nunc, Deus æterne, quidquid creatum eſt, c *detrimentum exiſtimabo, & arbitrabor vt ſtercora*, vt vanitatem, vt nihilum; vt tibi coniungar, & *te lucrifaciam*, vt te diligam, tibi ſeruiam in æternum, Amen.

c *Phil.*3.8.

MEDITATIO III.

DE INFINITATE ET INcomprehenſibilitate ipſius Eſſe Dei.

VT *tutus ſit aditus ad cognitionem Magnaliũ ipſius* ESSE DEI, *ne in illis ſubmergamur, neceſſe eſt cognoſcere, illud eſſe infinitum & incomprehenſibile; & pertinere ad eiuſdem magnitudinem, quòd nullus alius, qui ſit minor ipſo, poſsit comprehendere quidquid ipſe habet. Ad cuius rei intelligentiam eſt aduerten-*

S. Thom. 1. p. q 7. a. 1. & q. 12. a. 7.

dum, quòd ſicut ſunt duo modi imaginem aliquã faciendi, alter pingendo, alter ſculpendo; & primus modus ſit, varijs coloribus appoſitis, & lineis ſuper tabulam ductis; ſecundus verò ſit cœlo, ita ablatis ex tabula paruis particulis, donec figura cælata maneat: Ita ait S. Dionyſius, duplex eſt modus cognoſcendi Deum, & efformandi in anima noſtra verum & proprium conceptum, qui ſit imago eius Diuinitatis; alter eſt per affirmationes, collocando in ipſo Deo excellentias & perfectiones, quæ ſunt in creaturis, ſed perfectiori & altiori quodam modo; vt ſi dicatur, Deus eſt bonus, eſt ſapiens, potens, fortis; alter modus eſt, auferendo ſcilicet à Deo, quod eſt in creaturis terminatum & limitatum, eò quòd dedeceat ipſius Dei magnitudinem: & ita dicimus, quod ſit Deus infinitus, immenſus, incomprehenſibilis, ineffabilis, &c. Et de hoc ſecundo modo Deum cognoſcendi, inſtituetur hæc Meditatio; quia plus nobis inſinuat de infinita ſua magnitudine; aperitq; portam ad priorem modum, de quo erunt aliæ Meditationes, quæ ſequentur.

de Myſtic heol. c. 3. & de Diui. omin. c. 7 & ibid. S. hom. lect. 4

PVNCTVM I.

PRIMÒ conſiderandum, quod Deus Dominus noſter, non eſt res aliqua ex iis, quæ percipi poſſunt quinq; ſenſibus corporis; ac propterea nec album eſſe, nec rubrũ, aut pellucidum, aut pulchrum, ſicut ſunt res, quas hîc videmus. Non eſt ſicut cœlum, ſol,

aut

aut astra; nec est sicut ignis, aër, aut aqua; nec est sicut leo, aut aquila, aut corpus aliquod, quia totum hoc, quidquid sensibus his percipitur, est indignum præstantiâ & magnitudine Dei, qui sine termino & limite, excedit infinitè hæc omnia; estque grauis iniuria, Deum his rebus, cum aliqua æqualitate comparare, iuxta illud Isaiæ: a *cui similem fecistis Deum, & cui assimulastis & adæquastis me, dicit Sanctus?* O Sancte Sanctorum, conuertantur omnia ossa mea in linguas, & elata voce dicant, b *Domine quis similis tibi?* Non est similis tibi inter eos, qui vocantur Dij, neque eorum opera tuis possunt adæquari. Non est formosus, sicut sunt res terrenæ, sed alia pulchritudine es ornatus, quam nec cœlestes Angeli possunt comprehendere: Non es splendidus, sicut est lux huius solis visibilis, sed alius est splendor, & c *lux inaccessibilis* quam *inhabitas*; Non es magnus magnitudine & quantitate molis, quæ competit corporibus, sed magnitudine virtutis, quæ omnes excedit spiritus: Non es dulcis aut iucundus, sicut sunt Musicæ, aut cibi corporis, sed alia dulcedine & suauitate, quæ excedit capacitatem rerum omnium spiritualium. O DEVS infinite d *quis* potest esse *similis tibi?* Ex hoc gaudeo, Domine, & animo exulto, quòd Esse tuum, ita sit illimitatum & infinitum, vt quidquid spectabile creasti, nullo modo possit cum eo comparari. O si te amarem adeò perfecto amore, vt nullus terrenus amor posset cum illo conferri?

S. Thom. 1. p. q. 4. a 3.

a Isaiæ. 40. 18. 25.

b Psalm. 34. 10. & 85. 8.

c 1. Tim. 6. 16.

d Psa. 70. 1.

PVNCTVM II.

DEINDE considerandum, quòd Deus non sit res aliqua ex iis omnibus, quas imaginatio aut intellectus hominis complecti & comprehendere possit, sed neque ipsi Angeli: nam quidquid illi possunt, finitum est & limitatum: ac propterea longè distat à sublimitate & Maiestate ipsius Esse Dei, quod est infinitum & illimitatum. DEVS itaque nec bonus est nec sapiens, bonitate & sapientia, quam homines & Angeli possunt comprehendere: hæc enim breuis & pusilla est, distatque infinitè ab ea, quam habet Deus, qui talem habet bonitatis & sapientiæ modum, quem nec possimus complecti, nec proprium ei nomen imponere, quod illi omnino adaptetur: & ideo est incomprehensibilis & ineffabilis. Idemque de cæteris Diuinis perfectionibus dico. Quare stultum esset, Dei excellentiam cum alicuius hominis aut Angeli perfectione, cum æqualitate & perfecta similitudine velle conferre: potiùs cum Dauide dicendum: *quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filijs Dei?* Quasi diceret, nullus eorum, qui habitat super nubes, nec filiorum DEI, qui tales sunt per gratiam, æquari potest, aut comparari cum Deo, quia omnes infinitè distant ab eo, & ipse est super omnes.

al. 88. *v.* 7

EX hoc vlterius ascendam ad considerandum, quòd ad cognoscendam magnitudinem

ipsius

ipsius Esse Dei, hoc modo cognitionis, oportet, (vt ait Sanctus Dionysius ad Timotheum) res omnes relinquere, quas sensibus nostris & exiguo etiam nostro intellectu percipimus; & reiicere imaginationes, discursus, & limitatas intellectiones nostri intellectus; vt intelligamus; Deum ipsum nec Substantiam esse, nec spiritum, nec tale Esse, quale ego assequor, sed rem quandam excellentissimam, & excelsissimam, suprà omnem substantiam, supra omnem Spiritum, & supra Esse: quam ego ignoro, & omnes ignoramus; & mihi & omnibus creaturis est instar nebulæ, obscuritatis, & caliginis; iuxta id quod dicit scriptura, b quòd *Moyses accessit ad caliginem, in qua erat Deus*: Et alibi, quòd c *ingressus Moyses in medium nebulæ, ascendit in montem*: Et Dauid dicit: quòd d *nubes & caligo sit in circuitu eius*: Et Salomon: e *Dominus dixit, vt habitaret in nebula.* Quod S. Apostolus ampliùs declarauit, dicens, quòd f *lucem inhabitat inaccessibilem; quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*, comprehendendo videlicet, quod ille in se habet. In hac adeò sapiente ignorantia, & in hac adeò clara caligine, quamuis inaccessibili, curare debeo inuenire requiem, altissimè sentiens de Deo, & gaudens quòd sit ipse infinitè maior & excelsior, quàm ego cogitatione assequi possim; admirans potiùs & stupens, ad incomparabilem adeò magnitudinem; supplens cognitionis huius defectum, excessu amoris, ex

De Mystica Theol. c. 1

b *Exod.* 20. 21.

c *Cap.* 24.

d *Psal.* 96.

e 3. *Reg.* 8.

f 1. *Tim.* 6. 16.

toto corde cupiens, illum amare, & ei seruire, & ad eius claram visionem suspirare. O DEV sinuisibilis, quando te videbo, nong *per speculum & in ænigmate*, & obscuritate, *sed facie ad faciem*! *O si te cognoscerem, sicut* à te *cognitus sum*; vt sicut me amas, ita te amarem; sed quandoquidem cognitio & scientia adeo est breuis, & tarda; amor erit prolixior & progredietur vlteriùs, vt amem scilicet te quantum possum; donec te videam, sicut desidero.

g 1. Cor. 13. 12.

Amor intrat vbi scientia foris stat.

PVNCTVM III.

TERTIÒ considerabo, quòd ESSE Dei ita est infinitum, vt omnes perfectiones, quas diuina Scriptura de eo refert, sint infinitè: nec mens nostra fundum (vt dicitur) eorum inueniat; nec possit sibi finem aut terminum earum imaginari: nam vt Prophetæ dicunt: a *magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.* Et ita nec duratio eius finem habet, nec eius locus, bonitas, sapientia, aut potentia, quia in omnibus est infinitus. Et postquam, quidquid potero, fuero imaginatus, adhuc est infinitè plus, quàm ego fuerim imaginatus: quare, postquam ego cogitauero, Deum duraturum aliquot milliones annorum, totidem addere oportet, & mox totidem; & postquam tot addidero quot sum imaginatus, adhuc infiniti restant. Quamobrem amicus quidam Iob exclamauit: b *ecce Deus magnus, vincens scien-*

a Psa. 144. 3
a Baru. 3. 25.

b Iob. 36. 26

tiam

tiam noſtram: numerus annorum eius inæſtimabilis, & qui nec numerari poſſunt. Similiter DEVS implet vniuerſum hunc orbem, & implere poteſt milliones orbium hoc maiorum; & poſtquam cogitauero quot potero mundos, erunt infinities plures, quos poſſit Deus ſua immenſitate implere. Et idem eſt de ſapientia & omnipotentia, vt ſentiam tam altè de ſingulis eius perfectionibus, vt certò credam, multò plus eſſe quod non intelligo, quàm quod intelligo: & in hac ipſa ignoratione conquieſcam, gaudens ob plurima, quæ ſunt in Eſſe & perfectionibus Dei, quæ ego non aſſequor.

EX quo efficitur, quòd Eſſe Dei, ore pleno dici debeat eſſe incomprehenſibile & ineffabile, niſi ab ipſomet Deo, ita vt nulla prorſus creatura complecti poſſit, quod in ipſo eſt, aut in ipſius bonitate, aut ſapientia, aut in quocunque attributorum & perfectionum eius; nec poſſit proprium nomen illis accommodare, quod ex omni parte ſit aptum. Et ideo dixit Ieremias: c *magnus conſilio & incomprehenſibilis cogitatu.* Ratio verò eſt euidens: Nam omnis creatura eſt finita & limitata: quod autẽ finitum eſt, non poteſt comprehendere id, quod eſt infinitum; ſicut eſt impoſſibile, quòd ego pugno meo totum orbem complectar, aut quod paruum aliquod vas capiat totam aquam Oceani: & ſi, vt dicit Sapiens: d *difficilè æſtimamus quæ in terra ſunt; & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cũ labore; quæ in cælis*

c Ier. 32. 19.

d Sap. 9. 16.

sunt, quis inuestigabit? Ita ergo fateri debeo, & gaudere, & gloriari, me habere Deum adeò magnum, vt nullus possit illum comprehendere: si enim comprehendi posset, valde esset breuis & paruus; aut, vt veriùs dicam, DEVS non esset.

AD hoc autem accipiam exemplum supremorum Angelorum, qui sunt Seraphini, qui habent e *sex alas*, ad significandum se volare in cognitione Dei, & rerum, quas sex primis mundi diebus condidit; volantque altiùs cæteris Angelis: & nihilominùs, quando dicuntur esse in conspectu Dei, ex sex alis, quatuor complicant; duabus velantes faciem Dei, vt significent, se non posse comprehendere Diuinitatis eius altitudines; & duabus velāt pedes eius, ad significandum, se non posse comprehendere omnia opera, quæ à Diuinitate procedunt: duabus ergo tantùm volant, vt confiteantur aliqua Dei magnalia, quæ nouerunt. Multò autem ampliùs Deum magnificāt contractione quatuor alarum, quàm duarum volatu, & verbis quæ proferunt. confitentur enim plura in infinitum esse, quæ de Deo nesciant, quàm quæ sciant. O DEVS incomprehensibilis & ineffabilis, gaudeo quod Seraphini ipsi, in tuo conspectu, tanquam cæci & obscurati sint; fatentes quod f *vincas omnem scientiam* illorum, nec possint ipsi te comprehendere. Vtinam sex illas Seraphinorum alas haberem, quas omnes in amoris alas conuerterem; vt vires omnes meas saltem intende-

e *Isai. 6. 2.*

f *Ioa. 36. 26.*

rem

rem in te diligendo, siquidem ad comprehendum non sufficio.

PVNCTVM IV.

QVARTÒ, tanquam fundamentum nostræ fidei, perpendendum est summum Dei beneficium erga nos, in reuelandis nobis secretissimis infiniti sui esse mysterijs, & perfectionibus. Videns enim, impossibile esse hominibus, aut etiam Angelis, omnia illa assequi, imò aliqua illorum nec indagare quidem posse ex ijs, quæ in creaturis cernerent; voluit ex infinita sua bonitate & misericordia, aliqua nobis reuelare, & ad ipsius gloriã, & nostrum bonum: in quibus sunt multa adeò sublimia, vt nec eò peruenire possimus, vt, quomodo illa sint, intelligamus; quia excedunt capacitatem nostram, & omnem rationem & naturæ lumen: quod ipsum ad summum gaudium excitare me debet, attendentem, quod habeam Deum adeò excelsum & infinitũ, vt eius Esse & opera, quæ ab eo proueniunt, superent quidquid homines & Angeli, aut assequi, aut etiam indagare possint. DEBEO præterea tres alios excellentes affectus & proposita, ex eodem fundamento concipere.

PRIMVS affectus est gratitudinis erga Deum nostrum, quòd in sacris scripturis, & per suos Propheras, nobis reuelauerit secreta suæ diuinitatis, vt & dixit Dauid, a *in certa & occulta sapientiæ suæ manifestarit.* I.

a *Psal. 50. 8.*

Sed præcipuè qui viuimus in lege gratiæ, maiores illi gratias agere tenemur, quod Filium suum vnigenitum nobis dederit; nam (vt ait S. Ioannes) b *vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris,* tanquam omnium maximè conscius, distinctiùs *enarrauit.* Quare gratias illi agere debeo, ob reuelata nobis mysteria Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, Remissionis peccatorum, Resurrectionis carnis, & vitæ æternæ; exprimendo hæc & similia alia mysteria, quæ, nisi ipso reuelante, cognosci non potuissent.

b *Ioan.* 1. 18

II.

SECVNDVS affectus debet esse fidei certissimæ & subiectissimæ, c *captiuato* scilicet *intellectu*: ad credendum quod ego non assequor, solùm propterea, quod DEVS ita reuelarit; cùm aliàs fuisset impossibile, illud cognoscere. Quare præcipuè exercenda est fides circa mysteria magis eleuata, magisque secreta; oblectans me quod ea credam; & in ea fide viuam; secundum quam etiam dirigar. Et exemplo Seraphinorum fatebor meam pusillitatem; simul verò, elata voce magnaque voluptate, laudabo DEVM Trinum & Vnum, cum cæteris nominibus, quæ ipse reuelauit; dicens, Sanctus, Sanctus, Sanctus; similiter Sapiens, Sapiens, Sapiens; Potens, Potens, Potens est Dominus Deus exercituum: nec scrutari tẽtabo vltra id, quod ipse mihi reuelauit: nam *curiosus* d *Scrutator Maiestatis,* (vt Sapiens ait) *opprimetur à gloria.*

c 2. *Cor.* 10. 5

d *Pro.* 25. 27
Eccl. 3. 22.

III.

TERTIVS affectus est magnæ fiduciæ, simul & magnæ cordis lætitiæ: firmiter scilicet sperans, peruenturum me eò, vbi eadem mysteria clarè videam, quæ nunc fide credo; vt locum in me habeat quod dixit Apostolus, e *videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: Propterea siquidem ea cum obscuritate mihi reuelauit; vt viua fide credens, & fideliter eius mandatis obediens, eò peruenirem, vt distinctè & apertè ea viderem. Imò & hanc fiduciam habere debeo, quòd etiam in hac vita clarificabit ipsam fidem, dabitque magnam mysteriorum eius intelligentiam, si studuero me disponere per cordis munditiam ad ea videnda, siquidem ipse dixit. f *Beati mundo corde, quoniam ipsi* DEVM *videbunt.* g *O Deus spei, repleas me omni gaudio & pace in credendo, vt abundem in spe & virtute Spiritus sancti,* in æternum,
Amen.

f *Mat.* 5. 8.
g *Rom.* 15 13

MEDITATIO IV.

DE VNITATE DEI IN Eſſentia, & Trinitate in Perſonis.

PVNCTVM. I.

PRIMVM conſiderandus eſt articulus primus Sanctæ noſtræ fidei, quo confitemur; non eſſe niſi a *vnicum* & ſolum *Deum*, in vna ſola Eſſentia & diuinitate: nec poſſibile eſſe, vt plures ſint Dij. Tantùm itaque eſt vnus Creator, vnus Gubernator, vnus Dominus, vnum primum principium, & vltimus rerum omnium finis: cui veritati innituntur præcipua mandata noſtræ legis.

a *Deut.6.4.* Dominus Deus noſter vnus eſt. S. *Thom.1.* b. *q.11.a3.* a 1. *Cor.8 4.*

I. NAM primùm, cùm Deus ſit ſummum bonum & infinitum, in quo continentur omnia bona, & perfectiones poſſibiles, ita vt nec vnica poſſit illi deeſſe; (nam, vel vnica deficiente, eſſet ipſe imperfectus, eamque mendicaret ab alio) clariſſimè ſequitur, non eſſe niſi vnicum. Si enim plures eſſent Dij, deeſſet vni bonitas & perfectio, quam alij habent, qua etiam ab illis differt. Et hoc eſt fundamentum illius mandati Dei, quo iubet, vt ipſum ſuper omnia & b *ex toto*

b *Deut.6.5.*

noſtro

nostro corde diligamus, quia scilicet ipse est summum bonum, omne bonum, & vnicum bonum; & dignus, qui summo amore & omni, & vnico diligatur absque vlla diuisione cordis ad alios amores, qui non sint ad ipsum ordinati. O bonum infinitum, quid multum est, si te ego super omnia diligam, cum tu sis vnus Deus super omnia? Et quid magnum est, si tibi reddam totum, summum & vnicum amorem; siquidem hoc totum est exiguum, comparatione eius amoris, quem tota tua bonitas summa, & vnica meretur. Rectum omninò est, vt nihil omninò aut contra te diligam, aut quod ad te ipsum non dirigatur; siquidem nulla res est, quæ bona sit, & amabilis, nisi propter bonitatem, quam à te accipit.

II. DEINDE considerandum, quoniam Deus est supremus Dominus, & suarum creaturarum Gubernator, cui illæ omnes subiectæ sunt, & cuius c *voluntati* efficaci *nullus potest resistere*. (Nam si quis ei resistere posset, esset DEVS valdè miser, nec tranquillus esset, nec in pace gubernare posset, nec eius regnum durare) efficitur itaque quod non sit nisi vnus & solus Deus. Si enim multi essent Dij, diuersa haberent iudicia, voluntates, & potentias; posset q; alter aduersus alterũ aliquid velle; inferre illi bellum, & contradicere. Non esset possibile, creaturas in hoc mundo perdurare, in illa pace & ordine, quem habent: quia d *omne regnum in se ipsum diuisum*

c *Ioh.* 9.4.
c *Psal.* 75.8.
c *Isa.* 47.3.

d *Luc.* 11.17.

deso-

desolabitur. Quare ipse ordo cœlorum, elementorum, & animalium prædicat esse vnum & solum Deum; omnium gubernatorem: & huic veritati innititur mandatum illud Dei, e *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies* ex toto corde, & ex tota anima. Nam vt noster Saluator dixit: f *nemo potest duobus Dominis seruire.* Quia necesse est, illos diuersa & contraria interdum mandare, quòd si eorum vni est parendum, necesse est id alteri displicere; ideóque contemnere. Non itaque esset possibile, duobus Dijs seruire: totam ergo meam curam ponam in seruiendo huic vnico & supremo Domino meo; eique soli integram obedientiam præstare; nulliq; alteri, nisi ipsius intuitu, & propter ipsum; quia videlicet ille in eius loco est constitutus; & ipse vult, vt illi paream.

e *Mat.* 4. 10.
e *Deut.* 6. 13
f *Mat.* 6. 24.

III. TERTIÒ, cùm Deus sit noster supremus legislator; cuius est præscribere nobis leges, quia eius dictamen & voluntas, regula est eorum, quæ facere debemus; eidem porrò competet, omnium esse iudicem; vt obedientibus præmium, & rebellibus supplicium reddat: Et idem ipse est vltimus finis & beatitudo nostra; in cuius visione & possessione, inueniemus satietatem, & omnium desideriorum nostrorum expletionem; Ex his euidenter efficitur, quod non possit esse nisi vnus Deus, vnus legislator, Iudex supremus, & finis vltimus. Si enim multi essent, possent esse diuersi & contrarij in legibus, in præmijs & pœnis

S. Thom. 1. 2. *q.* 1. *a.* 5.

red-

reddendis: nec vllus eorum per se & solus posset explere nostra desideria, quia adhuc desideraremus alterum videre. In eadem quoq; veritate fundamentum habet obligatio, qua tenemur ad vnam purã & g *simplicem intentionem* in nostris operibus, vt illam ad solum Deum, tanquam ad nostrum vltimum finem dirigamus, quærentes tantùm eius gloriam & honorem in omnibus rebus nostris.

g *Mat.6.22*

EX his concipiam primùm magnam commiserationem erga infideles & idololatras, qui multiplicant sibi falsos Deos, cũ iniuria veri Dei. Orabo autẽ ipsum Deum verum, vt hoc vitium ex mundo dignetur abolere, dicẽs illi: O Deus vnice & vere, qui h *super nubem leuem* sanctissimæ tuæ humanitatis, *ingressus es Aegyptum* miserandi huius mundi: *commoue* ac reijce *à facie tua omnia simulachra*, quæ homines huius mundi adorant, *& tabescere fac cor in medio eorum*, terrendo eos tuo sancto timore, & trahendo ad te dulci tuo amore.

h *Isa.19.1.*

DEINDE intelligam, quàm grande malum sit peccatum, qui falsos Deos admittens, Veri Dei Vnitatem destruere contendit: siquidem (teste Apost.) carnales homines: i *ventrem suũ pro Deo habent*, k *auari pecuniam*, Superbi honorem inanem: & quisq; pro Deo suo & fine vltimo, iam rem habet, cuius amore, Deũ verum relinquit. Ex quo prouenit, vt quotidie l *nouos recentesq;* inueniant, *quos non coluerunt Patres eorum*. O Deus æterne, & m *Antique dierum*, & iudex mortalium, propugna causam

i *Phil.3.19.*
k *Gal.5.20*
l *Deut.32.17.*
m *Dan.7.9*

tuam

tuam, multitudinem destruens falsorum Deorum, vt omnes mortales non ore solùm, sed opere quoq; confiteantur & protestentur, esse
n *Ephes.* 4 6 n *vnum Deum & Patrem omnium, qui est super omnes: & per omnia, & in omnibus*, quem laudent omnia, & glorificent in secula, Amen.

III. TERTIÒ, intimum quoddam desiderium concipiam, reuocandi omnes cogitationes, affectus, & desideria mea, ad vnum hunc & supremum Deum, non effundens me ad res alias; sed manens hac vna re contentus, in qua
o *Luc.* 10. 41 verè sunt omnia, dicens animæ meæ, quod Christus Dominus noster dixit aliquãda Marthæ: anima mea, o *solicita es, & turbaris erga plurima*, cùm *porrò vnum* tibi *sit necessarium*, amare scilicet, colere, & seruire vni soli Deo, creatori rerum omnium; vni soli Patri, à quo procedunt omnes; & vni soli fini, ad quem omnes dirigentur; & in quo requiem & saturitatem inuenies sempiternam.

IV. DENIQVE ingens desiderium concipiam, amandi & benefaciendi omnibus hominibus; siquidem omnes habemus vnum Deum, vnum
p *Mal.* 2. 10 principium, & finem vltimum: memor sententiæ Malachiæ dicentis p *nunquid non Pater vnus omnium nostrum? nunquid non Deus vnus creauit nos? quare ergo despicit vnusquisque nostrum fratrem suum: violans pactum &* legem latam *Patribus nostris!* O Deus infinite, vnice in Essentia, à quo procedimus omnes; concede nobis in te vnum esse, mutuò

nos

nos diligentes, tanquam facturam vnius eiusdemque Dei; tanquam famulos eiusdem Domini, filios eiusdem Patris, destinatos ad eundem finem, te videlicet vnicum, & summum bonum omnium, cui sit gloria in æternum. Amen.

PVNCTVM II.

DEINDE considerandus est Articulus alter potissimus fidei nostræ; quòd scilicet Deus Dominus noster, ita sit VNVS in ESSENTIA, vt simul sit TRINVS in PERSONIS, a PATER, FILIVS, & SPIRITVS SANCTVS; captiuandus itaque est intellectus, ad credendam hanc veritatem; quamuis assequi non possim, quomodo ita sit, Licet tamen circa eam sic ratiocinari: quod Deus Dominus noster simul in se cõplectatur omne bonum & perfectum, quod cernimus in creaturis, separatum tamen à malo & imperfecto, quod in illis est: Et ideo habet illud bonum, quod est Esse vnum, sine eo malo, quod est Esse solum; habet item illud perfectum, quod est esse plures, absque illo imperfecto; quod est esse diuersos: est enim VNVS in ESSENTIA, & in DIVINITATE; vnus in bonitate, sapientia, omnipotentia, & in cæteris omnibus attributis. Quamobrẽ tres diuinę personæ, sicut sunt b *vnus Deus*, ita vnum eundemque habent sensum, vnum velle, vnum idemque posse, & operari; nulla inter ipsas personas diuersitate iudicij; nulla voluntatum

a Mat. 28. 19.
a Ioan. 5. 7. S. Thom. 1. p. q. 27.
b Ioan. 10. 30

tum contrarietate; aut operum oppoſitione: nam omnes tres idem ſentiunt, idem volunt, idem extra ſe operantur, ſumma pace, ſumma concordia. Sunt nihilominus TRES PERSONAE DISTINCTAE, & non vna ſola; ne ea perfectione & voluptate DEVS careret, quam ſecum adfert communicatio, & amicitia perfecta inter æquales; & vt bonitas, ſapientia, & potentia Dei impleret ſuum deſiderium, communicandi ſe infinitè & modo infinito. Et ita Pater explet hæc deſideria, dum ſuam diuinam eſſentiam, ſapientiam, & omnipotentiam communicat Filio; & Pater & Filius idem communicant Spiritui ſancto, & inter ipſas tres perſonas eſt amor infinitus, & amicitia perfectiſſima, tanquam inter perſonas æquales, & ita ſimiles, vt verè ſint vna eademque res, in ſubſtantia diuini ſui eſſe; & in hac communicatione & amicitia, eſt infinitum gaudium & lætitia, exultante infinitè vnaquaque perſona, de proprio Eſſe perſonali, quod habet altera.

I. Ex hac conſideratione eliciam PRIMVM, magnam admirationem, & profundam reuerentiam; erga Maieſtatem DEI VNIVS & TRINI; Summe venerans in ea, quod non aſſequor; & me ipſum impellens (ſicut ait Iſaias) c *ad id credendum, vt ſic intelligam*; & exclamans cum Apoſtolo, O d *altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! ſi tua iudicia ſunt incomprehenſibilia, & viæ tuæ inueſtiga-*

c *Iſa.* 7. 9. Iuxta Lxx. niſi crediderit non intelligetis.

d *Rom.* 11. 33.

bi es,

biles, quanto magis incomprehensibile erit tuum Esse, & quantò magis inuestigabilis tua Deitas! Auge Domine in me fidem, vt ita credam altissimam tuam Trinitatem, vt etiam intelligam; & ita intelligam, vt etiam amem, & tandem perueniam ad fruendum ea in æternum. Amen.

II. DENIDE concipiam magnum gaudium, ob Vnitatem perfectissimam, quam tres diuinæ personæ habent inter se; & simul intimum desiderium, vt particeps eius fiam, imitando illam modo mihi possibili. O Pater æterne, gaudeo summoperè de Vnitione, quam habes cum tuo Filio! O Fili Dei vnigenite; gaudeo de amore, quem geris erga tuum Patrem! O Spiritus Sanctissime, gaudeo de vnione & amore, quem habes erga Patrem & Filium! O Trinitas Beatissima, gaudeo vehemẽter ob infinitam amicitiam, quæ intra teipsum emicat! O Deus infinite, siquidem supremæ huius Vnitionis fidem mihi dedisti, da etiam gratiam, ad illam eo modo imitandam, quo tu vis.

III. MOX cogitabo de modo, quo mihi liceat eam Vnitionem imitari; reuocans in memoriam, quod Christus Dominus noster in nocte suæ cœnæ, Patrem suum pro nobis orauerit, e *vt simus vnum sicut ipsi sunt*. Sic ergo tres diuinæ Personæ, habent vnum idemque sentire, vnum & idem velle, atque vnum & idem operari in rebus omnibus, summa concordia, absque vlla diuersitate; propter quam causam dicebat Christus Dominus de se:

e *Joan.* 17. 11

f Ioan. 5.19. *& non potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcunque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit*; ita & ego studebo vnire me, vnamque rem cum Deo ita me facere per amorem; vt habeam vnum & idem sentire cum eo, quod ipse habet in rebus omnibus, quas mihi reuelauit; vnum & idem velle in rebus omnibus, quas mihi præscribit; faciamque etiam omnia mea opera eo modo, quo ille iubet; nunquam ab eius voluntate in aliqua re discedens, sed me illi cum summa concordia & lætitia conformans.

EANDEM Vnitionem, proportione quadam habere studebo cum meis superioribus, & ijs, qui animam meam gubernant, præcipuè si sim religiosus; conformando iudicium meum & voluntatem, operumque executionem, cum iudicio & volũtate Prælatorum; qui Dei nomine mihi præsunt. Eandem quoq; Vnitionem procurare debeo, cum omnibus meis proximis, in rebus omnibus, quibus licitè possum, ita me conformans (vt ait Apostolus), vt g *idem sapiam & sentiam, & eandem charitatem habeam cum illis.* Et quoniam impossibile est, viribus meis ad talem Vnionem cum Deo & proximis peruenire, eam petam à sanctissima Trinitate, dicens: O Deus infinite, qui Trinus es in personis, sed vnus in Essentia; & ita diuinitatem tuam communicas, vt Vnitas non lædatur; communica mihi copiosam gratiam, qua eò perueniam, vt sim tecum

g Phil. 2.3.

vnus

vnus Vnione perfectæ charitatis. O Saluator mundi, offer æterno tuo Patri orationẽ, quam in nocte Passionis tuæ pro me fudisti, vt eius virtute fiam ego vnum tecum, & cum omnibus meis fratribus, sicut tu vnum es cum Patre tuo cœlesti, per infinita sæcula.

PVNCTVM III.

TERTIÒ considerandus est modus, & ordo huius mysterij in Deo. Nam prima persona scilicet Pater; seipsum cognoscens, & comprehendens suam diuinam Essentiam cum infinita maiori claritate, quam ego meipsum videam in speculo; illa cognitione format intra se conceptum & imaginem viuam suijpsius: & hic conceptus est eius filius, de quo dicit Apost. quod sit a *splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*, & b *imago eius inuisibilis*. Hic est, quem S. Ioannes VERBVM appellat: quod verbũ loquitur Pater intra seipsum; & quia exprimit in eo quidquid ipse scit; appellatur SAPIENTIA Patris. Quamobrem autẽ Pater producit Filium, necessario illum amat, & cõplacet in eo sibi amore & gaudio infinito: quia in eo videt suam propriam bonitatem infinitam; & filius eadem ratione amat Patrẽ infinito amore & gaudio, ob infinitam, quam in eo videt bonitatem, & quam ab illo ipse recipit: & vterque simul hoc ipso amore producit vnum impetum siue impulsum diuinæ suæ voluntatis: quem impulsum appellamus

a *Heb.* 1. 3.
b *Colos.* 1. 15
c *Ioan.* 1. 1.

S. Thom. 1. p. q. 42.

Spiritum S. cui Pater & Filius ſuam diuinitatem communicant: & ita eſt vnus & idem cum illis Deus. Et hoc totum eſt in Deo, à ſua vſque æternitate: nam omnes tres perſonæ ſunt æternæ, nec vna altera prior; nec Pater antiquior eſt, quàm Filius; nec Filius, quàm Spiritus S. non enim ſunt Pater & Filius, ſicut ſunt terreni. Itẽ omnes tres Perſonæ ſunt immenſæ, nec poteſt vna ab altera ſeparari; ſed vbicunq; eſt Pater, & Filius, & Spiritus S. & omnes tres ſunt æquales; ita vt vna non ſit altera maior; quia tanta eſt dignitas eſſe Filium, atq; eſſe Patrem; & eſſe Spiritum S. atque eſſe Filium. Omnes itaque tres Perſonæ, integram habent & plenam beatitudinem in cognitione & amore ſuijpſarum, & ſuæ diuinitatis. Ex quo procedit, vt ſint infinitè lætæ & ſaturæ, abſque vllo tædio, aut neceſſitate rei alicuius extra ſeipſas. Quare etſi Deus in ſua æternitate, antequam mundum crearet, eſſet ſolus abſque vllis creaturis; non tamen otioſus erat aut ſine ſummo gaudio: nam principale eius opus, eſt internæ cognitionis & amoris; in quo opere conſiſtit eius gaudium ineffabile: & ab eo procedunt externa opera, quæ omnibus tribus Perſonis ſunt verè cõmunia, quia omnes tres ſunt vnus Creator, Sanctificator, & Glorificator; vnus Benefactor, à quo procedunt omnia opera naturæ; gratiæ, & gloriæ: ideoque omnes tres, audiunt orationes noſtras, implent noſtra deſideria & nos ipſos replent miſericordijs.

Ex omnibus his conſiderationibus, concipiendi ſunt magni affectus admirationis, amoris, gaudij, & laudis, propter ſingularum diuinarum perſonarum excellentias; ratiocinando per eas, quæ ſunt in ſingulis, in modum colloquij, colloquendo cum vnaquaque ſeorſim, hac ſubſcripta vel ſimili forma.

Cum Patre æterno.

PRIMVM itaq; cum Primâ perſona colloquens, illi dicam. O Pater Maieſtatis immenſæ, principium abſque principio, quia à nullo procedis, à te verò reliquæ perſonæ procedunt, meritiſſimè dixiſti: a *nũquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariã? & qui generationẽ cæteris tribuo, ſterilis ero?* Gaudeo, Dñe, quod intra te ipſum, verbum tuũ æternũ concipias, genereſq; iſtum Filium adeò tibi ſimilem, vt ſit vnum idemq; tecum. Nec defectus aliquis reputandus eſt, quòd non habeas multitudinem filiorum; ſiquidem in hunc ſolùm exeris infinitam tuam virtutẽ; vno actu generans ſummum, quod poteras generare. I.

a *Iſa. 66. 9.*

O Pater glorioſiſſime, gaudeo perpetuum eſſe gaudiũ, quo afficeris, generãdo talẽ Filiũ; continuè.n. illũ generas, diciſq;: b *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* O æternum HODIE, quod ſemper fuiſti, ſemper es, & ſemper eris; nunquam deſinens eſſe. O diuina generatio, qua tu Pater ſupreme genuiſti, gignis, & gignes Filium, quem tantoperè diligis! O quanta lætitia dixiſti in tua æternitate, quod poſtea II.

b *Pſal. 2. 7*

Mat. 3. 17. & 17. 5. apud Iordanem, & in monte Thabor, c *hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui!* quis alius præter te, & quod tecum est vnum, intelligere potest amorem, quo tuam ipsam diuinitatem illi communicas; d *si filius sapiens lætificat Patrem*, quanta lætitia afficieris ex eo filio, qui est ipsamet sapientia cum tua?

Prouerb. 10. 1.

III. *Ephes.* 3. 5. O Pater cœlestis, e *à quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur*; siquidem tanto-perè oblectaris, quod sis talis Filij Pater; per eundem tibi supplico, vt multos alios gignas, quorum sis Pater per gratiam adoptionis sicut huius es Pater per naturam. O vtinam & terra, & cœlum, talibus filijs replerentur, vt diuina tua Paternitas, dilataretur & resplenderet in cœlis & in terra!

IV. *Iacob.* 1. 17. *Ioan.* 1. 9. *Heb.* 1. 3. *Ioan* 17. 3 O f *Pater luminum*, à quo procedit g *lux vera*, quæ est filius tuus, h *splendor infinitæ gloriæ tuæ*; da mihi viuæ fidei lumen, quo agnoscam i *te solum verum Deum*, & Vnigenitum, quem genuisti *Iesum Christum*, per quem te agnoscam, & diligam, simque filius lucis in hac vita, & obtineam lumen gloriæ, quo te clarè videam in æterna. Amen.

Cum Vnigenito Dei Filio.

I. *Ioan.* 1. 14. & 8. 42. LOQVAR deinde cum Secunda Diuinitatis persona, eius proprietates percurrens. O fili Dei viui, a *Vnigenite* ex æterna generatione, *à Patre procedus*: Gaudeo, quod per excellentiam sis

VNI-

VNIGENITVS, ita vt nec fuerit vnquam, nec futurus sit talis vnigenitus, atq; es tu, Multi sunt filij vnici suorum parentum, sed tu solus Vnicus es, & Vnigenitus, modoque adeò singulari generatus, vt impossibile sit, alium huic similem inueniri.

II. TV es VNIGENITVS; quia quà Deus, genitus es à Patre sine Matre; esque adeo Vnicus tui Patris, vt non possit ille alium generare; & ab eo solo accipis bonum infinitum, quo frueris ita vt non sit possibile, aut Patrem desistere à tanto bono tibi communicando, aut te, ab eo recipiendo: quia vterque infinitè oblectatur, ille quòd te generet; tu verò, quòd ab eo genereris.

III. TV es VNIGENITVS, quia tu solus inter omnes filios, es imago & figura tui Patris, adeo perfecta; vt eò peruenias, vt sis vna eadēq; res cum illo, ita vt qualis est Pater, talis in omnibus & per omnia sit filius: estque tanta omninò dignitas esse filium, quanta est esse Patrem. O æqualitas infinita! ò similitudo singularis, potiùs admiranda, quàm imitanda! ad quam nullus potest cum æqualitate peruenire, quamuis liceat suspirare, pro impetranda aliqua eius parte.

IV. ES item VNIGENITVS per excellentiam, quia solus accipis hæreditatem paternam, inæstimabiles videlicet eius Diuinitatis diuitias, nihil ipso Patre sibi reseruante, quod tibi non tradat, ita vt sis æquè potens atque ipse, cum æquali etiam potestate generandi alios

filios adoptiuos, qui hæredes sint gloriæ tuæ, in ea portione, quam volueris illis dare. O si me tibi similem faceres, in eo, quod est esse filium: nam b *si filij* (ait Apostolus) *& hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

b *Rom.* 8 17
b *Gal.* 4 7.

V.

TV deniq; es per excellentiam VNIGENITVS, quia c *es in sinu Patris* tui, nunquã ab eo discedens. Gaudeo, ô bonum meum, de requie ista tua æterna, quam habes in paterno isto sinu, penetrans omnia secreta infinitæ sapientiæ Patris tui; & amans infinito amore bonitatem eius, qui te intra se retinet; & bibens totum Torrentem deliciarum & voluptatũ, qui exundat in Diuino ipsius pectore. O si & ego Diuinum istum sinum ingrederer! O si recumberem in sancto isto pectore, vt particeps aliquo modo essem lucis, amoris, & voluptatis, quam isthic habes! nõ sum contẽtus Domine cũ sinu Abrahæ, credentiũ Patris; sed cupio sinũ Patris tui, qui est Pater viuentium: & vti tu es, ego esse cupio, qui dixisti: d *vbi sum ego, illic & minister meus erit.* Aspice, anima mea, quantum sit Patris gaudium, talem filium in sinu suo continere; & quantum ipsius filij, in talis Patris sinu requiescere: & ingredere fide & contemplatione in eundem sinum, vt vtriusque gaudio, quod vnum & idem est, fruaris; & oblectare te cum vtroque, coniungens gaudium tuum cum illorum gaudio, vt faciant te vnum secum. Verùm quid facis, ô verbum æternum & diuinum, ab æternitate tua manens in medio isto sinu? num tibi soli

c *Joan.* 1.18.

d Ioa. 12 26.

illum

llum ita retinebis, vt nullus tecum ſit in eo!) ineffabilis virtus Filij, qui procedens à Pare ſuo, ſimul cum ipſo producit SPIRITVM ANCTVM, tam bonum & tam potentem, tque eſt vterque; Exulto, Deus meus, ob gauium quo frueris in hac productione, qua illi andem Diuinitatem communicas, quam acipis à tuo Patre; & eodem gaudio, quo Pater am tibi communicat. O ſi mihi daretur, e *ſine nuidia communicare* bona, quæ de manu tua ccipio; vt multi te diligerent, ſicut ego diligere opto, in ſecula, Amen.

e *Sap.* 7. 13.

Cum Spiritu ſancto.

EODEM modo cum Tertia perſona Diuinitatis colloquar, percurrens eius proprietates: O ſupreme Spiritus, qui I.
à Patre & Filio, tanquam ab vno principio eterna proceſſione procedis, gaudeo quòd per excellentiam ſis SPIRITVS, qui ſumma voluptate hauris ſpiritum & vitam duorum, à quibus procedis. Tu es SPIRITVS Patris, à quo accipis Diuinitatem & omnipotentiam; & es Filij SPIRITVS, à quo accipis eiuſdem ſapientiam; & es Spiritus vtriuſque, à quibus accipis infinitum amorem, quo ſe mutuò amant, & tu illos eodem diligis amore, quo ab illis diligeris; ita gaudens, quòd ameris, atque illi gaudent quòd te diligant: quia omnes tres eſtis vnus DEVS, vna bonitas, & vnus amor. O ſi coniungerer

Ioan. 15. 26.

Spiritus veritatis qui à Patre procedit.

tibi

tibi in vno ſpiritu, vt totus conuerterer in ſpiritum amoris.

II. Tv es propriè SPIRITVS, quia procedis tanquam impetus & impulſus à beneuola Patris & Filij voluntate; manens tamen intra illos, in vnitate Eſſentiæ, & charitatis; vniens infinitæ amicitiæ vinculo perſonas, à quibus procedis. O ſi procederet à te impetus quidam amoris, qui meam voluntatem impleret, & cor meum penetrans illud raperet, tuoque coniungeret; ex vtroque vnum per amorem faciens!

III. O Spiritus Diuine, qui per excellentiam es SANCTVS, quia procedis cum amore; qui es fons ſanctitatis, quæ non tam conſiſtit in cognoſcendo cum magna ſapientia, quàm in diligendo cum magna charitate. Gaudeo de Sanctitate, quam habes; & de gaudio, quo illam à Patre & Filio recipis, à quibus procedis. Et ſiquidem ab vtroque ſimul, tanquam donum procedis, vt liberaliter iis communiceris, qui fuerint tui capaces; da mihi te ipſum, donum infinitum; vt eo dono ſim & ego Spiritus, ſicut tu, in puritate; & Sanctus, ſicut tu, in charitate; & per eam me totum dedam tibi, ſicut tu das te mihi; vt ſublimi tua Deitate fruar in æternum, Amen.

De mentis oratione ad Imitationem Trinitatis.

PVNCTVM V.

EX dictis in proximo puncto, perpendam rationem & formã orationis mentalis, & internæ cum Deo communica-

tionis

tionis, & similitudinem illius æternæ, quam Tres Diuinæ personæ habent.

NAM sicut Pater æternus, Diuinam suam Essentiam intelligens format conceptum vnum, & viuam sui ipsius similitudinem, quæ est verbum, quod semper intra ipsum Patrem permanet; ita in oratione curandum mihi est, Deum ita perfectè cognoscere, vt intra me formem conceptum eius verum, proprium, & perfectum, qui sit imago & repræsentatio eius, quod est in ipso, iuxta illud Apostoli, a *nos reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur.* Quæ cognitio, debet meritò in me perseuerare, qua maxima fieri poterit continuitate & frequentia. I.

a 2. Cor. 3. 18

PRAETEREA, sicut Pater & Filius, mutuò se amantes, producunt amorem, qui est Spiritus Sanctus, qui etiam remanet intra ipsum Deum; sic ego, statim atque Deum cognouero, & hunc bonitatis conceptum formauero, debeo illum diligere, & producere intra me affectum amoris, cæteroscq; affectus, qui illum comitantur; dans operam, vt quo diutius fieri poterit, maneant in corde meo. tunc enim reipsa locum habet, quòd dixit Sponsa: b *inueni quem diligit anima mea: tenui eum: nec dimittam.* Inuenire, pertinet ad cognitionem & desiderium quærens Deum; tenere autem illum, proprium est cognitionis & amoris iam illum possidentis, & eo fruentis. II.

b Cant. 3. 4

EX his actibus emergit summum gaudium III.

& vo-

& voluptas; cuius est capax anima mea: nam in illis consistit beatitudo, quam possum habere in hac vita; sicut etiam per eosdem possidetur beatitudo æterna, quæ est videre clarè Deum; illum diligere, & eo frui in æternum: vbi communicatio cum Deo Domino nostro erit perfecta, & ei simillima, quam habent diuinæ Tres personæ inter sese: nam, vt ait S. Ioannes: c *cùm apparuerit* nobis Deus, *similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.*

S. *Thom.* 2. 2. *q.* 180. *a.* 7

c 1. *Ioan.* 3. 2

IV.

DENIQVE ex prædictis actibus id efficietur, quòd, vt tres Diuinæ Personæ, habent vnũ sensum, & vnum velle, in omnibus quæ operantur, & simul ea faciunt in vtilitatem creaturarum; sic ego virtute huius internæ cũ Deo communicationis, cum ipso vnitus, lubẽs implebo eius voluntatem, & aliis benefaciã: qui verus est fructus orationis. Hinc verò intelligam, quòd exerceri in huiusmodi oratione, non sit esse otiosum; sed nobilissimam habere occupationẽ, quę sit possibilis; & ad eius similitudinem, quam Deus habet intra se ipsum; quamuis consueuerit appellari otiũ, propter quietem, quã habet Mariæ contemplatio, qua differt ab strepitu & solicitudine occupationis & vitę Marthę. Ob quam causam dixit ipse Dominus per Dauid: d *vacate & videte: quia ego sum Deus*: quasi diceret; expedite vos à rebus aliis, vt possitis attendere contẽplationi; quia tũc videbitis, quòd ego solus sim Deus, ob res glorioſas meæ Diuinitatis, quarum facio fidẽ internam ei, qui vacat, vt eas contempletur.

d *Psa.* 45. 11.

EX his pergam vlteriùs, ad contemplanda myſtica illa verba, quibus S. Ioannes hoc myſterium declarauit, dicens: e *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo*: PATER, VERBVM, & SPIRITVS SANCTVS; *& hi tres vnum ſunt*: Et *tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra*: SPIRITVS & AQVA, & SANGVIS; *& hi tres vnum ſunt*, In teſtimonio ferendo. V:

e 1. *Ioan.* 5 7

CIRCA quæ verba perpendam, quòd tres Diuinæ perſonæ, tanquam legitimi teſtes, qui ſunt in numero ternario, pleniſſimũ dãt teſtimoniũ rerũ omniũ, quæ ad illos ſpectant, idq; ſumma conformitate; eò quòd ſint vnus idẽq; Deus: & ita reipſa teſtimoniũ reddiderunt in mundi creatione, & præcipuè hominis, quem f *fecerunt ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*: Et in g *Baptiſmo* & h *Transfiguratione*, idẽ teſtimoniũ reddiderũt de ſua diuinitate. Et poſtea dederunt teſtimoniũ de veritate ſuæ doctrinæ, de Sãctitate ſuę legis, & de efficacitate ſuæ gratiæ, veniẽte ad id Spiritu S. ſicut ſupra eſt dictum. Sed in particulari reddũt teſtimonium magnitudinum & perfectionum ſuarũ, in ipſis iuſtorum cordibus, admirandis ſuæ Diuinitatis indiciis. Propter quam cauſam, dixit idem S. Ioannes: i *qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe*; quod (teſte Sancto Paulo) proprium eſt ſpiritus Diuini. k *Spiritus enim ipſe* (inquit) *teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij* DEI. Sed vltimum teſtimonium clarum & euidens redlent beatis in gloria; vbi omnes videbunt

f *Gen.* 1. 27.
g *Mat.* 3. 16
h & 17. 5.
S. *Thom.* 1. p. q. 9. 3. a. 5

i 1. *Ioan.* 5. 1

k *Rom.* 8. 16

deſit, aliquam illi imperfectionem adfert. Hoc idem appellatur PVLCHRVM, *quatenus recreat corporis & animæ aſpectum. Appellatur etiam* BONVM, *quatenus mouet, afficit, trahitq; ad ſe voluntatem aſpicientis. Ideoq; tria hæc nomina & epitheta, in ſcriptura Diuina tribuuntur Deo, eiuſq; operibus, propter integritatem & plenitudinem, quam habent in omnibus, quæ eorum natura poſtulat, & debet habere. Hac præmiſſa nominum interpretatione, rem ipſam ſignificatam declarabimus.*

S. Thom. 1. p. q. 5. a. 4. ad 2.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM primò, quòd prima & ſuprema perfectio noſtri magni Dei Trini & Vnius, ſit, eſſe adeò perfectũ, vt in propria ſua natura, includat omnes perfectiones & excellentias poſſibiles abſq; vlla prorſus imperfectione; ita vt nihil omninò illi deſit eorum, quæ in Deum cadere poſſint; nec ſit poſſibile imaginari veram aliquam perfectionem, cuius Deus ſit capax, quæ non ſit in illo, in omnibus perfectionis gradibus, quos poſſibile eſt illam habere, abſque vllo termino aut limite. Quamobem dicit Scriptura: a *magnitudinis eius non eſt finis*; & quod: b *ſpiritus Domini continet omnia*; & quod: c *ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſint omnia*, cum infinito perfectionis exceſſu, abſque admixtione imperfectionum, quas habent in ipſis creaturis. Ideoq; ingenti

S. Dionyſ. de Diuin. nomin. c. 5. S. Aug. in Manu. c. 32.

a Pſal. 144 3
b Sap. 1. 7.
c Rom. 11. 36

admirationis & gaudij affectu, dicam DEO Domino noſtro: *Deus meus & omnia.* O DEVS meus, Deus infinitæ Maieſtatis, firmiſſimè credo, te eſſe omnia, quatenus cum infinita eminentia, in te complecteris omnium perfectionem; quia omnia accipiunt à te perfectionem, quam in ſe habent. Tu etiam es omnia, quia es principium & finis, idea & exemplar perfectionis, quam à te accipiunt, quæ perfectio, quò magis ad tuam accedit, eò illa ſunt perfectiora. Tu es mihi omnia, quæ deſiderare poſſum; tu meæ diuitiæ, meæ deliciæ, mei honores & dignitates, primigenia mea iura, & theſauri infiniti; in te ſolo, ſine vllis aliis rebus, omnia habeo; quæ tamen omnia, ſine te, erunt mihi quaſi nihil. O Anima mea, ſi perfectionem quæris, amplectere Deum; & in eo inuenies illam puriſſimam, abſque vllius imperfectionis commixtione; Si cupis pulchritudinem, reſpice & contemplare Deum; quia in illo eſt tota, abſque vllius deformitatis mixtione; Si bonitatem diligis, dilige Deum; in quo illa ſummè reſplendet, nulla admixta malitia. *O DEVS meus, & omnia mea*, quando veniam, vt te clare videam in tua gloria, vbi operaris omnia in omnibus, in ſecula, Amen.

S. Aug. Medit. c. 12.

HOC verbum copioſiſſimam Meditationis materiam continet, maximè ſi ei adiungatur, quod Pater Filij prodigi, ſuo maiori natu filio dixit: *omnia mea tua ſunt.* Quare, vt, quæ in eo continentur, altiùs penetremus,

diſcur-

discurrendum est per omnes gradus perfectionis ESSENDI, qui sunt in rebus creatis, reducendo illos ad quatuor vel quinque, vt in subiectis punctis apparebit.

PVNCTVM II.

SECVNDO est considerandum, quòd in DEO Domino nostro, sint eminenter omnes perfectiones creaturarum primi ordinis & gradus, scilicet corporalium vitâ carentium, cœlorum inquam & eius stellarum, & planetarum; quatuor item elementorum, & omnium mixtorum, quæ ex eis generantur; & metallorum omnium, auri, argenti & lapidum pretiosorum; nam hæc omnia creauit Deus, deditque illis pulchritudinem & splendorem, quem in se habent; & proprietates ac virtutes, quibus res stupendas operantur: quorum omnium perfectiones sunt in ipso Deo, alio modo infinitè perfectiori. nam quod in creaturis ipsis, ob imperfectionem ipsarum vitâ caret, in ipso Deo habet vitam: iuxta illud: a *quod factum est, in ipso vita erat*: quod scilicet factum est, antequam re ipsa fieret, in Deo erat vita; quia DEUS habebat intra seipsum valde eminenter viuam perfectionem, quam suis creaturis erat daturus, & viuam illarum Ideam, sicut artifex habet in se Ideam rei, quam est facturus. 1.

a *Ioan. 1. 3.*

S. August. & Beda, & alij.

HINC fit, quòd possit DEUS Dominus noster absque his creaturis, facere, quod illę faciunt:

verbi gratia, illustrare mundum sine sole, calefacere sine igne, refrigerare absque vento, humectare absque aqua, & producere absque terra, quod cum illa producit: quia habet in se virtutem & perfectionem horum omnium: quod si his creaturis vtitur, id prouenit, non quod illis indigeat, sed vt infinitam suam bonitatem ostendat, vt posteà videbimus.

III. HINC est etiam, quòd Scriptura sacra, ad perfectiones Dei nobis declarandas, tribuat Deo nomina harum creaturarum, appellans illum *solem* iustitiæ, *stellam* matutinam, *ignem* consumentem, *fontem* aquæ viuæ, *spiritum*, qui vbi vult spirat: Diuitias verò eius gratiæ & gloriæ, declarat nominibus *auri, argenti, & lapidum pretiosorum*: ex quarum rerum pulchritudine & elegantia, & admirandis earum proprietatibus, ascendit ad contemplandam pulchritudinem & elegantiam DEI, & sublimes eius proprietates.

IV. ITA tamen hæc nomina Deo tribuuntur, vt quidquid in rebus his creatis conspicitur, sit vmbræ instar aut figuræ, & quasi nihil; si cum eo, quod est in Deo, conferatur; cuius comparatione cœli non sunt mundi, sol non splendet, luna non est pulchra, & omnis pulchritudo est deformitas. Singulis hisce considerationibus debeo cor meum excitare ad affectus admirationis, amoris, laudis, & gaudij, quòd habeam Deum adeò pulchrum, & in omnibus adeò perfectum.

O DEVS infinite, gaudeo quòd ſol & luna, tuam pulchritudinem mirentur, agnoſcẽtes nullam eſſe, quam ipſi habent, ſi cum plurima tua conferatur. O Dilecte cordis mei, ſi ita me oblectat pulchritudo, & perfectio harum creaturarũ, cur me non amplius oblectat pulchritudo & perfectio tua, ex qua illæ proceſſerunt! Diligam te præ omnibus, qui infinitè pulcher es, & perfectus præ omnibus; nec illas diligam, niſi propter te, à quo illæ accipiunt quidquid perfectionis in ſe habent.

V.

HINC etiam intelligam, quanta ſit amentia, Deum qui infinitè perfectus eſt, relinquere, vt harum creaturarum perfectione & pulchritudine fruar, propter delectationem aut emolumentum, quod ex earum poſſeſſione mihi poteſt obuenire: ſiquidem Scriptura teſte: a *omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum*, & omnes diuitiæ quaſi nihil reputantur. Oblectatio autem, quæ ex eis procedit, eſt ſicut aqua, quæ fluit in b *ciſternas diſſipatas*, cuius cauſa *malum eſt derelinquere fontem aquæ viuæ*, & infinitum eius perfectionis theſaurum.

a Sap. 7. 9.

b Iere. 2. 13.

VI.

DENIQVE in id incumbam aliquando, vt diſcurrens per proprietates aliquarum creaturarum, intelligam perfectiones, quæ ſunt in ipſo Deo, qui cum illis comparatur: ſicut fecit Sanctus Dionyſius, computans triginta quatuor ferè ignis proprietates, per quas tanquam per quædam veſtigia, inue ſti-

Lib. de Cæleſt. Hierarchia c. 15.

gabat proprietates quę ſunt in DEO, qui vocatur c *ignis conſumens*: id quod faciam gaudens, quòd DEUS totum illud habeat, & multo plus; & quod per ſe ipſum poſſit, quod facit per ſuas creaturas.

: *Deut.* 4
4.

PVNCTVM III.

EODEM modo conſiderandum eſt, quòd in DEO DOMINO noſtro, ſunt etiam eminenter perfectiones ſecundi gradus creaturarum corporearum, quæ ſcilicet vitam habent vegetatiuam; augentur & creſcunt, ſibique ſimiles generant: quales ſunt arbores, plantæ, herbæ, & flores odoriferi, quorum proprietates nobis manifeſtantur per fructus, folia, & ſemina quæ producunt per virtutem à ſuo Creatore illis inditam, in quo illæ ſunt cum infinita excellentia; de qua ipſe gloriatur, dicens: a *pulchritudo agri mecum eſt*, arborum videlicet omnium, plantarum, herbarum, & florum, qui ſunt in hortis, & campis huius vniuerſi; & ob eam rem modò appellatur lilium, modò vitis, modò arbor vitæ: ex quibus eliciendi ſemper ſunt aliqui affectus; vt in proximo puncto eſt dictum.

a *Pſal.* 49. 11

EODEM modo ſunt etiam in DEO perfectiones omnium viuentium, quæ etiam ſentiunt; quales ſunt animantes terræ, aues aëris, & piſces maris, quæ ſunt innumerabiles & admirandæ. Nam in quibuſdam eminet magnitudo, in aliis fortitudo, in aliis velocitas, in

aliis

aliis pulchritudo, in aliis astutia & sagacitas: quæ omnia inueniuntur in Deo, cum excessu infinito. Et ita in Diuina scriptura comparatur cum his animantibus, vt ex earum perfectionibus ascendamus ad eas cognoscendas, quas in se ipse habet. Vocatur enim Leo ob fortitudinem; Agnus, ob mansuetudinem; Cerus, ob velocitatem; & Aquila propter pietatem. Ita tamen horum perfectiones sunt in Deo, vt non sint simul imperfectiones, quas habent in ipsis creaturis. Est enim in Deo fortitudo leonis, sed nulla ibi est crudelitas; est Agni mansuetudo, sed non est eius simplicitas; & sic de cæteris.

EX quo constat, posse me ex singulis, quæ video, vbi est perfectum & imperfectum; bonum & malum; pulchrum & deforme, intelligere infinitam Dei perfectionem, remouendo ab eo, quidquid est mali, imperfecti, & deformis; & solùm in eo collocando, quod bonum est, perfectum & pulchrum, & alio modo perfectionis excellentioris. O Dilecte mi, sicut *separo* in te *pretiosum à vili*; vt te cognoscam: ita desidero separare in me pretiosum à vili; vt tibi placeam. Concede mihi, Domine, vt per tuam gratiam, particeps sim altissimæ huius diuisionis, quam tu habes per naturam; vt liber ab imperfectionibus, purus maneam, & perfectus in virtutibus. *Jerem.* 15.19

PVNCTVM IV.

QVARTÒ considerandum est, etiam esse in Deo omnes perfectiones creaturarū intellectualium, tam hominum quàm Angelorum, quos ipse ad imaginē & similitudinē suam cōdidit; quibus dedit Esse spirituale, quod habent; memoriā, intellectū, voluntatem & liberum arbitriū; artes, scientias, virtutes, gratias, potestatem & excellentiā, quæ in omnibus & singulis relucent. Ex quo fit, vt oēs hæ perfectiones sint in Deo, cum infinitè maiori excellentia: ac propterea dixit ipse in quodam Psalmo: a *qui plantauit aurem, nō audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? qui docet hominem scientiam*, erit eius ignarus? & qui dat virtutem & sanctitatem, eâ carebit & qui dat potestatem, quam ipsi habent, spoliabit se illa? Quare, cùm videbo hominum ingenia, in artibus & artificiosis operibus, ad inuenienda habitandi ædificia, ad conflanda vitra, ad cartam conficiendam, telam texendam, picturam, musicam, & similia; statim conscendam ad considerandam infinitam Dei sapientiam, ex qua tanquam fonte & origine, omnes hæ inuentiones processerunt: &, quando videbo prudentiam, & prouidentiam Regum & Gubernatorum in sua gubernatione, & virtutes altissimas, quæ resplendent in sanctis & viris perfectis, leuabo oculos ad considerandam infinitam excellentiam Dei, in

a *Psal.* 93. 9.

hisce

hiſce omnibus rebus, eum propterea laudando, glorificando, ac diligendo.

I. Ex quo deducam primùm, Deum Dominum noſtrum, eſſe infinitum exemplar omnis perfectionis, quod ſemper reſpicere debeam, tum vt infinitas eius perfectiones admirer, in quibus nullus poſſit illum imitari; tum vt exciter ad eas imitandas, in quibus licet eum imitari; iuxta illud quod Redemptor noſter ſuis diſcipulis dixit. b *eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt:* quaſi dixerit contendite, vt nulla perfectio virtutis vobis deſit ex omnibus quas poteſtis obtinere; ſicut Pater veſter, ità eſt in omnibus perfectus, vt nulla illi deſit. O Pater perfectiſſime, à quo omnis perfectio procedit, da mihi, quam habere me iubes; quò ſic habeam, quàm tu vis me habere.

b *Mat.* 5. 4

II. Deducam deinde, quòd ſicut arbor ex fructibus cognoſcitur; nam arbor bona fructus bonos facit: ita Dei perfectio, ex eius operibus deprehenditur; dicente ſcriptura; c *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona* & d *perfecta.* Nec ſolùm id apparet in rebus magnis, quales ſunt cœli & elementa; ſed etiam in minimis, quales formicæ, & vermes; Ad eius itaque imitationem ſtudebo & ego eſſe perfectus, oſtendens perfectionem meam in rebus omnibus magnis & paruis: conando, iuxta conſilium Sapientis, e *in omnibus rebus præcellens eſſe.*

c *Gen.* 1. 31
d *Deut.* 32. 4.
e *Eccl.* 33. 2

III. DENIQVE ſicut res imperfectæ, pro perfectione, quæ illis deeſt, recurrunt ad perfecta in eo genere; ſicut cui deeſt calor, accedit ad ignem; ita ego cùm me videam imperfectum, ad eum meritò accedam, qui eſt infinitè perfectus, vt me perficiat, dando quod mihi deeſt. O Deus infinite, f *imperfectum meum viderunt oculi tui*; à te accepi, quod habeo: tu ergo mihi dabis, quod deeſt: perfice Domine opus, quod incepiſti, me ita perfectum faciens, vt nihil mihi deſit, Amen.

f *Pſal.* 138. 16.

PVNCTVM IV.

I. QVINTÒ conſiderandum eſt, omnes has perfectiones, quas in Deo eſſe diximus; quamuis ſint aliàs innumerabiles, quatenus in creaturis ſunt diſperſæ, in ipſo tamen Deo omnes eſſe vnicam, eamque ſimpliciſſimam, in qua omnes contineantur, ſicut multæ minutæ pecuniæ in vna aliqua maioris valoris; Sic inquam in Deo vna eademque res eſt eius Sapientia, eius bonitas, charitas, miſericordia, omnipotentia, fortitudo, & reliquę, abſque vllo compoſitionis, aut diuiſionis genere: nam ſingulæ perfectiones reliquas omnes imbibunt, ita vt eius bonitas, ſit ipſa ſapientia, ipſa omnipotentia; & omnipotentia eius, ſit ipſamet ſapientia, ipſamet bonitas, & ſic de cæteris. Et propterea fortè dixit ſapiẽs: a *quod Spiritus Dei ſit vnicus & multiplex: & qui capiat omnes ſpiritus.* Ex quo fit, vt non ſolùm in

S. Thom. 1. *p. q.* 3 *a.* 7.

a *Sap.* 7. 22.

Vni-

Vniuersi huius machina, sed in singulis etiam per se Dei operibus, resplendeat coniunctio & vnio admirabilium eius perfectionum, ex qua cognoscere liceat, eius Creatorem esse potentem, sapientem, bonum, infinitum amabilem, &c.

HINC affectus duos & firma proposita cõcipiam. PRIMVM est, intimum desiderium imitandi infinitam hanc diuini esse simplicitatem, in purissima intentionis meæ simplicitate & sinceritate; studendo, vt in omnibus meis actionibus, etiamsi plurimis, resplendeat vna perfectissima intentio placendi soli Deo, quòd ipse talis sit, in quo continentur virtute magnę perfectiones: cuius causa Christus Dominus dixit: b *si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* O DEUS perfectissime, illumina oculum cognitionis meæ, vt in creaturis omnibus, respiciam te earum Creatorem, à quo illæ suam perfectionem accipiunt: Purifica & oculum affectus mei, vt in illis omnibus, diligam te earum benefactorem, à quo illæ suam bonitatem accipiunt: Clarifica oculum intentionis meæ, vt in omnibus meis operibus, purè ac sincerè quæram te vltimum eorum finem, à quo acceptura sunt suum splendorem, quo tu in eis glorificeris in secula. Amen. I.

b *Mat.* 6. 22. *Luc.* 11. 34.

ALTERVM propositum erit, coniungendi in singulis, meis operibus varietatem principalium virtutum, quæ in eis possunt II.

resplen-

reſplendere; ita vt ſingula opera, ſint ſuo modo vnum, & plura, & complectantur multos ſpiritus & effectus Dei. nam ſi oro, aut ieiuno, aut Eleemoſinam facio, hoc opus poteſt habere adiunctos affectus amoris Dei, fiduciæ, obedientiæ, humilitatis, timoris filialis, & alios ſimiles. Et hac fortè de cauſa Chriſtus Dominus noſter, intentionem vocauit oculum; & eius opus, corpus; ſignificans, quod ſicut corpus habet multa membra & partes; ita ſingula opera, varia debent habere virtutum exercitia, omnia verò directa oculo ſimpliciſſimo puræ intentionis, ad gloriam ſolius Dei.

MEDITATIO VI.

DE SVMMA DEI BONITATE ac ſanctitate.

D. Thom. 1. q. 6.

Gen. 1. 31.

VPLEX *eſt bonitatis modus in creaturis: nam* altera *eſt naturalis, in eo poſita, vt omnes partes habeat, quæ illi iuxta naturam ſuam conuenunt: quam ob cauſam dixit de illis ſcriptura* a vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant VALDE BONA: *Altera eſt bonitas moralis, propria creaturarum intellectualium; quæ conſiſtit in cumulo omnium virtutum, & exercitationis*

earum,

earum, quæ illis conueniunt, iuxta ſingularem vitæ rationem: quæ bonitas alio nomine appellatur ſanctitas; & quamuis in creaturis ſeparatæ eſſe poſſint iſtæ bonitates, vt prima ſit abſque ſecunda, quia hæc dependet à libero arbitrio: in Deo tamen ſunt ſimul, quia æquè naturalis eſt ei ſecunda atque prima, licet liberè exerceat actus prioris erga creaturas. Quare vtramque complectetur hæc Meditatio, ijs præmiſſis, quæ in proxima ſunt dicta.

PVNCTVM. I.

PRIMVM conſiderandum, Deum Dominum noſtrum eſſe infinitè bonum: ſummamque eius bonitatem in tribus conſiſtere.

PRIMVM, quòd ita in ſe claudat omnes gradus & rationes bonitatis, quæ in creaturis inueniuntur: vt nullam vel imaginari poſſimus bonitatem, quæ in Deo non ſit infinitè excellentior. Quamobrem Moyſi à Deo petenti: a *oſtende mihi gloriam tuam*, reſpondit Deus: *ego oſtendam tibi omne bonum*: ſignificans ſe eſſe omne bonum; & in ſe claudere quidquid bonum eſt. I.

a *Exod.* 33. 19.

SECVNDVM, in quo Dei bonitas conſiſtit, eſt, quod totam illam bonitatem habeat ipſe Deus ita in ſua ipſius eſſentia; vt neque ab alio illam participet, neque diuinæ ipſius naturæ adiecta ſit, aut ita adiectitia, vt apponi & auferri poſſit, ſicut in nobis; ſed æquè illi naturale ſit bonum eſſe, ac ſanctum; atque eſſe II.

Deum

Deum. Quam ob causam Christus ipse Dominus b *cuidam Principi dicenti: Magister bone,* (existimanti IESVM esse purum hominem) *respondit: quid me dicis bonum?* NEMO BONVS NISI SOLVS DEVS: Nam solus Deus ist ipsamet bonitas per suam essentiam.

b *Marc.* 10. 18. *Luc.* 18. 19.

III. TERTIVM, in quo Dei bonitas consistit, est, quòd eius bonitas & sanctitas omnium creatarum rerum, & quæ creari possunt, bonitatem adeò excellat; vt eius comparatione nec nomen bonarum illæ mereantur: nam earum bonitas cum Dei bonitate comparata, est atque si non esset: & ob hanc etiam causam, idem Christus Dominus dixit eidē Principi: (teste S. Matthæo) nullum esse bonum, nisi solum Deum, & quod c *vnus est bonus Deus.* Eodem quoque sensu Samuelis mater dixit: d *non est sanctus vt est Dominus: nec est alius extra te*: quasi diceret, non est alius qui vocari possit Sanctus, sicut Deus: quia ille solus implet nomen sanctitatis.

c *Mat.* 19. 17
d 1. *Reg.* 2. 2.

HINC deducitur fundamentum veræ ac profundæ humilitatis, quam habent sancti in conspectu Dei: Quæ humilitas innititur duabus his rebus postremis: Nam omnis hominum Sanctitas, est adiecta ipsorum naturæ, ac de se mutabilis; & comparata ad sanctitatem Dei, est quasi nihil. Et ita quidam amicus Iob, conferens Angelos cum Deo, e *ecce,* inquit, *inter sanctos eius, nemo immutabilis, & cœli non sunt mundi in conspectu eius.* O Deus sanctissime, qui per excellentiam vocaris f *sanctus sanctorum*

e *Iob.* 15. 15. & 4. 18.
f *Dan.* 9. 24

ctorum, eò quòd principium sis, exemplar, & finis totius sanctitatis, animo exulto, ob summam quam habes bonitatem & sanctitatem, cum infinita in ea firmitate & stabilitate. Confiteor, DOMINE, me sanctitatem nullam, nisi, tu dederis, habere posse; nec in ea persistere, nisi tu conseruaueris: & quamuis plurimam mihi largiaris, ea tamen comparatione tuæ, adeò erit exigua, vt faciem meam velans, præ pudore clamẽ, sicut Seraphini, g *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*: Ter enim sanctus es, ob tres excellentias sanctitatis, quam habes: propter quam supplico, facias me in profunda hac humilitate fundari, vt fiam dignus qui ad altissimam sanctitatem ascendam. g *Isa.* 6.3.

PVNCTVM II.

DEDVCENDO quæ diximus ad magis particularia, secundò perpendam infinitas DEI DOMINI nostri virtutes, ob quas est ille infinitè bonus, & sanctus; quarum aliquas excellentias expendam. Virtutes Dei exemplares.

PRIMA, quòd DEUS DOMINUS noster cum infinita eminentia habet omnes virtutes, quæ in sanctis sunt diuisæ siue hominibus, siue Angelis, idque sine imperfectionibus & limitationibus, quas in ipsis habent. Habet itaque infinitam prudentiam, iustitiam; fortitudinem, temperantiam; infinitam charitatem, liberalitatem, & misericordiam; I

infi-

infinitam manſuetudinem, clementiam, patientiam, & omnes reliquas, ita vt nulla illi deſit earum, quæ non ſupponant imperfectionem aliquam in ſubiecto, in quo ſunt. Ac propterea ore pleno appellatur a *omne bonum*; & *Deus*, & b *Dominus virtutum*; in quo ſcilicet non vna & altera, ſed omnes omninò virtutes ſunt; quia omnes pertinent ad infinitam bonitatem & ſanctitatem Dei; & ſingulæ ſecum tanquam concatenatas adferunt reliquas, à quibus procedunt. Nam hæ virtutes, cùm ad ſuam perfectionem peruenerunt, quaſi annulis inter ſe ſunt colligatæ, ſicut ſunt in Deo; quem in hoc imitari ſtudebo, contendens non ſola vna excellere, ſed in omnibus, dicens: Deus virtutum, fac me tibi ſimilem in omnibus eis.

a *Exod.* 33. 19.
b *Pſal.* 23. 10. & 45. 8 & 79. 5.
S. Thom. 2. 2. *q.* 65. *a.* 1.

II. SECVNDA excellentia eſt, quod virtutes DEI DOMINI noſtri, ſunt Idea & exemplar quoddam infinitum omnium earum, quæ ſunt aut eſſe poſſunt in ſanctis; quorum virtutes, eo ſunt magis aut minus perfectæ, quo magis aut minus diuinas referunt, & illis ſunt ſimiles: quæ tamen adeò ſunt infinitæ, vt alius quã ipſe DEUS comprehendere illas nequeat. Sed earum tamen immenſam magnitudinem ſenſim licebit veſtigare ex ijs, quę ſunt in Sanctis. AD quam rem iuuerit conſiderare quatuor genera virtutum, quas verbis grauiſſimis & maximè ſpiritualibus proponit S. Thomas. Et vt ab inferioribus incipiamus, Primæ virtutes ſunt *Politicæ* & *Morales*, illorum homi-

1. 2. *q.* 61. *a* 1.

I.

num

num propriæ, qui vitam ſuam inſtituunt iuxta dictamen & regulam rationis; & ita ſuarum paſſionum impetum moderantur, vt à rationis regula non declinent.

ALIAE ſunt virtutes adſpirantium ad ſimilitudinem diuinam, & illam requirentiũ; qui præſtare deſiderant, quod Chriſtus Dominus dixit: *e eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*; qui virtute *Prudentiæ*, contemnunt res omnes huius ſeculi, contemplantes diuinas; ad quas omnes cordis ſui cogitationes dirigunt: virtute *Temperantiæ*, relinquunt quod appetit corpus, quantum vita ipſa ferre poteſt, & natura permittit; *Fortitudine*, non terrentur; eò quòd à corpore ſeparentur, aut quod magis appropinquent ad æterna; *Iuſtitiæ*; efficiunt, vt anima tota, cum ſuis potentijs ac ſenſibus in hanc vitæ rationem conſentiat. 2. c Mat. 5. 48. 3.

ALIAE ſunt virtutes eorum, qui diuinam aliquam ſimilitudinem iam ſunt conſecuti, quorum prudentia ſolùm reſpicit res diuinas; *Temperantia*, non ſentit cupiditates terrenas; *Fortitudo*, iam non experitur animi perturbationes; & eorum *Iuſtitia* [illegible]dere quodam perpetuæ amicitiæ, eſt cum Deo coniuncta, quem pro viribus æmulatur. Quæ virtutes ſunt propriæ beatorum, at aliquorum huius vitæ perfectiſſimorum. Quæ diximus ferè ſunt verba S. Thomæ. 4.

HINC aſcendam ad contemplandas virtutes ſupremas, quæ exemplares appellantur,

& propriæ ſunt Dei ſolius, amuſſis, & exemplar omnium, quas retulimus; ſed cum adeò infinito exceſſu, vt reliquæ omnes, harum comparatione, obſcuratæ videantur, & quaſi non eſſent; vt ſimpliciter Deo dicere poſſimus, quod ait Eccleſia, *tu ſolus Sanctus & non eſt alius extra te*: tu ſolus prudens, tu ſolus modeſtus, tu ſolus fortis, tu ſolus iuſtus, & non eſt inter Deos aut inter filios Dei, qui tibi poſſit æquari, aut de ſe præſumere. O Domine Deus virtutum, ſummo exulto gaudio, ob infinitam excellentiam, qua in illis polles; tu es ipſa prudentia, cognoſcens quod in te habes; tu, ipſa temperantia, tibi ipſi te conformans; tu, ipſa fortitudo, adhæreſcens tuæ immutabilitati; tu ipſa iuſtitia, ſeruans tuam æternam legem; tu ipſa charitas, tuam diligēs charitatem, & per eam eos etiã, qui eius ſunt participes. O ſi mihi daretur, aliquid participare tuarum virtutum, vt illis te glorificarē! O Dulciſſime IESV, qui hortatus es: *eſtote perfecti, ſicut Pater veſter perfectus eſt*; & tu ipſe, quà homo es, ſupremam virtutũ perfectionem es aſſecutus, & ſummam quæ in eiſdem eſſe poteſt cum D[illegible]ilitudinem: Concede mihi, vt eas imiter, quas in tua ſacra humanitate exercuiſti; vt etiam illas æmuler, quæ relucent in ſuprema tua diuinitate, Amen.

in Cantico Gloria in excelſis.

HINC ergo decet concipere ingenua quædam propoſita & deſideria, vt non velim eſſe contentus virtutibus politicis; ſed eas quærere, in quibus maior eſt cum Deo ſimilitudo;

& con-

& contendendo omnibus meis viribus eas conſequi.

III. EX his oritur alia excellentia Dei in his virtutibus; quòd ſcilicet ſit principium & cauſa reliquarum; à quo propterea tanquam à proprio Domino ſunt petendæ: ipſius enim eſt, illas nobis communicare, & eaſdem conſeruare, augere, ac in ſuis gradibus perficere: ac propterea vocatur *Dominus virtutum*. Quare DEUS eſt DOMINUS fidei, timoris, & ſpei; DOMINUS caſtitatis, humilitatis, obedientiæ, & charitatis, cum ceteris gratijs ac donis, quæ illam ſequuntur. Et gloriatur ipſe in hoc, quod ſit earum DOMINUS. Quod ipſum quaſi titulum & cauſam adhibebo, ad has virtutes, & reliqua eius gratiæ dona impetranda, dicens cum DAUIDE; d *Deus virtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuam & ſalui erimus*. O Rex virtutum, illas mihi concede, in quibus regnum tuum conſiſtit; vt per eas in me regnes.

d *Pſal.* 79.8

IV. CONFICIAM denique canticum laudis DEO DOMINO noſtro, propter eius virtutes, inuitans & prouocans omnes, ad eundē propter illas laudandum: imò & ipſas, vt & ipſæ DEUM laudent, dicens cum DAUIDE: e *laudate Dominum in ſanctis eius, laudate eum in firmamento virtutis eius: laudate eum in virtutibus eius, laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius*. Laudate eum omnes Angeli; & omnes virtutes eius laudate eum,

e *Pſal.* 150. 1

laudet eum eius misericordia; laudet ac glorificet eum ipsa eius sanctitas. Amen.

PVNCTVM III.

TERTIÒ, consideranda est infinita puritas & sanctitas Dei in omnibus suis operibus, in quibus vtramque illam sanctitatis & iustitiæ partem patefacit, quam Dauid appellat; a *declinare à malo, & facere bonum*: Carere scilicet omni malo, & possidere omne bonum.

a *Psal.* 36. 27.

NAM primùm ipsæ Dei Domini nostri virtutes, adeò sunt mundæ, vt sit impossibile, contrarium aliquid admittere aut defectum: aut quod vel in puncto degeneret ab infinita eius perfectione. Quare in Deũ nec vitium, nec peccatum, nec defectus aut imperfectio aliqua cadere potest: Et tam est proprium bonitatis Dei, quòd sit impeccabilis; atque quòd sit Deus. Non est possibile illum peccare ex ignorantia boni: quia nouit omnia; neque ex obliuione, aut inaduertentia, quia omnium est memor; non ex imbecillitate: quia omnia potest; non ex perturbatione, quæ illum abripiat: quia omnia præuenit; non ex timore: quia neminem timet; non ex malitia: quia ipse est summa bonitas & regula prima, à qua discedere non potest. Quare impossibile est, in Deum cadere mendacium, infidelitatem, dolum, fraudem, impatientiam, tyran-

I

nidem

nidem, aut aliud peccatum, aut eius vmbram, quia b *mundi sunt oculi eius, ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non possunt*, eam videlicet approbantes.

b *Habac.* 1. 13.

HINC fit, vt non solùm Deus per se peccare non possit; sed neque esse causa, quòd alij peccent; eos videlicet ad id mouens aut inclinans: hoc enim alienum est ab infinita eius puritate; esset què ipse sibi contrarius, & ordini infinitæ suæ sapientiæ ac bonitatis. *Fit* item, quòd quamuis Deus suscipere possit naturam humanam, omnibus huius vitæ pœnis subiectam; non est tamen possibile, eam accipere subiectam peccato.

II.

S. *Thom.* 1 p. q. 49. a. 3. & 1. 2, q. 75 a. 1.

S. *Thom.* 3. p. q. 15. a. 1.

EX quo concludo, quòd infinita Dei bonitas & sanctitas resplendeat in puritate & sanctitate operum eis, & quòd eius virtutes non sint in eo otiosæ; sed, quandocunq; ille operatur, manifestari eas in ipsis eius operibus; ideoq; dixisse Dauidē: c *fidelis Dominus in omnibus verbis suis: & iustus in omnib. vijs suis: & sanctus in omnibus operibus suis.* Et hoc vltimum bis repetit; in quo vult, vt homines strenuè ipsum imitentur: ideoque populo suo dixit: d *nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quidquā* ex quo *immūdi sitis*; d *sed sancti estote: quia ego sanctus sum.* & eisdem verbis exhortatur S. Petrus omnes fideles, vt e *in omni conuersatione sint sancti.* O Deus sanctissime, qui sola tua bonitate *nos* f *elegisti, vt essemus sancti & immaculati in conspectu tuo*; fac me talem esse, vt omni culpa reiecta, virtute omni, & san-

III.

c *Psal.* 144. 13. 17.

d *Leuit.* 11. 45 d & 16.

e 1. *Petr.* 1. 1

f *Ephes.* 1. 4

ctitate exorner. O cœleſtes Seraphini, qui Deum veſtrum nomine Sancti quo ipſe tantoperè delectatur laudauiſtis; venite ex iſto cœlo, & g *calculo* ſiue pruna amoris purificate *labia mea*, ſicut Iſaiæ, & ſimul cor meum, vt ſim totus purus ac ſanctus in conſpectu Domini mei.

; *Iſaia. 6, 6.*

Ex hac conſideratione præcipuè cõcipiam magnũ propoſitum, diſcedẽdi ab omni genere culpæ grauioris, imò & leuioris, & cuiuſcunq; defectus, imperfectionis, quin etiã omnis vt ſic dicã, odoris eius, quantũ mihi poſſibile erit; memor illius quod dixit Deus populo ſuo: h *perfectus eris & abſq; macula cum Domino Deo tuo*: & ſtudebo, etiã in terra imitari puritatẽ, quæ eſt in cœlo, vbi i *Eccleſia* (vt ait Apoſt.) *erit glorioſa, non habens maculã aut rugam, aut aliquid huiuſmodi*: quod, pro meo modo, præſtare etiã poſſum in hac vita; ſi adhibeã ſtudiũ ac diligentiam, vt etiam leuiora deuitẽ: &, ſi quando, vt pote imbecillis, lapſus fuero, vt ſtatim me ab eis purgem; vt ſaltẽ aliqua hora & parte diei, poſſit dicere Deus animæ meæ; k *tota pulchra es amica mea, & màcula non eſt in te.* Ac deniq; firmiter ſtatuam, non gloriari in hac vita de honoribus aut genealogijs, dignitatibus, ingenio, eruditione alijſue talentis; ſed præcipuè de virtute & ſanctitate; memor quod Deus Dominus noſter de ijs potius gloriari voluerit, quam de reliquis ſuis attributis erga nos. Nã cum non eſſet nomen proprium, quo tertia perſona SS. Trinitatis

Deut. 18. 3.

Ephe. 27

: *Cant. 4. 7*

appel-

appllaretur, ei tanquam proprium attribuit nomen *bonitatis & ſanctitatis*: non enim appellauit ſpiritum æternum, aut immenſum; ſed Spiritum S. & Spiritum bonum. Et eodem nomine vult ipſe Deus ab hominibus appellari, ſicut à Seraphinis. O diuine Spiritus, qui nomen SANCTI tibi vt propriũ aſſumpſiſti, quia plurimùm de ſanctitate gloriaris; cõcede & mihi de eadem, prę rebus omnibus creatis gloriari; procurãdo eam mihi, tanquã propriã ſolicitè applicare, vt cõſtãter ac firmiter ſim ſanctus in tuo cõſpectu, in æternũ. Amen.

MEDITATIO VII.

DE SVMMA PROPENSIONE bonitatis Dei ad communicandum ſe omnibus, præcipuè verò hominibus; ac de ratione ſe communicandi per innumera beneficia.

HAEC *Meditatio erit fundamentũ omnium diuinorũ beneficiorũ, quæ ab infinita Dei bonitate, tanquã à fonte procedũt: qui Deus in ſua quidẽ æternitate neceſſariò communicauit totam ſuam diuinitatem per cognitionem Filio; & Spiritui S. per amorem; poſtea verò extra ſe, non neceſſario, ſed liberè ſe communicat omnibus modis poſſibilibus, vt in ſubiectis punctis conſtabit.*

PVNCTVM. I.

Cap. 4. de diuin. nomin. S. Them. 3. p. q 1:a.1.

CONSIDERANDA primum est summa propensio bonitatis Dei, ad se communicandum & benefaciendum alijs. nam (vt S. Dionysius ait) *bonum est diffusiuum sui*; cuius eò maior est ad id inclinatio, quò ipsum bonum est maius; & quò idem se potest amplius cõmunicare. Et quoniam Deus est summum bonum, ideò eius propensio, ad se communicandum omnibus, quibus potest modis, est summa. Et in hac communicatione magnas ostendit excellentias.

I. PRIMA excellentia est, quòd non necessitate, coactè, aut violenter; sed sola sua bonitate & libera voluntate se cõmunicat: quia bonus est, & propensionem illam suæ bonitatis ad benefaciendum, vult sequi: quò valdè me obstringit, ad ipsum eadẽ ratione amandum & illi seruiendum. Quare meritò dicam cum Dauide: a *voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine: quoniam bonum est.*

a *Psal.* 53.8.

II. SECVNDA excellentia est, quòd, dum se cõmunicat, non proprium emolumẽtum, sed nostrũ quærat. nam ex eo quod alijs se cõmunicet, nihil boni illi accedit: tã enim erat beatus, antequam conderet mundũ, atq; nunc est: & ita dixit Dauid; *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*; subditque fructum, quem ex hac cõsideratione hauriebat, dicens: *Dominus mirificauit oẽs voluntates meas in sanctis qui sunt in terra eius*; quasi diceret, quoniã

b *Psal.* 15.

meis

meis operibus fructum tibi adferre non poſſum; hanc gratiam mihi feciſti, vt voluntates ac deſideria mea dirigãtur ad benefaciendum ſeruis tuis; & hac ratione pro bono, quod in me confers, reſpondeam, aliis benefaciens.

III.

TERTIA excellentia eſt, quòd nõ ſinat, illam ſuæ bonitatis propẽſionem eſſe otioſam; ſed maximè exerceat, communicans illam omnibus modis, quibus erat poſſibile, etiam ſummo. Nam, quia bonum eſt ſui ipſius diffuſiuum, DEUS ipſe diffudit ſe, quantum iuxta infinitæ ſapientiæ ſuæ ordinem, potuit: qua ratione me etiam obligat, vt in eius obſequiũ, & in bonum proximorum, me ipſum diffundam, faciens quidquid potero boni; idque maxima, quæ poſſibilis erit, perfectione. Quare dum oro, c *effundam*, ſicut Anna illa, *animam meam in conſpectu Domini*, aut ſicut DAUID: d *effundam in conſpectu eius orationem meam*, faciens extremum quod potero, *donec deficiat ex me ſpiritus meus*. Et quando diligo, e *effundam coram illo cor meum*, & affectus meos, vt omnes in eo amando occupentur. O ſummum bonum, quod ſummè appetis communicari: nam, ſi tu non te communices, impoſſibile eſt, aliud eſſe bonum extra te: Fac me participem harum excellentiarum, quibus te communicaſti, vt amem te, & ſeruiam, ac obediam tibi, non coactus aut ex timore, ſed lubens & ex amore; non ob emolumentum meum propriũ, ſed ob tuum ſolum ſeruitiũ; non animo parco & contracto, ſed liberali & generoſo, faciens

c 1. *Reg.* 1. 15.
d *Pſal.* 141. 3
e *Pſal.* 61. 9.

ſummum, quod potero, in gratiam proximorum & tuam, ſicut tu feciſti in meam.

PVNCTVM II.

VT veniamus ad particularia huius communicationis bonitatis Diuinæ, conſiderandum eſt ſecundò, quòd eadem bonitas communicauerit eſſe & bonitatem naturalem creaturis, diuidens in illis quatuor gradus magnę pulchritudinis & perfectionis, quos Meditatione quinta inſinuauimus. Nam quibuſdam creaturis dedit ſolùm Eſſe corporeum, licet cum magna perfectionis varietate; ſicut cernere licet in cœlis, elementis, & mixtis; aliis dedit vitam vegètantem, quales ſunt arbores, plantæ, & flores; aliis etiam dedit ſentientem vitam, quales ſunt animantes, aues, & piſces; aliis dedit Eſſe ſpirituale, & vitam intelligentem, quales ſunt Angeli trium Hierarchiarum; quos omnes gradus ſimul colligens dedit homini, ex corpore & ſpiritu compoſito, dedit enim illi Eſſe ſicut cœlis & elementis; vitam ſicut plantis, ſenſum ſicut animalibus; & intellectum ſicut Angelis: quamobrem homo appellatur, a *omnis creatura*, & mundus abbreuiatus. Quare iſti quatuor gradus Eſſe & perfectionis, ſunt inſtar b *quatuor illorum fluuiorum, qui egrediebantur ex fonte paradiſi*, qui fons eſt infinita Dei bonitas, & fluuij rigant per diuerſas partes, terram & cœlum: &

a *Mar. 16 15*
S. Gregor. Homil. 29.
1 Euange!.
b *Gen. 2. 6.*

tan-

tandem omnes quatuor ſeſe recipiunt in hominem, quem propterea ſimillimum faciunt paradiſo, ex quo fluxerunt. Ex quo magnos eliciam affectus admirationis & gaudij, gratitudinis & amoris ob admirandum hunc modum, quo ſe Deus hominibus communicauit: admirans videlicet infinitam eius ſapientiam, quam oſtendit in hac communicatione; gaudens de eius omnipotentia; gratias agens pro tanta liberalitate, & amans infinitam ipſius bonitatem. O ſumma & ſuprema bonitas quas gratias tibi reddam, pro hac perfectionum varietate, qua naturam meam exornaſti! Iam aduerto, quàm meritò iubeas, vt quatuor his circumſtantiis te diligam, c *ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus meis viribus, & ex tota mente mea.* rectum eſt ſiquidem, vt totum, quod à tua bonitate accepi, occupetur in eadem ſine fine diligenda. Diligam ergo te ex toto corde, ob Eſſe corporeum, quod mihi dediſti; diligam ex tota anima mea, propter donatam mihi vitam, qua per illam viuo; diligam te omnibus viribus meis, ob communicatos mihi ſenſus & potentias, quibus vtor; ac demum te diligam ex tota mente mea, ob ſpiritum & intellectum mihi communicatos. O ſi egrederentur ex meis viſceribus quatuor d *flumina aquæ viuæ*, feruentium ſcilicet affectuum, amoris, gaudij, gratitudinis, & laudis, ob quatuor beneficiorum fluuios, quibus me totum adeo benignè aſperſiſti.

S. Thom. 2. 2. q. 44. a. 4. & 5.

c *Luc. 10. 27*

c *Marc. 12. 30.*

d *Joan. 7. 30*

PVNCTVM III.

PRAETEREA considerandum, quòd bonitas Diuina non sibi satisfecit prædicto modo communicationis; ideoque excellentissimum alium elegit, in quo etiam sunt quatuor gradus, qui tamen omnes prædictum Esse naturale excellunt.

I. PRIMVS gradus est Esse supernaturalis gratiæ; per quod homines & Angeli eo vsque perueniunt, vt efficiantur a *Diuinæ consortes naturæ* filij & amici Dei. Huic Esse coniuncta est charitas, & reliquæ supernæ virtutes, & Spiritus sancti dona.

2. *Pet.* 1. 4.

II. SECVNDVS gradus est Esse gloriæ, quo iusti b *efficiuntur* in perpetuum *similes Deo*, in glorioſis quas ille habet, regnantes cum eo in ipsius regno.

b 1. *Ioan.* 3. 2

III. TERTIVS & supremus gradus est Esse personalis ipsiusmet Dei, quod communicauit secunda persona Sanctissimæ Trinitatis humanæ naturæ. Etsi fuisset conueniens, vt æternus Pater, aut Spiritus sanctus, propria sua Esse personalia, alicui alteri naturæ communicarent; aut, vt ipse Filius pluribus naturis personale suum Esse communicaret, neq; huic communicationi defuisset Diuina bonitas, nec infinita propensio eius ad se communicādum creaturis. *De qua communicatione fusiùs diximus in secunda parte huius operis.*

IV. QVARTVS gradus est etiam admirandus: nam, cùm non esset conueniens, vt filius Dei

ſuum Eſſe perſonale communicaret pluribus naturis humanis; Diuina bonitas ipſum eò inclinauit ac deduxit, vt illud Eſſe diuinum, cum duabus eius naturis diuina humana, communicaret omnibus hominibus in ſanctiſſimo altaris Sacramento coniungens illas ineffabili quodam modo cum ſpeciebus panis & vini, cum quibus totus ipſe Chriſtus, verus Deus & homo, ſeſe nobis communicat. *S. Thom. 3. p. q. 4. & 5.*

IN his quatuor beneficiorum gradibus, ſunt perpendenda duo valde eminentia.

1. FRIMVM eſt, quòd infinita Dei bonitas voluerit explere infinitam ſuam propenſionẽ communicandi ſe hominibus, quatuor prædictis modis; in quorum duobus poſtremis ſoli homini, non verò c *Angelis* ſe communicauit. Quo facto ſatis apertè oſtendit: d *delitias eius eſſe cum filijs hominum*; quos non ſolùm fecit ad ſuam imaginem & ſimilitudinem; ſed effecit etiam, vt vnus eorum eſſet ipſummet verbum, quod eſt ipſamet imago & ſimilitudo infinita Patris, & vnus cũ illo Deus. O Bonitas infinita Dei & ſupremi noſtri Domini, ſi adeò tibi homines ſumus obſtricti, quòd in nobis cõiunxeris quatuor beneficiorũ fluuios inteſſe naturali; quanto erimus tibi obſtrictiores, quòd in eadem noſtra natura coaceruaueris quatuor alios fluuios incomparabilium beneficiorum in Eſſe ſupernaturali. Etſi deuinxiſti nos, dans nobis Eſſe creatum; quanto magis deuincti erimus, quod etiam dederis ipſum Eſſe increatum! parum tibi viſum eſt, Deus

c *Heb. 2. 16*
d *Prou. 8. 31*

meus,

meus, communicasse nobis bona, quæ sunt extra te: ideoque iis adiicere voluisti, vt te ipsum cõmunicares! ô si quis mihi daret eiusmodi bonitatem, quæ vehementer inclinaret ad communicandum tibi quidquid habeo, totum illud exponendo in dilectione & obsequio eius, qui tantis me bonis affecit! Et, si-
e *Eccl.* 1. 7. quidem e *omnia flumina, quæ exeunt ex mari, ad mare reuertuntur, vnde exiuerunt*; æquum est, vt omnia flumina, quæ ex immenso tuæ bonitatis mari sunt egressa, ad eandem redeant, per gratitudinem: & attribuamus soli tuę infinitæ bonitati, quidquid boni est, quod in nostra natura inuenitur.

II. SECVNDVM in eisdem beneficiis perpẽdendum est, quòd, cùm infinita Dei bonitas aduerteret, non decere, vt Esse illud diuinum, omnibus naturis creatis communicaretur; quò infinitam suam ad se communicandum propensionem expleret, elegit communicare illam tali vni naturæ, in qua omnes essent; & omnes quatuor gradus essendi, qui in omnibus mundi creaturis sunt distributi; ideoque dicendus est se omnibus communicasse, & omnes honorasse eo modo, qui maximè conueniebat. Nam omnes corporeas naturas honore affecit, cum nostro corpori Diuinum suum Esse communicauit; & omnes spirituales naturas nobilitauit, cùm se spiritui nostro coniunxit: ac propterea gratias illi debeo immensas: & par est, creaturas omnes ad eum laudandum inuitare, propter eam partem,

quam

quam & ipsæ in hoc supremo beneficio habent; & meipsum animare, vt bonus sim & sanctus *f corpore & spiritu*; siquidem infinita Dei bonitas, adeò voluit vtrumque in me honorare & exaltare. 1. Cor. 7. 34

ALII modi quibus Dei bonitas se nominatim communicat suis electis, exprimentur in sequentibus meditationibus.

MEDITATIO VIII.

QVAM SIT AMABILIS Dei bonitas, & quàm digna, quæ summo amore diligatur, tum propter se ipsam, tum propter innumera bona, quę nobis communicat, & infinitas delicias, quas in se continet, & ab ipsa procedunt.

PRAECIPVA *bonitatis proprietas est, esse amabilē, & per eam Philosophi definierunt* Bonum, *dicentes*: bonum est quod omnia appetunt: *nam bonum mouet voluntatem & nostras appetitiones, vt illud ament & appetant. Tituli & motiua, cur bonitas sit amanda, ad tria velut capita*

apita referuntur. Inprimis *enim est amabilis propter ſe ipſam & perfectionem, quam in ſe habet.* Deinde *eſt amabilis, quia eſt nobis vtilis; & propter bonum, quod nobis confert:* ac Denique, *quia eſt delectabilis, magnamq; adfert iucunditatem & delectationem eam poſſidenti: & hæc vna cauſa eſt, cur vulgo & communiter diuidatur* bonum *in* honeſtum, vtile *ac* delectabile *ſiue* iucundum. *Vtile vocant non id ſolum, quod medium eſt ad finem conſequendum, ſed etiam quod eſt cauſa cuiuſcunq; noſtri boni & commodi. Hi tres tituli eminent, infinitè in Dei bonitate, vt ſit infinitè amabilis; ſicut in ſubiectis punctis apparebit.*

S. Thom. 1. p. q. 5. a. 6.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM primò, quòd bonitas Dei ſit ſummè amabilis propter ſe ipſam, & propter infinitam pulchritudinem & perfectionem, quam in ſe habet: & quoniam, quo bonitas & pulchritudo rei maior eſt, eò eſt amabilior: ideo bonitas & pulchritudo infinita, erit infinitè amabilis propter ſe ipſam: ipſa enim eſt finis vltimus, ad quem omne, quod bonum eſt, ordinatur; ipſa autem ad nullum alium finem, niſi ad ſe ipſam.

I. HINC primò efficitur, quod ſolus Deus poſſit amare ſuam bonitatem, quantùm illa poteſt, & meretur amari; quia illā amat amore infinito, cōplacés ſibi in ea, & infinito gaudio ſeſe cum ea oblectans. Et ego debeo etiam

pro-

ɔropterea gaudere, exultans plurimum, quòd Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus impleant totum amorem, quẽ infinita eius bonitas poſtulat; & quòd adeò illa ſit infinita, vt nullus homo aut Angelus, tanto amore poſſit illam amare, atq; ipſa digna eſt: & admirabor atque obſtupeſcam tantam eius immenſitatem: nam etiam eſt quidam modus amoris, cum ita me ledo; vt fatear, me non poſſe tantùm amare Deum, quantùm ipſe meretur. O Deus amabiliſſime, ſi poſſem ita amare te atque tu es amabilis, & amari mereris! O ſi anima mea capax fuiſſet amoris infiniti, vt eum bonitati tuæ infinitæ totum tribuerem. O ſi a *amore languerem* ſicut Sponſa, ac deficerem præ deſiderio amandi, & languerem, quòd non poſſim tantùm amare, atque meum eſt deſiderium.

a Cant. 2. 5. & 5. 8.

HINC fit ſecundò, quòd plus debeam amare infinitam hanc Dei bonitatem, quàm me ipſum, & quàm reliqua omnia amabilia huius vitæ: & quò maiori amore mihi erit poſſibile. Nam licet non poſſim tanto amore illam amare, atque illa digna eſt; iuſtiſſimum eſt tamen, vt toto quo poſſum amore illam amem, nec vno quidẽ pilo ſubtracto. Et hoc eſt quod quærit DEVS Dominus noſter, cùm tot verbis repetitis iubet, vt ipſum, b *diligamus ex toto corde noſtro, ex tota anima, & ex tota virtute, & ex omnibus viribus, & ex tota mente*, hoc eſt, vt ſummo amore, & conatu nobis poſſibili illum amemus, & pluris æſtimemus, quàm quidquid creatũ eſt, & creari poteſt. O ſumma

II.

b *Deut.* 6. 5 *Matt.* 22. 37 *Marc.* 12. 30. *Luc.* 10. 27.

bonitas, da mihi ſummum amorem mihi poſſibilem, vt toto illo te amem! O ſi amor omnium Angelorum, & Seraphinorum & omnium Sanctorum, qui ſunt in cœlo, & adhuc in iſta terra, in corde meo reponeretur, vt tantùm ſolus amarem, atque amant ſimul omnes: Quamuis nec ſic ſatiarer: nam reſpiciens tuam infinitam bonitatem, non poteſt terminum habere charitas erga illam, nec c*ignis* amoris *dicere* vnquam poteſt, *ſufficit*; quia tua bonitas ſemper illum fouet, materiamq; miniſtrat, vt ſine termino creſcat.

c *Pro.* 30. 16

III. TERTIO hinc etiam deducã, quòd præcipuũ amoris mei motiuũ eſſe debeat, ipſa Dei bonitas propter ſe ipſam; quia illa eſt vltimus finis & amoris motiuũ: eſſetq; magna inordinatio, illam amare præcipuè, ob aliquid extra ipſam, quod ab eius puritate degeneret. Licet tamen in eadem bonitate ratiocinando, infinitos deprehendere titulos, propter quos Deus ſit amabilis, & propter quos poſſim ego ac debeã eum amare: Hi tituli tot erũt, quot ſunt perfectiones Dei, in quibus eius bonitas eſt immerſa. Et ideo eius ſapientia eſt infinitè amabilis, & ſimiliter eius omnipotentia, eius immenſitas, liberalitas, & miſericordia, propter bonitatem & perfectionem, quæ in eis reſplendet: ac propterea de ſuo dilecto dixit ſponſa, quòd ſit d *totus deſiderabilis* & amabilis. Nihil in Deo eſt odioſum, omnia ſunt amabiliſſima; etiã ipſa iuſtitia vindicatiua, qua peccatores caſtigat, ob ſua illorũ ſcelera; de-

d *Can.* 5 16

siderabilis est & amabilis: quia etiam in ea elucet ipsa Dei bonitas; siquidem, absq; iustitia non fuisset integrè & plenè bonus. Quare etiam de hoc gaudere debeo & exultare, quòd vlciscatur Deus iniurias, & pœnis illas afficiat in hac & in futura vita; & quod sit infernus & purgatorium, sicut est cælũ & paradisus: quia totum hoc pertinet ad integrã eius perfectionem. O Dilecte animæ meæ, totus mihi es amabilis: quia totum est bonum quidquid est in te. O si etiam tibi esset amabile, quidquid est in me: aufer, Domine, ab anima mea omne genus culpæ & maculæ, vt *e tota sit pulchra* in oculis tuis, & amabilis cordi tuo. e *Cant.* 4.7

IV.

HINC tandẽ concludam, quã sit odiosum ac detestandum, odisse Deũ adeo bonũ, & bonitatem adeò amabilem: vt propterea condolẽdum & compatiendũ sit cæcitati & impietati peccatorum, qui Deũ oderũt, vel quod prohibeat malas voluptates, vel quòd iustitiâ suâ illos castiget; siquidem etiã propter hoc ipsum est dignus, qui ametur; ideoq; meritò Christus Dominus dixit: f *impij oderunt me, & Patrem meum* GRATIS, hoc est, sine vlla causa aut ratione. O summa bonitas, quæ mereris infinito amore, & ab infinitis amantibus (si tot essent) diligi; ne permittas vllum esse hominem qui te non amet; aperi oculos odientium te: si enim viua te fide cognoscerent, nunquam odissent. O si adesset iam dies, in qua te clarè viderem, vt summè diligerem: quia non est possibile te videre, & non amare. f *Ioan.* 15.25

PVNCTVM II.

DEINDE considerandum, quòd bonitas diuina, non solùm propter se ipsam sit infinitè amabilis; sed etiam propter summam propensionem suam ad benefaciendum nobis; & propter innumera & infinita bona, quæ nobis contulit.

I. PRIMVM est amabilis ob quatuor gradus Esse naturalis, quos, vt suprà diximus, communicauit creaturis; & omnes coniunxit in homine, tanquam in abbreuiato mundo: Et quoniam hæ perfectiones sunt innumeræ; innumeros licebit mihi titulos & motiua ex eis deducere, ad amandam bonitatem illam amabilissimam, à qua illæ processerunt, in bonum & commodum meũ. Quare, cùm video quamcunque creaturam, existimare debeo, (vt ait Hugo de S. Victore) quòd Christus Dominus noster, hæc duo verba per eam mihi dicat: *accipe & redde*, aut illa, quæ habet Sapiens; a *da & accipe, & iustifica animam tuam*: quæ verba hoc significant; accipe à Deo bonum, quod tibi dat; da verò illi propterea tuum amorem; accipe eius donum, & redde gratitudinem; accipe beneficium, & redde seruitium; accipe benignitatem à Deo, & redde illi charitatem. hæc si dignè fecero, iustificauero animam meam, faciens quod debeo: nam vt Deus vult accipere gratitudinem meam, pro bono quod mihi confert; ita ego debeo dare gratitudinem, propter bonum quod accipio. Audi,

Lib. de arca morali. c. 4. in 2. Tom.

a *Eccl.* 14. 16

anima

anima mea, harum creaturarum voces, & Sapientis consilium dicentis: b *non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.* Et siquidem Deus, c *manum suam aperit,* vt te, & *omnia,* quæ in mundo sunt, *impleat bonitate* ac benedictione; tu quoque aperi cor tuum, vt amore repleatur; os tuum, vt laudibus; & manus tuas, vt diuinis obsequiis & gratitudine repleantur, ob innumera beneficia accepta: caue sis ingrata; si enim tu contraxeris manum tuam à dando, quod petit à te Deus; & ille colliget suam, ne tibi det bonum, quod ab illo petis.

b *Eccl.* 4. 31

c *Ps.* 103. 28

II. Ex hoc pergam, ad æstimandum quàm sit amabilis Dei bonitas; ob innumera beneficia gratiæ & gloriæ, quæ ab illa proueniunt; & quanto sit amabilior, ob summum beneficium incarnationis verbi Diuini, qua vltimum fecit, quod potuit, ad nobis reipsa manifestandum, quàm sit eius bonitas digna, quæ ametur. O Deus amabilissime, si adeo es dignus qui ameris, quòd tot naturalia bona nobis sis largitus, quanto eris dignior, quòd tot supernaturalia addideris! & si adeo sum obstrictus, ad te propter peritura bona diligendum, quantò obstrictior ero propter æterna! Et, si es summè amabilis, propter bona quæ sunt extra te; quanto eris amabilior, quòd te ipsum nobis des. O si mihi daretur cor nouum; anima noua, & spiritus nouus, noua virtus, & vires nouæ, vt nouo feruore perfectissimè implerem præceptum amoris, diligendo te, sicut

Psal. 144. 1. &c.

tu vis diligi. O Anima mea, coniice oculos fidei ad omnia bona gratiæ, quæ accepisti, & quotidie accipis; aperi aures, vt dilecti tui vocem audias dicentis tibi, *accipe & redde*; *da & accipe*. Accipe meam gratiam, & redde aliquod obsequium. O Dilecte mi, fiat ita, sicut iubes; verum tamen adiuua me, ne laxitas mea impediat, quod tua bonitas tam liberaliter offert.

HVIVSMODI affectus sunt mihi exercendi, cùm Sacramenta confessionis & communionis accipio, cùm sacro Missæ interfum, & concionem audio; ac denique cùm particeps efficior boni alicuius supernaturalis, cogitans, dici mihi à Deo, *accipe & redde; da & accipe, vt iustifices animam tuam*, nouisque sanctitatis augmentis eam sanctifices.

III. DENIQVE perpendam, quod bonitas Dei etiam sit amabilis, eò quòd in se cõtineat omnem rationem BONI VTILIS, quod vel cogitatione assequi possimus, absq; vlla imperfectionis admixtione. Nam in Deo Domino sunt eminenter res omnes, quæ media sunt ad finem nostrum vltimum consequendum; & ipsemet est d *via, veritas, & vita*: quatenus dat media, per quæ ambulantes, veniamus ad videndam summam veritatem, & obtinendam vitam æternam, quæ est ipsemet. Et propterea dixit Dauid: e *gratiam & gloriam dabit Dominus*. Et præterea omnia bona, quæ in hac vita sunt media ad bonum aliquem finẽ consequẽdum, sunt etiam eminenter in ipso Deo, & ab

Ioan. 14. 6

Psal. 83 12.

ipsius

ipſius bonitate procedunt, ac propterea dignus eſt qui ametur. Nam ſi amo cibum, quia conſeruat meam vitam;&medicamenta, quia reſtituunt me ſanitati; & pecuniam, quia eâ mihi cõparo id,quo indigeo;multo magis teneor amare Deum,à quo procedit hoc totum: non quod præcipuum huius mei amoris motiuum ſit,vt talia mihi det; ſed ipſa eius bonitas,quæ emicat in eo,quòd mihi talia,& tanta liberalitate largiatur. Quare ex omnibus his rebus,quæ mihi ſunt vſui accipere debeo motiua, ad cognoſcendum, quam ipſe amabilis ſit;& ad eundem propterea diligendum,ſicut eſt dictum. cogitans etiam in his mihi dici verba illa:*accipe,& redde;& da,& accipe.*

PVNCTVM III.

TERTIO conſiderandum, quàm ſit etiam amabilis Dei bonitas,ob tertiam illam rationem BONI, quod appellamus DELECTABILE, quod eſt quies quædã, & pax cordis in poſſeſſione rei amatæ, & in expletione eius quod deſiderat,quod alio nomine gaudium & lætitia appellatur. PRIMVM, Deus Dominus noſter eſt amabilis, ob infinitum gaudium & voluptatem, qua intra ſeipſum fruitur. nam vt eſt ipſamet bonitas, ita eſt ipſamet voluptas, & omnes perfectiones, quas habet, ſunt illi motiua infiniti gaudij, quia illas videndo & amando,infinitè oblectatur. DEINDE, amabilis quoque eſt, propter infinitam oblectationem, qua IV. 1. 2.

omnia ſua opera facit : oblectatur enim in creatione cœlorum,& ceterarum rerum, iuxta illud Dauidis, a *lætabitur Dominus in operibus ſuis*.

a *Pſa.*103.31 &.

TERTIO eſt amabilis, quia eſt cauſa omnium bonorum delectabilium huius vitæ. Nihil enim poteſt ſenſus noſtros,aut etiam interiores facultates delectare, niſi propter Eſſe, quod recipit à Deo : neque anima noſtra delectationem aliquam habere poteſt, niſi Deus det illam. Quare in ipſo Deo ſunt eminenter res omnes delectabiles,&omnes delicię,quas poſſumus deſiderare. Et quamuis reipſa nos delectet ſuis creaturis; poteſt tamen ipſe ſine illis dare nobis delectationem quam illæ adferrent, & aliam incomparabiliter maiorem. Et in hoc fundatur illa eius promiſſio dandi centuplum ei , qui propter ipſum, b *Patrem aut Matrem*, *aut agros*, & cetera *reliquerit*; quia dat illi incomparabiliter maiorem ſpiritualem lætitiam, eò quòd aliquid reliquerit, quam habuiſſet, ſi retinuiſſet. Denique amabilis eſt propter ſingularem oblectationem, qua afficitur, agendo & conuerſando nobiſcum. nam propterea dicit ſcriptura de Sapientia increata,c *delectabat per ſingulos dies, ludens in orbe terrarum*, gaudens videlicet & ſe oblectans in rebus, quas faciebat in orbe terrarum; ſed *deliciæ meæ* (inquit) *eſſe cum filijs hominum*; agendo videlicet, & conuerſando cum illis.

b *Matt.* 19. 29.

c *Prou.*8.31. In Hebræo habetur *deliciæ meæ filij horum.*

V:

Ex omnibus prædictis ſequitur,Deum hoc

requi-

requirere, vt ipſi cum lætitia ſeruiamus, & conuerſemur ac tractemus cum ipſo magna animi oblectatione. Quia enim quiſque amat ſibi ſimile, ipſe verò adeò eſt lætus, vt in omnibus, quæ faciat vehementer lætetur; ita vult omnes ſuos electos viuere in eius obſequio lætos, & illi ſeruire in lætitia; iuxta illud Dauidis; d *iubilate Deo omnis terra, ſeruite Domino in lætitia, & introite in conſpectu eius in exultatione.* Quò autem magis nos ad id animet, promittit in præmium, gaudium ipſum, quo ipſe fruitur, dicens fideli ſeruo: *intra in gaudium Domini tui.*

d *Pſal.* 99.2

e *Mat.* 25.21

SINGVLIS harum quinque conſiderationum excitabo in me magnos affectus amoris & gaudij, in ipſa bonitate Dei; ſtudendo exultare in ſolo Deo: ſiquidem in ſolo illo inueniam omnes rationes & cauſas gaudij & delectationis, quam poſſum optare. Vt quid, anima mea, delicias mendicas à creaturis; ſiquidem in ſolo Deo inuenies infinitè maiorẽ voluptatem, quàm in illis omnibus? Fac cum lætitia opera, quæ ad eius obſequium pertinent: ſiquidem ſummo ipſe gaudio facit, quæ tui ſunt commodi; da illi quidquid habes, f *non ex triſtitia aut ex neceſſitate; hilarem enim datorem diligit Deus*, redditq; centuplum in parato vt dicitur, cum lætitia. Gaude, cum illo conuerſari; qui in delicijs habet, conuerſari tecum; implens te ipſo gaudio ſuo: g *non enim habet amaritudinem coruerſatio ipſius, nec tædium conuictus illius ſed lætitiam & gaudium:*

f 2. *Cor.* 9.7

g *Sap.* 8.16.

dium: quod incipit quidem in hac vita, sed implebitur in futura, transeundo à gaudio temporali ad sempiternum.

DENIQVE hinc intelligam, quàm sit detestandum, amare aliquam voluptatem, quam Deus noster prohibuerit, contemnendo videlicet voluptates cęlestes, vt fruamur terrenis; & abijciendo infinitum & æternum gaudiũ, pro aliquo limitato & temporali. dolebo igitur eorum vicem, qui in talem incidunt inordinationem; & quòd ego in eandem incidérim: statuam verò firmiter, meseriò e menda-
h *Iob.27.10* re: Neque enim (Iob teste) h *potero in omnipotente delectari*, si ab eius seruitio recessero.

MEDITATIO IX.

DE INFINITA DEI CHAritate & amore.

AMOR *est complacentia quædam in bono: propterea quod nostræ naturæ sit conueniens. Eius præcipui actus sunt tres*, PRIMVS *est generalis, & vocatur* beneuolentia, *hoc est benè alteri velle, complacens mihi in bo-*
S. Thom. 1. p. q. 20. *no, quod iam habet; aut optans, vt habeat.* SECVNDVS *est amor quem vocamus* Concupiscentiæ, *quo aliquid amamus, ob vtilitatem propriam nostram, aut alterius; sicut amamus pecuniam; cibum: & seruum.* TERTIVS *est actus amoris, qui dicitur* Amicitiæ, *inter duas perso-*
S. Thom. 1. 2 q. 26 a. 1 & 4. & 2. 2. q. 27. a. 2. q. 23. a. 1. q. 32.

nas,

nas, quæ ſe inuicem diligunt propter bonum, quod in ipſis eſt; agnoſcentes quòd ſe ament: & quando tale bonum eſt ſupernaturale, talis amicitia appellatur CHARITAS. *Ex his tribus actibus amoris oritur quidam alius exterior, qui vocatur* BENEFICENTIA *qua benefacit ei, quem diligo: His præmiſſis, aggrediemur meditari, quidquid complectitur infinita Dei charitas & amor, tam erga ſeipſum, quàm erga omnes creaturas; ſed præcipuè erga homines, & inter hos ſpecialiter erga iuſtos: ſuppoſitis præterea multis alijs, quæ in præcedentibus Meditationibus dicta ſunt pertinentibus ad charitatem Dei, propter connexionem, quam cum ipſius bonitate habent.*

PVNCTVM II.

CONSIDERANDVM primò, quod Deus Dominus noſter amat ſeipſum, & infinitam ſuam bonitatem amore infinitæ: & ſicut Eſſentialiter eſt ipſamet bonitas, ita Eſſentialiter eſt ipſemet amor a *& charitas* ſua; complacens ſibi de ipſo ſuo bono, ac de omnibus perfectionibus quas habet, de ſua ſapientia, omnipotentia, & cæteris. Et hic amor ordinatiſſimus eſt ac ſanctiſſimus, & conſentaneus, ac debitus infinitæ ipſi bonitati, ſanctitati, & pulchritudini Dei; ideoque multum diſtat ab eo, quẽ hic vocamus *amorẽ proprium*, quo quis amat ſeipſum adeò inordinata proprietate, vt excludat amorem, rebus alijs debitum.

I. De amore Dei ad ſe ipſum.

a 1. Ioa 4.8

SED

II. SED vlterius pergam, perpendendo, quod in Deo Domino noſtro ſit infinitus amor amicitiæ & charitatis: quia inter ipſas tres diuinas perſonas inueniuntur cum infinita excellentia, omnes perfectiones perfectæ amicitiæ; *æqualitas* videlicet perſonarum, *coniunctio* voluntatum, & *communicatio* rerum omnium; qua vult & cupit amicus amico Eſſe, & vitam, & omnia boua; & communicat illi, quæ ipſe habet, conuerſando cum illo intimè, & lætiſſimè, aperiens illi omnia ſua ſecreta, & præ cæteris, antiquitas & conſtantia in amore, ac denique vt ſit inter paucos. Quæ omnia (vt ſupra Meditatione quarta eſt dictum) inueniuntur inter Patrem, & Filium, & Spiritum S. quia omnes tres ſunt æquales, & quidem æqualitate infinitæ perfectionis, & ſunt ſummè vna res in Eſſentia, & vnitate voluntatis in rebus omnibus: Habent etiam infinitam communicationem, & omnia, quæ in ea ſunt, communia ſunt; nec eſt vllum ſecretum inter ipſas: amor illarum eſt æternus, ſemper fuit, eſt, & erit ſemper; eſt denique inter paucos, quia non ſunt niſi tres; nec erat poſſibile, infinitam illam amicitiam ad plures perſonas ſe extendere.

Ariſt. 8 & 9. Ethic. S. Thom. ſupra. & 2. 2. q. 25. a. 7.

EX hac conſideratione magnos hauriam affectus gaudij & fiduciæ, ob multos titulos & cauſas. I. PRIMVM gaudebo, quòd ſe ipſum Deus diligat, quantum poteſt, & quantum diligi meretur, ita vt eius bonitas & amor ſimul & pariter currant; neq; amor maiorem optet

boni

bonitatem, qua alatur; nec bonitas optet alium amorem, qui plus illam amet. Et ſiquidem ego amo Deum, æquum eſt, me gaudere, quòd videam expletum deſiderium amandi, quo charitas illa tenetur; & quod bonitas habet, vt ametur.

DEINDE gaudebo, quod infinitus amor, quem Deus habet erga ſe ipſum & Bonitatem ſuam, cauſa ſit & origo amoris, quem habet ad creaturas: & amicitia, quam tres diuinæ perſonæ habent, ſit cauſa & exemplar amicitiæ, quam habet cum Angelis & hominibus. Et hic diuinus amor, eſt ſolicitator & excitator continuus in ipſo Deo, vt nos amet. Quamobrem magnam poſſum habere fiduciam, quod ſemper me diliget, quia amat ſeipſum; & propterea vult amare me, & quidquid aliud amat. Quod ſi Apoſt. de ſe fatetur, *charitas Chriſti vrget nos*; quaſi diceret, charitas & amor, quem erga Chriſtum habemus, calcar nobis addit, & vrget, vt noſtros etiam proximos diligamus; quantò magis charitas & amor, quem Deus ad ſuam bonitatem habet, vrgebit illum, vt ſuas creaturas amet, ſicut in ſubiectis punctis apparebit. 2.

2. Cor. 5. 14

PVNCTVM II.

Amor Dei erga homines.

DEINDE conſiderandus eſt magnus amor Dei Domini noſtri, erga omnes ſuas creaturas, perpenſis rebus aliquibus inſignioribus. I.

PRIMA eſt, differentia inter noſtrum & Dei

1.p.q.20.a. 2. Dei amorem, ſicut S. Thomas ait, dicens, quod amor noſter præſupponit, eſſe bonum id, quod amat; aut ſaltem imaginatione apprehendit, quod habeat Eſſe & bonitatem: in qua ſibi complacet: Dei verò amor, eſt cauſa boni, quod amat. Quare in Deo ſimul ſunt duo illi actus amoris, qui dicuntur *beneuolentiæ*, & *beneficentiæ*; velle ſcilicet bene, & facere bene Nam Deus videns in ſua æternitate, & infinita ſua ſapientia, bonitatem creaturarum, quas creare poterat, cùm illę omnes ipſi viderentur bonę, amauit & voluit efficaciter bonũ aliquarum, ſtatuens illis dare Eſſe & perfectionem, quam habere poterant, & ita bene volens cœlis; ſtellis, & planetis, dedit illis totum eſſe, & bonum quod habent; & volens benè creaturis terrenis & homini, eas condidit in ea pulchritudine & elegantia, quam habẽt ſingulæ: Deũ verò illas amare, eſt, velle & facere omne bonum & perfectum, quod eſt in eis, iuxta illud Dauidis: a *ſaluũ me fecit, quoniã voluit me*. Et ita licebit mihi dicere: Deus mihi dedit hoc corpus, & hanc animã, & creauit me ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, quia voluit me: Deus me conſeruat & gubernat, mihique dat bona quibus vtor, quia vult me: & velle mihi benè, eſt dare mihi hæc bona, quæ reipſa dat; idque facit ex mera ſua gratia, ſolùm quia vult me amare; iuxta illud quod ipſe per Oſeam dixit: b *diligam eos ſponteneè*. O dilecte animæ meæ, gratias tibi, quòd hac ratione tuas diligas creaturas, & me cum eis:

a *Pſal.* 17.16

b *Oſea.* 14.5

fateor

fateor impossibile esse, vt ego eo modo te diligam, quo tu me: nam ego possum tibi benè velle: sed non possum benefacere, aut aliquid dare, quod tu non habeas: volo tamen eo modo, quo potero, tibi dare quod mihi das; tibi seruiẽs, & pro omnibus gratias agens: & quod tibi dare non possum, dabo meis proximis, amore tui.

DEINDE perpendã, quod DEUS DOMINUS noster incomparabiliter plus amet hominem quàm cæteras creaturas huius mũdi spectabilis: quia similitudo in bono, est causa amoris; & quò similitudo est maior, eò vehementior est amoris propensio: nã qui sunt similes, ita aspiciunt sese atq; si essent vna eademq; res: quæ ratio vnitatis, vtrumq; inclinat ad se amandũ. Cùm aũt reliquæ creaturæ, tantùm sint quasi vestigiũ quoddã ipsius esse DEI, homo verò sit imago & similitudo ipsius, capaxque eius amicitiæ, & familiaritatis cũ eo; fit, vt DEUS DNS noster plus amet hominẽ, quam reliquas omnes creaturas visibiles; ob similitudinem prædictam, quam cum illo habet: & ideo reliquas creatutas ad hominem, tanquam ad vltimum earum finem destinauit. II. S. Thom 1.ª 2 q. 27. a. 3.

EX hoc intelligã, quãta obligatione tenear, DEũ diligere: si.n. similitudo causa est amoris, quantũ teneor diligere eũ, qui me creauit ad suã imaginẽ & similitudinẽ? c *si omne animal diligit simile sibi*, & vnaquæq; res gaudet coniungi sibi simili, quomodo nõ diligã ego DEũ, & gaudebo illi cõiungi qui tanto amore fecit c Eccl. 13. 19

me si-

me ſibi ſimilem? O Deus Trine & Vne, qui in creatione hominis oſtendiſti ſigna infinitæ amicitiæ & vnitatis, quã habes intra te ipſum, dicentibus tribus perſonis: d *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*: concede, vt eo te amore diligam, quo omnes facultates animæ meæ conſpirent, & vniantur, ad amandum & glorificandum te, ob ſimilitudinem, quam mihi dediſti; & amorem, quẽ eam ſimilitudinem mihi dando oſtendiſti.

d *Gen.* 1. 26.

III. HINC naſcitur tertia excellentia, quæ eminet in hoc amore; quòd ſcilicet Deus Dominus noſter, amet creaturas ſpectabiles huius mundi, præter hominẽ, non amore amicitiæ, cuius illæ non ſunt capaces; ſed ſolum amore concupiſcentiæ, quia vult illis bonum quod habent, non propter ſuum emolumentũ; qui vt dixit Dauid, e *bonorũ meorum non eget*; ſed propter vtilitatem hominum, ad eorũ ſcilicet vitæ conſeruationẽ, delicias, oblectationem, & alias cõmoditates, quas creaturæ aliæ nobis adferunt: nam quòd illæ non poſsẽt Deum amare, nec laudare, ob accepta ab eo beneficia, voluit omnes illas deſtinare in vsũ & vtilitatem alterius creaturæ, quæ earum in hoc defectum ſuppleret, ipſum Deum amando & glorificãdo, quod reliquis creaturis dederit tale eſſe. Ex quo magnum admirationis affectum concipiam, ac dicam cum Dauide: f *quid eſt homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam viſitas eum: gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum*

S. *Thom.* 1. 2. *q.* 2. *a.* 2.

e *Pſal.* 15. 2.

f *Pſal.* 8. 5.

nuum tuarum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi, volucres cœli, & piſces maris: Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra! O Deus animæ meæ, non eſt nomen tuum minus amabile quàm admirabile: quidquid enim admirabile feciſti cum homine, id fuit, quia illum amaſti; & vt ille viciſſim te amaret, cui manifeſtaſti, te ſummè eſſe amabilem. Ex hoc pergam ratiocinando, & infinitos inquirendo titulos, amãdi ipſum Deum, ob infinita opera amoris, quę accumulat in meipſo. nam amans Deus innumeras creaturas, amat me in omnibus illis; & ab eis tranſit eius amor in me: ſicut parens amans veſtem, cibum, mãcipium, & cætera pro filio ſuo, in illis omnibus amat filium: nam præcipua ratio, qua mouetur ad illa amanda, eſt ipſe filius; ita Deus hic, & Pater amantiſſimus amans cœlos, ſtellas, & planetas, me quoque amat. nam quod illa amet, & quod illis det bonum, id totum vult propter meam vtilitatem. Et eadem ratione amans elementa, mixta, plantas, & omnes animantes, ſimul me amat, quia amat illa pro me; & benè illis facit, vt mihi benefaciat. Et ſiquidẽ Deus amat me in omnibus creaturis prædicto modo, æquum eſt vt ego eundem in illis omnibus amẽ; amans ipſas creaturas, propter bonum, quod ipſe illis dedit; & ad illius gloriam, qui illud eis dedit: nec vtens illis, niſi ob ipſius amorem & obſequium. O Deus æterne, ama-

tor & benefactor omnium creaturarum, confiteor me mille nominibus teneri, amare te ex toto corde meo. & siquidē tu diligis innumeras creaturas, quæ non possunt tibi reddere amorem pro eo, quem erga illas habes, obstrictus ego sum, ad te, pro omnibus illis amādum. O si tot haberem corda, quot mihi creaturas dedisti, vt illis omnibus te diligerem & glorificarem, reddens tibi debitum, quod illæ reddere non possunt, & cuius ego sum reus, illarum causa.

PVNCTVM III.

TERTIÒ consideranda est vniuersalitas huiusmodi amoris Dei, à quo nulla creatura excluditur, eo ipso quod habet Esse, iuxta illud Sapientis: a *diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorū quæ fecisti. neq; n. odiens, aliquid constituisti aut fecisti. Quomodo aūt posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?* Quamuis itaq; Deus peccatum oderit, & peccatorē quà malus est; non tamen odit eius naturam, neq; bonum, quod ipse illi contulit. Et quamuis ingratus ille sit, nec agnoscat suum benefactorē; non tamen ille ab eo, tanquā sua creatura, amādo hoc amoris genere, desistit; sed cōmunicat illi naturalia bona, quæ solet ingratis.

a *Sap.* 11.25.

TRIA hinc documenta discam. PRIMVM est hoc nomine, quod Deus me amet, ob naturale bonum quod mihi dedit, petere ab illo, vt renoueat à me quidquid mali ego adieci: adferamq; opportunè illud Iob: *manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me totum in cir-*

Iob. 10 8.

cultu, & sic repente præcipitas me? O conditor & formator mi, ne patiaris me ruere in talia peccata, quæ te prouocet ad me præcipitandum in infernum: destrue, Domine, quod ego mea culpa feci, propter amorē illum, quo prosequeris id, quod in me propter tuam bonitatem fecisti.

SECVNDVM est firmo ratoq; animi decreto statuere, non odisse rem vllam earum omnium, quas Deus amat, sed amorem meum omninò cum ipsius amore conformare: ideoque licet hostis mei scelus oderim, nunquam tamen eius personam: sed eam potiùs amabo, sicut Deus illam amat; desiderans illi bona omnia, quæ Deus illi confert, & conferre cupit; eroque memor eius, quod ipse Christus iussit: *diligite inimicos vestros, benefacite ijs qui oderunt vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos, & iniustos*, in signum quòd illos amet.

II.

S. Thom. 2. 2. q. 25. a. 6.

c Mat. 5. 44

DENIQVE quoniam hic amor, Deum in omnibus suis operibus vniuersim comitatur; iuxta illud Sapientis: d *nec quicquam odiens aliquid cōstituisti aut fecisti* & illud S. Dionysij: amor est causa omnium rerum, quas facit qui amat: si ego Deū amore feruenti diligo, conabor illū in hoc imitari, vt amor hic principiū sit mediū, & finis meorum operū; ita vt omnia illa incipiant cum amore, & pergant cum amore, eaque faciam propter amorem magni huius Dei, qui adeò me amat; & tunc amabo illum

III.

d *Sap. 11. 25.*

Cap. 4. de diuin. nomin.

S. Thom. 1. 2. q. 28 a. 6.

Quæ tria ex ipsa definitione ad manifestum
sequuntur. Primum, quod nullum corpus ex
duobus elementis componitur. Secundum, quod
nullum corpus ex tribus componitur, quod ex
quatuor non componatur. Tertium, quod nullum
corpus ex quatuor componitur, quod non ex
omnibus componatur.

Primum ex eo manifestum est, quia si corpus
ex duobus componitur, ergo ex duobus contrariis
componitur, quia duo elementa sunt contraria.
Ergo ex duobus contrariis componitur. Sed
contraria se mutuo destruunt, ergo corpus ex
duobus componi non potest. Secundum ex eo
manifestum est, quia si corpus ex tribus componitur,
ergo ex tribus contrariis componitur, quia
tria elementa sunt contraria. Ergo ex tribus
contrariis componitur. Sed contraria se mutuo
destruunt, ergo corpus ex tribus componi non
potest, quod ex quatuor non componatur. Tertium
ex eo manifestum est, quia si corpus ex quatuor
componitur, ergo ex quatuor contrariis componitur,
quia quatuor elementa sunt contraria.
Ergo ex quatuor contrariis componitur. Sed
contraria se mutuo destruunt, ergo corpus ex
quatuor componi non potest, quod non ex omnibus
componatur.

maximam quam poteſt excellentiam, & ita dixit S.Hieron. *Amicitia pares accipit, aut facit.* Et huius generis eſt amicitia; quam habet Deus cum hominibus. Videns enim magnam inæqualitatẽ noſtri Eſſe naturalis ad ſuũ, voluit ex infinita ſua bonitate, nos eleuare ad excellentiſſimũ aliud Eſſe, ſupra totã noſtram naturã: cui inniti poſſet vera amicitia, *donãs nobis* (vt ait S. Petrus) *maxima, & pretioſa promiſſa* gratiæ, *vt per hæc efficiamur diuinæ conſortes naturæ*, maxima, quę creaturę ſit poſſibilis, conformitate; non ſolùm nos in amicos accipiens, ſed filios etiam ſuos faciens, hæredes regni ſui, & beatos ſicut ipſe eſt; adeò vt b *dixerit ipſe: Dij eſtis & filij excelſi omnes*; noſtraſque animas acceperit in ſuas ſponſas, idq; totũ ex mera gratia, & quia ipſe bonus eſt; & oſtendit infinitã ſuam bonitatẽ; dum admittit creaturas ſuas, & mancipia ſua, vt fiant participes infinitæ amicitiæ, qua tres ipſæ diuinæ perſonæ ſunt coniunctæ. Et quamuis non ſit poſſibile, æqualitatẽ habere cũ infinita eius excellentia; eius tamen affabilitas infinita, hanc ſupplens diſtantiã, nos vocat nominibus æqualitatis, vt apparet in Canticis canticorũ, vbi ipſe appellat animam, c *ſororẽ & ſponſam*; eademque ipſe tribuit animę Epitheta laudis, quæ illa ipſi. O Deus dulciſſime, amabilis ſuper omne, quod cogitari poteſt; magnum ſatis illud fuit beneficium, quod me ad imaginem & ſimilitudinem tuam condideris; ſed infinita tua charitas, adhuc me voluit ad altiorem

S. *Hieron. in Mich.* 7.

a 2. *Pet.* 1.4.

b *Pſal.* 81.6.

c *Cant.* 4.9.

maioremq; similitudinem eleuare, vt maiora ostenderes mihi amoris indicia. Iam non est cur mirer sicut Dauid, quod *me constituens* in Esse naturali, *super omnia opera manuum tuarū* naturalia, & terræ huius: siquidē dignatus es eleuare me ad quoddā Esse supernaturale, illi par, quod est super cœlos. In primo illo esse *minuisti me paulo minus ab Angelis*: quibus tamē, in secundo hoc Esse me parem fecisti, & similem tibi Creatori & sanctificatori omnium sanctorum, vt te amem, & sanctificem nomen tuum in terra, sicut illi faciunt in cœlo.

II. Ex prima hac perfectæ amicitiæ proprietate oritur SECVNDA, quod.s. amicus amico

S. Thom. 2. 2. q. 27. a. 5. suo, velit & optet Esse, & vitam, & omnia bona, quæ illi dare potest, communicet liberaliter propter amorem, quem habet erga illum. in qua proprietate est eminētissimus magnus noster amicus Deus: nam præterquam quod nobis bene velit & benefaciat, dans nobis Esse & vitam naturalem; vult etiam nobis Esse supernaturale, vitam gratiæ & gloriæ æternā, cum innumeris bonis quæ illam comitantur, vsq; ad illud verbū d *omnia mea tua sunt*, quia *amicorum omnia sunt cōmunia*, & quod Deus habet, vult pro amicis suis. O e *dilecte & amice noster*, quàm abunde exples hanc legē perfectæ amicitiæ; dum propria tua bona facis tuis amicis cōmunia. Et quomodo ego eandē legē implebo, qui propria bona nulla habeo, quæ facere possim cōmunia? f *Omnia sunt tua, & quæ de manu tua accepi, hoc dabo tibi*, pro-

d Luc. 15. 32

e Cant. 5. 16

f 1. Paral. 29. 14.

priam

priam meam voluntatem,& amorem proprium faciam cõmunem; exequens quidquid tu volueris, & amans quod tu amaueris, nihil proprij mihi ipsi volens,sed totum tibi.

III.

HINC oritur TERTIA proprietas perfectæ amicitiæ, vnio videl. cuius causa dicitur, quod *amicus sit alter ego*, & quod amici sint vna anima in duobus corporibus; & quod anima plus sit vbi amat quam vbi animat; ideoq; veri amici vehementer desiderant esse simul, & mutuò conuersari. Quæ proprietas multò amplius resplendet in amicitia DEI nostri: efficit enim vt g *qui* amore *adhæret ipsi*, *vnus spiritus sit* cum eo. Et ponit nos intra seipsum, sicut est pupilla intra oculũ, iuxta illud h *qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei*: Habetq; in i *delicijs esse cum filijs hominum*, & familiariter cũ illis agere, suaq; secreta illis aperire, iuxta illud Christi ad suos Apost. k *iam non dicã vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius; vos autẽ dixi amicos*, & tali vos loco habui, *quia omnia quæcunq; audiui à Patre meo, nota feci vobis*: Ac deniq; eos deducit in cœlũ, vbi hæc communicatio familiarior erit ac strictior; quia continuè erunt in eius,præsentia,immersi in eius diuinitatem; aspiciẽtes eũ facie ad faciem, & sic conseruantes intimam cum eo,familiaritatem.O DEUS amantissime, nunc aduerto, quam optimo iure voceris *sponsus* animarum nostrarum; quas & tu *sponsas* tuas appellas; vt qui sis vnus spiritus & cor vnum cũ illis, adeò tenerè amanterq; cum illis

S. *Thom.* 1. 2. *q.* 28. *a.* 1. & 2.

S. *Aug.* 4. *Confes. c.* 6. & 2. *Retr. c.* 1

g 1. Co. 6. 17

h *Zac.* 2. 8.

i *Prouerb.* 8 31.

k *Ioan.* 15. 14.

In Cant. sæpè.

agens, quali nunquam ſponſus aliquis egit cum ſibi dilecta ſpõſa. Quis vnquã credidiſſet
l *Ioh.* 7.17. talem modum amoris, niſi tu eum reuelaſſes; & quis eam conuerſandi formam aſſequi potuiſſet, niſi quem tu participem eius faceres. O dilecte mi, l *quid eſt homo*, quia ſic *magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* Pone Domine cor meum intra tuum, & oſtende mihi tui amoris magnitudinem, faciens me vnũ tecum, vt te diligam ſicut me diligis. ſitque amicitia etiam ex mea parte perfecta, ſicut ex tua eſt perfectiſsima.

EX his veræ amicitiæ proprietatibus, magnum concipiam deſiderium oſtendendi amicitiam & charitatem, quam habeo erga Deum Dominum noſtrum, in ſimili amicitia & charitate erga meum proximum, propter ipſum Deum; ita vt æqualem me illis, & humanum præbeam, eoſq; qua ratione mihi licebit exaltem, communicans illis corporalia & ſpiritualia bona mea; & faciens me vnum cum omnibus, amanter cum illis agens, eo fine, vt ament Deum, & ſic ille multos habeat amicos, in quibus glorificetur in æternum. Amen.

MEDITATIO X.

DE QVATVOR SINGVlaribus excellentiis infinitæ charitatis & amicitiæ Dei erga homines, & qua ratione possimus illas imitari.

EXCELLENTIAE *charitatis Dei erga homines hactenus indicatæ, pro fundamento habent proprietates perfectæ amicitiæ, quæ inter homines esse cõsueuit: Alias nũc ita singulares indicabimus, vt non nisi in ipsa Dei amicitia inueniri possint; quæ quod ex parte sua sit infinita, adeo est singularis & excellens, vt nulla alia par illi esse possit. Hæ autem proprietates, ad quatuor illas reducuntur, quas re. einset Apostolus,a* Latitudinem & Longitudinem, & Sublimitatem, & Profundum. LONGITVDO *est duratio æterna absque principio & fine;* LATITVDO *est extẽsio & dilatatio ad omnes homines, qui amicitiã cum illo contrahere volunt:* SVBLIMITAS *est excellentia bonorum cœlestium, ad quæ percipienda illos extollit:* PROFVNDVM *sunt secreta & occulta huius amicitiæ; quæ talia sunt, vt nemo illa possit penetrare; & quamuis horum aliquid in præcedentibus Meditationibus sit positum*

I.

a Eph. 3. 18. Et S. Thom. ibid lect. 5.

eadem tamen fusiùs in hac proponentur, per subiecta puncta.

PVNCTVM. I.

1: Eternitas moris ci.

PRIMA excellentia, singularis charitatis Dei erga homines est, quod sit AETERNA, adeò videlicet antiqua, atque est ipse Deus; qui à sua æternitate decreuit amare homines, & amicitiam cũ illis cõtrahere, nec solùm in genere, & confusè, sed in particulari vnumquemq; cognoscẽs, &, quod in se est, volens illi dare omnia bona gratiæ & gloriæ, in quibus ipsa amicitia fundatur; quamuis adhuc particulariùs eos amauerit, quos prædestinatos vocamus; ita vt liceat mihi applicare, quod ipse Deus dixit per Ieremiã: a *in charitate perpetua dilexi te*, quasi diceret, à quo sum Deus, te diligo; à quo me ipsum diligo, etiam te amo: Ita æternus est amor, quem erga te habeo, atque sum ego æternus, & amor quo me ipsum diligo. O Amator æterne, quis non te incessanter diligat? vtinam semper te dilexissem, ex quo sum homo, siquidem tu me dilexisti ex quo es Deus! ne differas, anima mea, Deum diligere: nam etiam statim diligens, adhuc moras trahere videberis: incipe statim diligere eum, qui te semper dilexit: *ama amorem ab æterno te amantem.* Si amicus, vt bonus sit & fidelis, debet esse antiquus: quis antiquior amicus esse potest, quàm qui est æternus? Amplectere sapientis consilium dicentis: b *ne derelinquas amicum antiquum:*

Ierem. 3 8.

b *Eccl.* 9. 14.

nouus enim non erit similis illi. ne dereliquas amicitiam Dei, pro hominum amicitia: hæc enim non erit similis illi: & quantùm æternum excedit temporaneum, tantùm amicitia illa hanc excedit. Hæc & similia animi proposita, & affectus, ex hac consideratione concipiam, gratias Deo agens, quod me ab æterno dilexerit; & optans semper ipsum dilexisse, ex quo cæpi habere vsum rationis; confidens amico adeò antiquo; ac dolens, quòd illum dereliquerim, vt nouas amicitias cum creaturis contraherem; ac denique statuens non ampliùs illum relinquere.

II. EX hac consideratione ascendam ad perpendendum, quòd charitas & amor Dei, semper sit prior nostro, quia suo amore nos præuenit; iuxta illud Sancti Ioannis, c. 1. Ioa. 4 9 *in hoc apparuit charitas Dei in nobis, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Præstantia charitatis Dei ex hoc maximè deprehenditur, quòd prior nos diligat, quàm nos illum diligamus. Hoc enim est signum, quod non propter suum emolumentum, aut propter nostra merita nos diligat; sed gratis, & quia ipse bonus est; & vt amore suo ad se nostrum attraheret, & ad redamandum prouocaret. Et ita concludit idem Sanctus Ioannes: *nos ergo diligamus Deum; quia ipse prior dilexit nos.* O anima mea, si quod quis amet, in causa est, vt idem ametur, vrgeat te talis amor, & talis Dei; vt diligas, te adeò diligentè,

& suo

& ſuo amore te præuenientem. O amator æterne, ſi poſſibile id fuiſſet, vt prior ego te diligerem, quàm à te diligerer, iuſtiſſimum fuiſſet, vt amor meus tuum ſolicitaret, & ſupplex ego orarem, vt me redamare dignareris. Sed quoniam amor tuus meum ſolicitat & vrget, ex nunc illum tibi offero, ex intimo deſiderio te diligendi, quia tu me diligis; & in dies magis amandi, vt & tu pergas, me amplius amare & amoris tui dona in me augere.

III. TERTIO perpendam charitatem Dei eſſe æternam, quoad durationem futuram, cum magna ſtabilitate & firmitate, per totam æternitatem: Sicut itaq; illa nullum habuit principium; ita, quod in ſe eſt, nec finem eſt habitura erga homines; ideoque poſſum conſiderare, quòd magnus hic Deus, & æternus amator, ſemper me dilexerit, ac porrò diligat, & dilecturus me ſit, quamdiu ipſe erit Deus, niſi ego ipſe deſim. Nam amor eius, ſicut & d *miſericordia*, quæ ab ipſo procedit, *ab æterno* eſt *vſque in æternū*, nec vlla eſt res creata, quæ amorem hunc Deo poſſit auferre. & hoc modo intelligi poteſt, quod ait Apoſtolus, e *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* quaſi dicat: quis efficere poterit, vt Deus deſinat nos amare per Chriſtum? nam *in omnibus* laboribus, & tribulationibus *ſuperamus*, *propter eum qui dilexit nos*, & propter virtutem, quam efficit in nobis amor, quem ipſe erga nos habet. Et adeo progreditur ſtabilitas huius amoris, vt quando nos culpâ noſtrâ hanc amicitiam rumpi-

Pſ. 102.17

Rom. 8.35. *oler. ibid.*

mus,

mus, & eius inimici efficimur, ipse infinitâ suâ charitate firmus semper perseuerat, optans, vt in eandem amicitiam & gratiam redeamus: paratus nos denuo ita admittere in gratiam, vt etiam iniuriæ obliuiscatur, si culpam deprecemur: quasi nobis dicens illud Ieremiæ, f *tù forn:cata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te.* O Amator æterne & immutabilis, da mihi amorem tuo similem, à quo nihil me possit separare. Si tu amorem tuum à me non separas, quis meum poterit à te separare? g *An tribulatio, an angustia, an fames, an gladius*: nihil horum ad id potens est: nam amor, quem mihi dederis, facilè vincet omnia, in virtute illius, quem tu erga me habes: h *nec aquæ multæ poterunt extinguere charitatem hanc, nec flumina obruent illam*, si tuæ sit semper coniuncta: nam tua est ignis infinitus, qui in momento illa omnia absumet. Ne permittas, amator æterne, vt ego amicitiæ tuæ filum abscindam culpâ meâ. quòd si tanquam imbecillis, aliquando abscidero, excitet me amor tuus ac præueniat, vt redeam ad te: imple in me propensionẽ charitatis ad nunquam deficiendum, (siquidẽ i *ipsa nunquam excidit*) vt me illam constanter in temporali hac vita seruante, illa perduret vsque ad æternam, Amen.

f *Jerem. 3. 1.*

g *Rom. 8. 31*

h *Can. 8. 7.*

i *1. Cor. 13. 8.*

PVNCTVM II.

SECVNDA charitatis Dei excellentia, est eius LATITVDO, quæ est infinita; quia, quòd in se est, complectitur omnes ho- I.

mines

omnes cuiuscunque sint status & conditionis; omnes cupiens ad gratiam & amicitiam admittere, nullo excluso, qui velit admitti, vt locum hic habeat, quod Sapiens dixit cũ Deo loquens: a *dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam; diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorũ quæ fecisti*, ac porrò nullũ hominem odisti tanquam inimicum, nisi ob culpã, quam pœnitentia nõ deleuit. Et quamuis verũ sit, quod speciali amore diligat prędestinatos, in quo sensu dicitur b *Iacob*, hoc est, Prædestinatos *dilexi; Esau autẽ*, hoc est, Reprobos, *odio habui*, quia non æquè hos atq; illos dilexit: absolutè tamen, quod in se est, omnes amat charitate infinita, & c *vult omnes homines saluos fieri*, & sibi esse amicos; nec cessat magna amoris blandimenta illis ostendere; (sicut ostendit Iudæ falso discipulo suo) vt eos ad suã reuocet amicitiã; hac ratione d *carbones ignis congerens super caput sui inimici*, vt faciat amicum. Et ita paterno hoc amore effecit, vt filius eius, qui est e *sol* iustitiæ, *oriretur super bonos & malos; & pluuia* doctrinæ eius, *offerretur iustis & iniustis*, & ros cælestium donorum descenderet super omnes, quotquot illum vellẽt suscipere. O immensitas charitatis Dei, quæ oẽs amplecteris, & nunquam tamẽ exploris; quòd semper latitudo superfit ad plures recipiendos! Exulta anima mea, ob immensam huiusmodi charitatem, & confide, te fore eius participẽ. O Amator immense, cuius infinita charitas tam habet latos sinus; admitte oẽs mor-

a *Sap.* 11.24

b *Rom.* 9.13

c 1. *Tim.* 2.4

d *Pro.* 25.21. *Rom.* 12.20.

e *Mat.* 5.45.

tales

tales intra illos. Occlude, si fieri potest f *Infernios, quod absq; termino ille aperuit*, vbi te omnes oderunt, vt nullus eò descendat; aperi verò cæli sinus, vbi omnes te diligunt; vt omnes eò conscendant, & in amore tui ac laudibus in æternum occupentur, Amen. f *Isai.* 5. 14.

II.

DEINDE perpendam, hoc etiam singulariſſimum esse in hac charitate Dei, quòd licèt ad plurimos se extendat, idem tamen illi sit, atque si ad pauciſſimos se extenderet; ideoque nihil propterea perfectionis illi decedat. Inter homines quidem arcta & perfecta amicitia (teste Aristotele) debet esse inter paucos, eò quòd sit perrarum multos inueniri, qui simul sint fideles, & quibus confidi possit: at Deus noster infinita sua charitate, amicitiam contrahens cum multis, facit illos amicos fideles, dans illis veram charitatem: & quamuis dilectiſſimi sint multi, ita tamen singulis est familiaris, atque si vnus esset solus. Multitudo itaque amicorum Dei, non impedit familiarem eius cum illis communicationem; vt apparet in cœlo, vbi hæc amicitia est perfectiſſima. Et hanc ob causam, cùm in Canticis Canticorum, tria genera animarũ sponsus retuliſſet, quæ apud ipsum manerent, concludit dicẽs: g *vna est columba mea, perfecta mea*; quasi diceret; omnes simul animas, quæ vnam Ecclesiã constituũt, ita diligo, atq; si omnes vna essent, & ad vnum finem, æternam scilicet earum beatitudinem & gloriam meam. O Dilecte mi, gratias tibi pro hac 8. *Ethic.* c. 6. g *Cant.* 6. 8.

volun-

voluntate, qua cupis amicitiam habere cũ omnibus; & ita cum singulis arctam, atq; si esset vnus solus. O si anima mea adeo esset felix, vt esse posset vna ex his tuis sponsis, cui dixisti, h *Col.* 3. 14. *vna est columba mea, perfecta mea, vna est Matris suæ*; fac me quæso columbam tuam per innocentiam; perfectam tuam per h *charitatem, quæ est vinculum perfectionis*; & concede, vt te in militanti hac Ecclesia diligam, sicut te diligit mater nostra Ecclesia, iam triumphans in cœlo.

Ex duplici hac consideratione, duplex propositum concipiam, vt possim Dei charitatem imitari. PRIMVM erit, neminem odiendi aut pro inimico habendi; sed amandi vniuersos, laxando sinus charitatis, qui omnes homines capiant, bonos & malos, perfectos & imperfectos; omnibus præstando amici opera, in quibus potero. SECVNDVM propositum est, reducendi amorem omnium ad vnum solum, qui est *Deus*, ita vt licet plures diligam, non tamen vt plures, ob particulares scilicet singulorum respectus id faciam; sed ob vnum solum præcipuè motiuum, & propter vnum solum amicum, qui est Deus, cuius sunt omnes.

PVNCTVM III.

TERTIA excellentia est SVBLIMITAS Diuinæ charitatis, quæ apparet in excellentia beneficiorum & donorum, quæ ab ea procedunt; quæ adeo sunt sublimia,

Digitized by Google

vt maiora esse non possint; imò ostendunt, altitudinem & sublimitatem suam esse infinitam.

PRIMVM, quia nos eleuant ad sublimitatem & supremam dignitatem filiorum Dei, & heredum regni eius; propter quam causam dixit Sanctus Ioannes: a *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus*. quasi diceret; contemplamini & perpendite sublimitatem, ad quam peruenit charitas Dei, & admirandos affectus & effectus quos produxit; siquidem nos eleuauit, vt essemus filij Dei, idq; cum omnibus excellentiis, quas habere debent filij talis Patris. Quæ excellentiæ quales sint, non est possibile in hac vita assequi, ideoque adiunxit: *nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. In cœlo itaque deprehendetur sublimitas huius dignitatis filiorum Dei, & charitatis eius, quæ nos ad eam exaltauit. Gratias tibi, Pater amantissime, pro charitate quam exhibuisti mihi, accipiendo me in filium; clarifica oculos animæ meæ, vt cognoscam qualis hæc sit charitas; vt ea indutus, te diligam tanquam Patrem, conando esse tibi similis in amore, vt postea sim etiam similis in gloria, Amen. I.

a 1. *Ioan.* 3. 1.

DEINDE apparet quoque diuinæ Charitatis sublimitas, quòd nos adeò dilexerit, vt Redemptionis nostræ causâ hominem vnum II.

naturæ noſtræ, adeò exaltauerit, vt eſſet filius Dei; non adoptiuus, ſed ipſemet filius Dei naturalis, propter vnionem Incarnationis: ita vt vnus ſit realis homo & verus filius Dei, æqualis æterno Patri, & vnus cum illo DEVS. Adeoque altè charitas Dei hic eſt progreſſa, vt altiùs non potuerit. quamobrem dixit ipſemet CHRISTVS Dominus noſter; b *ſic DEVS dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Et Sanctus Ioannes adiecit: c *in hoc apparuit Charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum vnigenitum miſit DEVS in mundum, vt viuamus per eum.* Cum hoc homine cœleſti contraxit DEVS excellentiſſimam amicitiam, quæ eſſe poteſt, poſt infinitam illam, quæ eſt inter tres diuinas perſonas: Nam, vt hæc fundatur in vnitate Eſſentiæ, ita illa fundatur in vnitate vnius eiuſdēq; perſonæ, æqualis ipſi Deo: Et huic vnitati innititur firmitas & ſecuritas illius, quam DEVS habet nobiſcum, qui diligit nos propter CHRISTVM filium ſuum, d *quem dum nobis dat, omnia cum illo nobis donat.* O altitudo bonitatis & charitatis Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt opera tua, & inueſtigabiles viæ tuæ! O amor ineffabilis, qui, vt perfectam amicitiam cum homine contraheres, illum ad Dei æqualitatem eleuaſti! O amator altiſſime, quas tibi referam gratias, pro tam altis & præſtantibus amoris operibus? & quomodo te dignè laudare potero propter illa? laudet te Domine ipſamet charitas tua; ac benedicant o

b *Ioan. 3. 16.*

c *1. Ioa. 4. 9.*

d *Rom. 8. 32.*

pera,

pera, quæ ab illa proueniunt: & præ omnibus te glorificet ipſemet Filius tuus, verus Deus & homo, in quo diligimur omnes tam alta & ſuprema charitate. Aſpice in faciem huius tui dilecti amici, antiqui, & noui; antiqui quidem, quà eſt Deus; noui autem quà eſt homo: per eum, Domine, ſupplex oro, vt me facias amicum tuum, renouans me ſecundum imaginem huius noui hominis, vt per eum viuam, & conſequar vitam æternam, Amen.

De hac conſideratione plura ſunt dicta in 2. part. Medit. 2.

III. LICET etiam altitudinem eiuſdem diuinæ charitatis, perpendere in myſterio Sanctiſſimæ Euchariſtiæ: in qua idem ipſe CHRISTVS, DEVS & homo verus, ſpeciebus panis & vini tectus, ad nos ipſos ingreditur, vt hanc charitatem in nobis conſeruans, & augens intimè ſecum nos vniat, vt in 4. p. Medit. 11. perpendimus, & fuſiùs adhuc inferiùs expendemus Medit. 42.

IV. VLTIMÒ perpendam eiuſdem diuinæ charitatis ſublimitatem, ex ſublimitate infiniti doni, quod nobis largitur, dans nobis ſpiritum S. qui eſt fons amoris, vt proxima Meditatione apparebit.

Ex his omnibus generoſum quoddam concipiam deſiderium, imitandi hanc diuinę charitatis ſublimitatẽ, ita eam amãdo, vt ſemper in eius obſequio res altas & grandes perquiram, cum alta ſemper intẽtione, eius maioris

gloriæ, cum alta ratione & contemplatione mysteriorum eius, & excelsa imitatione virtutum; implens quod dicit Apostolus: e *Phil. 1. 9.* *hoc oro, vt charitas vestra, magis ac magis abundet in scientia, & in omni sensu spirituali: vt probetis potiora, vt sitis sinceri, & sine offensa, repleti fructu iustitiæ, per Iesum Christum in gloriam & laudem Dei, Amen.*

PVNCTVM IV.

I. rofundi- as amoris)ei.

QVARTA excellentia eiusdem charitatis Dei, est eius PROFVNDITAS: quæ apparet *primùm*, in profundis DEI humiliationibus quas hominum gratia suscepit: quia, cùm Diuinum verbum esset æquale Patri, a *exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens: & humiliauit se, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* vt quoniam perfecta amicitia exigit amicorum æqualitatem, & ipse DEVS, adeo erat sublimis & altus, vo■it se inclinare, & induere hominum naturam; *in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*, vt sic fraterne illis coniuens sicut homo, b *per omnia fratribus suis assimilaretur.* Præterea sicut perfecta charitas, non solùm ostenditur benefaciendo amico, sed etiam pro eodem labores sustinendo, quia c *maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis*; voluit infinita Dei charitas, etiam hæc amoris indicia præbere. Sed quia in

Phil. 2. 7.

a *Heb. 2 17.*

b *Ioan. 15. 13*

pro

propria ſua natura diuina, nec pati poterat, nec mori; aſſumpſit humanam, in qua labores grauiſſimos, contemptus, & ignominias maximas, ac denique mortem crudelem pro ſuis amicis pateretur! Et quid dico pro amicis? in hoc maxime: d *commendat charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt*, vt faceret amicos: & pro iis qui ipſum oderāt, vt amicos faceret & induceret ad amandum. O immenſam abyſſum charitatis Dei! O altiſſimam & profundiſſimam charitatem, quæ hominem extuliſti ad altiſſimum quod eſt in Deo: Deum verò humiliaſti ad profundiſſimum & abiectiſſimum quod eſt in homine. e *O patientem & benignam* charitatem, quæ non contenta, ex maxima benignitate nobis benefacere, voluiſti etiam plurima pro nobis patientiſſimè perpeti! O Dilecte animæ meę, oſtende mecum hanc charitatem, talem aliam mihi donando, quæ me inclinet ad humiliandum vſq; ad profundum mei nihili, & excitet ad toleranda quæuis vſque ad ipſam mortem pro gloria tua. Idem licet perpendere circa myſterium Euchariſtiæ, in qua etiam apparet profunditas eiuſdem caritatis Dei, ad inuenientis media profundæ adeò humilitatis ad honorandum & indulgendum amicis, qui vera charitate illum amant.

d *Rom.* 5. 8

e 1. *Cor.* 13: 4

ET IAM apparet profunditas caritatis Dei in abyſſo ſecretorum iudiciorum Diuinæ ſapientiæ, erga ſuos amicos, vt eis benefaciat.

f *Rom.8.28* Nam, vt ait Apoſtolus: f *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, tribulationes, afflictiones, tentationes & miſeriæ, tam propriæ quàm aliorum; imò & ipſi defectus & culpæ, in quas ex debilitate labuntur, etiam illis cooperantur in bonum: quia Deus ea occaſione vtitur, ad magis eos radicandos & perficiendos in amore. Incomprehenſibilis itaq; profunditas charitatis Dei reſplendet in omnibus operibus iuſtitiæ, & vindictæ, quam ſumit de impiis, in vtilitatem bonorum; & in bonis ad maiorem eorum profectum: Adinueniens mille media, & vias occultas, natas ex abyſſo æternæ prędeſtinationis, in ſalutem ipſorum prædeſtinatorum.

III. Charitatis noſtrę perfectio.

HAE ſunt quatuor excellentiæ infinitæ charitatis Dei, quas licebit cognoſcere & ſentire, non tàm prolixis Meditationibus, quàm editis intenſis charitatis actibus: vt profundas in ea radices iaciam, ſequens Apoſtoli conſilium dicentis: g *radicamini & fundamini in charitate* vt experientia *poßitis comprehendere* proprietates & excellentias infinitę charitatis Dei, per quam agnoſcatis & comprehendatis *charitatem longam* in duratione, quæ duret vſque ad vitam æternam; *latam* in extẽſione, quæ complectatur omnia opera amoris & omnes perſonas, quæ amari poſſunt; *ſublimem* in intentione, & deſiderio, quod non ſe dimittat ad res terrenas, ſed deſiderio conſcendat ad cœleſtes: *Et profunditatem* in humiliatione: ſuſtinẽtes omnes labores & con-

g *Ephe.3.17*

tem-

temptus, qui vobis euenerint, eò quòd veſtro dilecto fideles fueritis. O Dilecte cordis mei, da mihi charitatem, tuæ in his quatuor proprietatibus ſimilem, vt tali ſpiritu te in hac vita diligens, perueniam ad te fruendum, & te amandum in altera, in æternum, Amen.

MEDITATIO XI.

QVOD DEVS DESIDERET ab hominibus amari, de quo etiam præceptum ſtatuit, & auxilia, ac præmia offert.

QVAMVIS ex D. Thomæ ſententia, magis proprium ſit charitatis, amare, quam amari: nihilominus infinita Dei charitas non eſt contenta, ſi ipſa nos amet; ſed ſummè deſiderat, à nobis amari; non ſui emolumenti, ſed noſtri potiùs causâ: ideoque, vt iam diximus, præuenit nos amando, vt nos ad redamandum prouocet: quia amare eſt efficax motiuum redamandi. Hoc deſiderium, ciuſque efficacitas & excellentia apparet in rebus aliquibus, quas in ſubiectis punctis indicabimus. 2.2.q.27.a.1

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM primò, quòd Deus Dominus noſter deſiderans ab hominibus amari, ſingulare præceptum ea de re ediderit, mandãs: a *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, ex tota virtute, & ex omnibus viribus tuis*, cum omni videlicet perfectione, ipſis poſſibili, nullâ appoſitâ menſurâ amoris. Nam modus amandi Deum, eſt amare eum ſine modo & termino aliquo; tantoque amor erit melior, quantò fuerit maior. Ex quo apparet, quàm ſit Dei amor erga nos infinitus. qui enim cupit amari ſine menſura, idque, vt faciamus, præcipit; ſignum eſt, ipſum in amore ſuo, & in benefaciendo nobis, terminum non habere. b *Deus enim diligentes ſe diligit*; & quò quis magis eum diligit, & ipſe illum; eò maiora bona illi confert. nam omnia dona cœleſtia procedunt ab amore Dei erga nos: ad quæ recipienda, diſponimur per amorem, quem erga illum habemus. O Amator dilectiſſime, ſiquidem adeo cupis, vt te ſine modo amem: da mihi quod iubes, vt implere poſſim quod deſideras. *Diligam te, ſicut diligor à te*; diligam te, ſicut vis diligi; & diligam, ſicut iubes diligere. Hinc magnã cõcipiam huius præcepti de amore opinionẽ, quam ipſe Chriſtus inſinuauit ſe habere, cum illud appellauit, c *primum & maximum mandatum*,

a *Deut.* 6.5. *Mat.* 22.37.

S. Thom. 2. 2. q.44 & q.24.a.5.

Ex S. Bern. de diligendo Deo.

b *Prou.* 8.17

c *Matt.* 22. 17. *Mar.* 12.30.

idque

idque multas ob cauſas. PRIMVM eſt, quia ponitur tanquam fundamentum reliquorum, eſtque vere ſpiritualis vitæ fundamentum, & radix omnis perfectionis: & propterea dixit Apoſtolus, vt d *eſſemus fundati, & radicati in charitate.* ITEM eſt primum dignitate, quia iubet ſupremum actum virtutis, quæ eſt in vita Chriſtiana, hoc eſt e *charitatis, quæ maior eſt quàm fides, & ſpes.* & ceterę virtutes, quæ, abſque hac, ſunt velut mortuæ, iuxta illud Apoſtoli, *ſi charitatem non habuero*, etiamſi habeã reliquas virtutes & ſcientias, *nihil ſum.* ITEM eſt primum hoc præceptum, quod attinet ad meritum: quia charitas eſt prima cauſa noſtrorum meritorum coram Deo: ſine qua nullum opus noſtrum aliquid meretur apud Deum, dicente Apoſtolo, f *etſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, ad meritum ſcilicet vitæ æternæ. EST quoque primum in ſuauitate & dulcedine; nam ex charitate oritur omnis *ſuauitas* g *iugi Dei, & leuitas oneris* legis ipſius; propter illam h *eius mandata grauia non ſunt*: eſtque proprius eius effectus gaudium in Spiritu Sancto. EST etiam primum in efficacitate, quia eſt cauſa obſeruationis reliquorum præceptorum; & propterea dixit Chriſtus Dominus noſter, ab eo i *pendere vniuerſam legem & prophetas*, & Apoſtolus dicit: k *plenitudinem legis eſſe dilectionem. Denique* etiam eſt primum in intentione.

1.

2.

d *Ephe.* 3. 17

e 1. *Cor.* 13. 13.

3.

f 1. *Cor.* 13. 3

4.

g *Matth.* 11. 30.

h 1. *Ioan.* 5.

5.

i *Matt.* 22. 40.

k *Ro.* 13. 10

l 1.*Tim*.1.5. Propter quod Apoſtolus dixit: *Finem præcepti eſſe charitatem*; quia omnia præcepta ad charitatem tendunt, ad quam tota noſtra intentio eſt dirigenda; & illa debet omnia opera noſtra comitari, iuxta Apoſtolum dicentem, m *omnia veſtra in charitate fiant*, vt eorum bonitas ſit perfecta. Propter has & alias cauſas magni oportet facere hoc præceptum, quod CHRISTVS Dominus noſter, grauiſſimis verbis ſæpe nobis commendauit; ideo que par eſt, me ad perfectam eius obſeruantiam ſeriò excitare: quæ obſeruantia in duobus conſiſtit: in remouendo ſcilicet quocunque amore, & re quauis, quæ charitati aduerſetur, aut illam remittat; & in applicatione ſeria, ad exercenda quæcunque illam augent & promouent. O amator æterne, fac vt *te ex toto corde* diligam, mortificans in eo quidquid eſt amoris proprij; vt ſolus remaneat amor tuus; diligam te ex *tota voluntate* mea, negans illi quidquid illa vult; vt expleã, quod tu vis; diligam te ex *tota anima* mea, refrenans oẽs paſſiones mearum appetitionum, vt omnes eius affectus eant poſt te; diligam te *tota mente* mea, abnegans iudicium meum proprium, & captiuans intellectum meum in obſequium tuæ fidei, & executionem tuæ voluntatis; diligam te ex *omnibus viribus* meis, mortificans ſenſus meos, & applicans facultates animæ meæ ad legis tuæ obſeruationem. Et ſiquidem tua mandata non ſunt impoſſibilia, da mihi vires, ad te diligendum eo modo,

m 1.*Corin*. 16.14.

quo

quo tu vis diligi, & redde mihi iucundum & facilè per tuam gratiã, quod est impossibile per meam debilem naturam. *Quidquid in hoc colloquio posuimus, necessarium est ad explendum perfectè hoc præceptum; ad quod iuuat, quod est dictum in Introductione huius partis, & in Medit.* 8.

PVNCTVM II.

DEINDE considerandum, quòd DEVS Dominus noster, cupiens à nobis diligi, cùm præceptum ea de re constituisset, vires quoque & efficacitatem, ad id exequendum, nobis præbet, excellenti quodam & admirando modo. Nam PRIMVM infinitus hic nostri amator, desiderans amicitiam nobiscum contrahere, & amicitiam ex vtraq; parte esse perfectam, infundit nobis liberaliter charitatẽ, qua illum diligamus; ipsumque amorẽ, quo diligimus; suggerit internas inspirationes, quibus nos iuuat, vt illũ amemus; & ita obstringit nos, vt ea charitate vtamur, a *quæ diffusa est in cordibus nostris*, ad varios actus amoris, & eius augmentum, & ad nouas vires acquirendas, quibus semper in amore proficiamus: & ob hanc causam S. Ioannes dixit: b *Charissimi, diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est*, qua videlicet nos inuicem diligimus; & par est nos eadem vti, ad ipsum amandum, sicut ipse vult amari.

Charitas Dei est causa nostræ.

I.

SED vlterius pergit infinita Dei charitas, qui his nõ cõtentus, ipsummet charitatis creatę fontẽ, qui est c *Spiritus S.* charitas increata,

II.

a *Rom.* 5. 5.

b 1. *Ioan.* 4. 7

c *Rom.* 5. 5.

chari-

charitas viua,& amor viuus,nobis donat; vt nobis internè assistat, vt nostram charitatem conseruet, vitam illi det, illam dirigat, & ad producendos amoris actus excitet; Quamobrem S. Ioannes ait: d *cognoscimus & credimus charitati, quam habet Deus in nobis, quia Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo; & in hoc cognouimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis.* Qui itaque habet virtutem charitatis infusam in anima sua, habet ipsammet charitatẽ viuam & infinitam, ipsum videlicet Deum in quo ipse est, & Deus in eo mutuo inter se amore coniuncti. Nec solùm habet Spiritum sanctum, sed Patrem etiam & Filium, iuxta illud, quod ipse Christus dixit: e *si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ex quo fit, vt intra hominem iustum tres diuinæ personæ maneant, quæ sunt viua charitas, fons, & exemplar eius quam ipse habere debet; adiuuans illum ad exactè seruandas omnes veræ amicitiæ leges, sicut ipse Deus illas seruat. O ineffabilis sublimitas charitatis Dei! ô fons aquæ viuæ; qui manens in corde terreno, illud ad tertium vsque cœlum eleuas, & beatissimæ Trinitati coniungis! O Trinitas beatissima, quæ non solùm tuos electos diligis, sed etiam amoris nomẽ tibi attribuis; vt ipseme CHARITAS voceris, quò omnes de ea gloriemur. O anima mea, exulta & exili præ lætitia,

d 1. *Ioan.* 4. 13.16.

e *Ioan.*14.23

titia, quia Deus tuus charitas est. Si Deus charitas est, quid ea potest esse melius? si is qui est in charitate, est in Deo, quid potest esse securius? & si Deus in eo est, quid potest esse lætius? Quid itaque diligis, si talem charitatem non diligis? Et siquidem hic Deus charitatis, vult intra te manere, & te intra ipsum, vt te totam charitate repleat; intra & tu in te ipsam, & aspice infinitum exemplar huius charitatis, quam habes intra te; ac dilige Deum tuum Trimum & Vnum, sicut ipse diligit seipsum; & coniungas te illi per charitatem, sicut ipsæ diuinæ Personæ vnitæ sunt per Essentiam; quia omnes Tres sunt vna eademque charitas. O Deus meus, ostende mihi, charitatem tuam, & amorem tuum da mihi ſ *diligam te Domine fortitudo mea, refugium meum*, & consolatio mea! Diligam te, sicut tu me diligis; & sicut tu vis amari in secula, Amen.

S. Bern. & S. Thom. in 1. Ioan. 4.

ſ *Psal. 17. 1*

HAE iaculatoriæ orationes & aliæ similes, sunt frequenter repetendæ, vt breui obtineatur charitas, nunc eam petendo, nunc eam exercendo; neque enim aptius vllum & efficacius est medium ad obtinendam charitatem, quàm diligere & orare, modo prædicto.

PVNCTVM III.

Amantis præmia.

TERTIÒ considerandum, quòd infinita Dei charitas, quæ adeò cupit à nobis amari, etsi satis fuisset iussisse, vt ipsum amaremus, imò etiã, nullò adibito præcepto,

debuis-

debuissemus merito illum amare; nihilominus ipsi præcepto addere voluit ingentia præmia corporalia & spiritualia, temporalia & æterna, vt magis adhuc nos sui amore obstringeret & ad se alliceret: & ideo in Deuter. cùm iussisset populo suo, vt ipsum amaret, adiecit,
a *Deut.* 10. 13. a *vt benè sit tibi?* quasi diceret, non tibi mando, aut à te peto, vt me ames ob cõmodum, quod ex tuo amore ego expecto; sed propter bonũ, quod tu accipies, si me dilexeris: quantum autem sit hoc bonum, ex tribus aut quatuor capitibus deprehendi potest.

I. PRIMVM, quia præmium vitæ æternæ datur propter amorem, ita vt ad charitatis mensuram, reddenda sit gloria. Et quamuis aliquis præstiterit opera ex se insignia, conuerterit plures animas, passus fuerit magnas aduersitates; si tamen non peruenerit ad tantã charitatẽ atq; alter, qui talia non fecerit, quia non potuit, non habebit parẽ huic gloriam. Et ita
b *Ioan.* 14. 21. ipse Christus Dominus dixit: b *qui diligit me, ego diligam eũ, & manifestabo ei meipsum*: quasi diceret, propter amorem, quo me amat, faciam illum beatum, ad claram scil. mei visionem illum deducens; & quò ampliùs me dilexerit, eò videbit clariùs; & gaudebit in me, & altiorẽ in regno Patris mei thronũ habebit.

II. DEINDE dona & fauores cœlestes, quæ præmiũ sunt huius vitæ, etiã ad amoris mensuram cõmunicantur, qui disponit ad ea recipienda: vnde sapientia diuina de seipsa dicit:
c *Pro.* 8. 20. c *in viis iustitiæ ambulo; in medio semitarum iu-*

dicij,

dicy, vt ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam. O Sapientia æterna, quæ iuſtitiam tuam & rectitudinem oſtendis in reddendo præmio & fauendo ijs, qui te diligunt dirige & adiuua me, vt ambulem per vias iuſtitiæ, & per ſemitas perfectionis, te viribus meis omnibus diligendo; vt efficiar dignus, quem cœleſtibus tuis diuitijs dites, & mea deſideria impleas theſauris tuorum æternorum bonorum.

III.

PRAETEREA amantiſſimus hic DEVS, philtri loco innumeris beneficijs vtitur, vt nos præueniens, d *trahat* ad ſuum amorem & ſeruitium, *in funiculis Adam & in vinculis charitatis*; fouens ignem amoris, lignis donorum, & flatu ſuarum inſpirationum: quia eius in mundum aduentus fuit, e *vt ignem mitteret, cuius deſiderium erat, vt arderet*; vt ſic haberet etiam in terra Seraphinos, ſicut habet in cœlo. O cœleſtes Seraphini, qui igne amoris ardetis, orate DEUM veſtrum, vt iſto igne me inflammet, itaq; illum foueat, vt ſemper ardeat in hac vita, donec vobis coniungar in æterna, Amen.

d *Oſea.* II. 4.

e *Luc.* 12. 49

IV.

DENIQVE, vt ex omni parte vincti teneamur, & ligati ipſius amore; minatur nobis horrenda ſupplicia, ſi tranſgrediamur præceptum, ipſum diligendi. nam, deficiente amore, deficit vita gratiæ, & deficiet æterna gloriæ; & loco eius ingreditur mors, & infernus; & propterea dixit S. Ioan. f *qui non amat, manet in morte* animæ, & æternũ permanebit

f 1. *Ioan.* 3. 14.

in

in morte æterna, & Apoſtolus dixit: g *ſi quis Dominum* IESVM *Chriſtum non diligit, ſit anathema, maranatha*; & in die iudicij ſeparetur à bonis, qui illum amant; & mittatur ad ignes æternos, qui comburent eum odientes. Ex his omnibus cognoſcam obligationem; qua teneor Deum Dominum noſtrum amare, præcipuè propter ſeipſum, propter bonitatem ſuam infinitam, & propter amorem quo me proſequitur; accipiens hoc (vt ait S. Thomas) pro motiuo proprio amoris mei; qui, teſte S. Bernardo, quando eſt purus, quamuis non ſit mercenarius, non caret tamen mercede; ſed potiùs tantò maius præmium conſequetur, quantò minùs illud quærit: Nihilominus, vt ille conſeruetur & augeatur; vti poſſum tribus illis rebus, quas hic poſuimus: *præmijs* videlicet, quæ ſpero; *bonis*, quæ accipio; & *ſupplicijs* quæ timeo; conficiens ex tribus his rebus h *funiculum triplicem*, quo me fortiùs cum hoc amore conſtringam; ne tres hoſtes mei, mundus, caro, Dæmon præualeant contra me, aut ſeparare me poſſint à charitate Chriſti. O Chriſte amantiſſime & benigniſſime, benedictus ſit, eritque, qui te diligit; maledictus autem eſt, & erit, quicunque te odit. Quis te non diligat, Deus meus, qui tot benedictiones effundis ſuper te diligentem? & quis te oderit, ſiquidem tot maledicta deſcendunt ſuper te odientem: Eleua, anima mea, alas cordis tui ſupra omnia creata, & ſuper te ipſam; tranſcende quidquid eſt præ-

g 1. Cor. 16. 22.

2. 2. q. 27. a 3.

Serm. 38. in Cant. & tract. de diligē. Deo §. dicto proinde.

h *Eccl.* 4. 12.

Bern. lib. de diligen. Deo § felix qui meruit.

mium,

mium, & pœna, & emolumentum tuum, & vola velociter ad intimum & ſupremũ, quod eſt in tuo Creatore, dilige illum propter ſeipſum & infinitam eius bonitatem & charitatem; dilige illum, quia te ipſe diligit, & quia cupit à te amari; gratificare illi in eo, quod à te petit, ſiquidem illud petit commodi tui cauſa: lauda & glorifica illum, quia iubet vt illum ames, vireſque concedit ad implendum, quod eſt dignatus mandare. O Dilecte mi, quid ad te, quòd ego te diligam? aut quid tua refert, vt ego tecum amicitia coniungar? mea certè refert Domine, & non tua; ſed infinita tua charitas ita id vrget, atque ſi ita tua intereſſet, atque mea. O ſi in hoc poſſem tuum amorem imitari, mei omninò oblitus, vt te ſolùm, vnicum, & ſummum bonum meum diligerem! cui ſit honor; & gloria, & laus continua in ſecula. Amen.

MEDITATIO XLI.

DE INFINITA DEI MIſericordia.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDA primùm eſt excellentia miſericordiæ diuinæ, cum eius iuſtitia comparatæ, præmittendo quod hæc duo attributa appareant in omnibus donis, quæ à Deo accipimus; iuſtitia in eo qu òd

S. Thom. 1. p. q. 21 a. 3.

eo quòd illa distribuat iuxta ordinem infinitæ suæ sapientiæ, & iuxta id quod cuiusq; rei natura, & cuiusque personæ merita exigunt; Misericordia, in eo quòd per ea nos liberet à defectibus & miserijs, quas patimur, siue ob naturæ nostræ imperfectionem, siue ob liberæ voluntatis culpam; id quod facit duplici ratione; vel præueniendo ipsam miseriam, vel ab ea, postquam in eam incidimus, liberando: & iustitiæ Dei proprium opus est, castigare eos, qui misericordiæ fructus reijciunt.

His præmissis, considerandum est, quòd quamuis diuinæ perfectiones, quà in Deo sunt, omnes sint æquales; in ordine tamen ad effectus, qui in eis resplendent, altera alteri præeminet. Et in hoc eminet maximè misericordia, de cuius operibus magis gloriatur Deus, quàm de operibus iustitiæ; & ita dixit sanctus Iacobus: a *misericordia superexaltat iudicium*, & supereminet iustitiæ. Quod ita expendi potest, vt dicamus, misericordiam præcedere, comitari, & sequi iustitam in omnibus suis operibus.

a *Iac.2.13.*

I. *S.Thom.1. p.q.21.a.4.*

PRIMVM semper misericordia præcedit: nam omnia opera iustitiæ præsupponunt aliquod opus misericordiæ; in quo fundantur; & priusquam Deus per iustitiam castiget peccatores, exhibet illis infinitas misericordias, nam remisit sæpissimè lapsis, monet, vt se emendent, & eius iustitiam timeant. Hinc est, quod misericordia & venia oriuntur à solo Deo, qui sola sua infinita bonitate, vult nos

à no

â noſtris miſerijs liberare; at iuſtitia in pœna inferenda, non à ſolo Deo procedit, ſed etiam à noſtris peccatis, quæ illum ad id prouocant. Nam eius propenſio fuiſſet potiùs non habere occaſionem exercendi ſuam iuſtitiam punientem: ideoque per ſuum Prophetam Ezechielem dixit: b *nunquid voluntatis meæ eſt mors impij? & non vt conuertatur à vijs ſuis, & viuat?* & Sapiens: c *quoniam Deus mortem non fecit, impij autem manibus & verbis accerſierunt illam.* O Deus miſericordiſſime, ſiquidem *non lætaris in perditione viuorum*, ſed gemis potiùs cùm caſtigas; læraris autem, cùm reddis præmium: præueni tua miſericordia culpas noſtras, ne illæ tuam iuſtitiam cogant, inferre ſupplicia.

b *Ezech.* 18. 23. & 33. 11.
c *Sap.* 1. 13.

II.

DEINDE miſericordia etiam comitatur opera iuſtitiæ, quæ nunquam ab ea nuda ſunt: nam in medijs ſupplicijs, quæ infert, multas inſerit miſericordias, iuxta illud Dauidis: d *num obliuiſcetur miſereri Deus aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas?* quaſi diceret: etiamſi valdè iraſcatur, non obliuiſcetur miſericordiæ ſuæ, ſed hanc cum ira miſcebit. Et ſimile quid dixit Habacuc Propheta; e *cũ iratus fueris, miſericordiæ recordaberis*; id quod facit monendo ſuos inimicos, vt eius caueant pœnam, & offerendo illis veniam; temperando etiam plurimùm pœnam, quam eorum culpa exigebat. In ipſo etiam inferno diuina ſe oſtendit miſericordia. Nam (teſte S. Thoma) damna-

d *Pſal.* 67. 10.
e *Hab.* 3. 2.
1. *p. q.* 12. *a.* 4. *a. l.* 1.

damnatos castigat citra condignum, minùs scilicet quàm potuisset castigare, iuxta grauitatem peccatorum eorum.

III. EX quo fit, vt misericordia sit tanquam finis iustitiæ: cuius pœnæ eò diriguntur, vt castigatus emendetur, & capax fiat misericordiæ DEI: quod si is noluerit, se emendare; alij saltem, occasione sumpta ex pœna illi illata, recurrant ad diuinam misericordiam; quæ emineat magis ac resplendeat in bonis, cùm ponitur è regione iustitiæ, quæ exercetur in malos. Et hanc ob causam dixit Apostolus, f *Deum in multa patientia sustinuisse vasa* Rom. 9.22 *iræ*, reprobos scilicet, *vt ostenderet diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ*, hoc est in electos, in quibus manifestatur magnitudo misericordiæ Dei, qui eos liberauit ab ea miseria, in qua sunt reprobi.

IV. DENIQVE multò excellentiora opera Deus fecit, vt veniam per misericordiam daret, quàm vt castigaret per iustitiam, vt mox videbimus. Et ideo dixit Dauid: g *miserationes* g Psa. 144. 9 *eius super omnia opera eius.*

EX omnibus his considerationibus magnos deducam affectus gaudij, fiduciæ, & amoris: siquidem ex dictis constat, quamuis magna habeamus motiua timendi iustitiam Dei; maiora tamen esse, quæ habemus, sperandi eius misericordiam. Et quamuis vtramque oporteat amplecti, ne vel sola iustitia tantum mihi metus incutiat, vt deficiam; vel sola misericordia tantam adferat fiduciam,

vt præ-

vt præſumam: ſemper tamen adhærebo magis miſericordiæ. Et in omnibus meis miſerijs & lapſibus, licebit (teſte Sancto Thoma) à tribunali iuſtitię, ad miſericordiæ tribunal prouocare, tanquam ab inferiori, ad aliquo modo ſuperius, ſicut eſt dictum: & h *adire* (vt ait Apoſtolus) *cum fiducia ad thronum gratiæ eius: vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus, in auxilio opportuno*, quò ſcilicet in tempore, ad id conſtituto, liceat operari. O Deus æterne, gaudeo quod ſimul ſis i *iuſtus & miſericors*; k *iuſtus, quia iuſtitiam diligis, & æquitatem* ſemper *videt vultus tuus*; miſericors, quia etiam iniuſtorum miſereris, condonans illis iniuſtitias, vt bonitatem amplectantur: ſed profuſior tamen es in miſericordia quàm in iuſtitia, nam, etſi l *viſites iniquitatem Patrum in filios* qui eos ſcilicet imitantur, *in tertiam & quartam generationem eorum, qui te oderunt*; *miſericordiam tamen facis*, non in quartam, ſed *in mille* etiam *generationes ijs, qui diligunt te*. Venerer ego Domine tuam iuſtitiam, eiuſq; iuſtiſſimæ correctioni me ſubijcio; cupio tamen prævalere in me tuam miſericordiam, quæ me ſuum vas & inſtrumentum efficiat, vt tu in me glorificeris, & ego cantem miſericordias tuas in ſocietate tuorum electorum, in æternum. Amen.

In cap. 2. Epiſt. S. Iaco.

h *Heb.* 4. 16.

i *Pſal.* 114 5.

k *Pſal.* 10. 8.

l *Exod.* 20. 5

PVNCTVM II.

DEINDE conſideranda eſt magnitudo & latitudo miſericordiæ Dei, erga omnes

creaturas, & omnes earum miſerias, quæ eſt
a Sap. 11. 24. infinita quia fundatur in eius omnipotentia, iuxta illud Sap. a *miſereris omnium, quia omnia potes.* Gaude, anima mea, quod Deus tuus ęquè ſit potens, atque eſt miſericors; & quod poſſit eius omnipotentia certum remedium adferre cuiuis miſeriæ, cuius miſericordia eius, compaſſione mouebitur. O Miſericordia, omnipotens, & omnipotentia infinitè miſericors; quam cõmodè conuenitis in noſtrum remedium: altera voluntatem, altera poteſtatem cõferente, & vtraq; noſtram perfectionem efficiente! ſi miſericordia eſſet abſq; omnipotentia; quomodo poſſet mihi remedium adferre? &, ſi omnipotentia eſſet abſq; miſericordia,
b Pſal. 61. 12. quomodo inclinaret ad ſubueniendũ? Attende propterea, anima mea, quod dixit Dauid: b *ſemel locutus eſt Deus*, & tamen *duo hæc audiui*, quæ dixi; *quia poteſtas Dei eſt & ei* competit *miſericordia.* O Deus animæ meæ, hæc duo, quæſo, intra cor meum firmiter, valdè, efficaciterq; loquere: & hanc tuæ miſericordiæ cũ Omnipotentia coniunctionem ſuperna tua luce mihi reuela: vt omnipotenti tuæ miſericordiæ confidens tibi ſeruiam cum lætitia.

I. HINC poſſum ratiocinari de magnitudine & multitudine miſericordiarum Dei, capita quædam perpendendo. PRIMVM, quod, vt ait Dauid: c *miſericordia Dei plena ſit terra*, quia omnes creaturæ, quæ in ea ſunt, alicui miſeriæ ſunt ſubiectæ, aut ob naturæ defectũ, aut ob voluntatis propriæ malitiam: & ſolus

c Pſal. 32. 5. & 118. 64.

Deus

Deus est, qui & subuenire potest, & reipsa subuenit: ideoq; licet totum terræ orbem aspicere, tanquam vas quoddam capacissimum, misericordijs Dei repletum: & quidquid in ea videro, incitamentum mihi esse poterit ad laudandam eius misericordiam.

II.

Ex quo fit, vt misericordia eius tanta sit, quæ etiam ad bestias & brutas animantes se extendat; iuxta illud Dauidis: d *homines & iumenta saluabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus*: quasi diceret, ô quantum Domine multiplicasti misericordiã tuam: siquidem non solùm vitam & salutem hominibus, & remedium eorum necessitatibus adfers, sed ipsis etiã iumentis! Gratias tibi pro misericordia, quam illis exhibes, eam nõ cognoscentibus: & qui e *pullis coruorum te inuocantibus das escam*, quando eorum necessitas clamans, illam petit: multò magis compatieris filijs hominum, quorum gratia bestias condidisti! Vbi licet perpẽdere, quod ipse Dominus dixit Ionæ: f *tu doles super hederam, quæ perijt; & ego non parcã Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt plus quam centũ viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram suam, & iumenta multa.* Quasi diceret: graue tibi est, si creatura illa destruatur, quam tu non fecisti; & vis interim, vt ego destruam, quas feci? tu doles ob iacturam vnius hederæ, quæ vnius noctis spatio nata est, ac perijt; & non dolebo ego, quod pereant tot vitæ, quæ ex misericordia mea tot annis perdurarunt?

d *Psal.* 35.1

e *Psa.* 146.9

f *Iona.* 4.10.

LAVDET te, Deus meus, infinita tua misericordia, quę incomparabiliter maior est omnibus rerum vitis, g *melior enim est misericordia tua super vitas.* siquidem illa est, quæ viuẽtibus omnibus vitam largitur; & sine ea, nec vlla vita est, nec vllum medium eam conseruandi: h *veniant mihi miserationes tuæ Domine, & viuam:* vt propter eas glorificem nomen tuum in æternum. Amen.

g *Psal.* 62.4

h *Ps.* 118. 77

III. Ex his concipiam fiduciam magnam de misericordia Dei, quod miserebitur mearum miseriarum: & perpendam, eas non posse esse aut numero tot, aut tam graues, siue sint corporis incommoda, siue animi afflictiones, siue pœnæ & aduersitates quæcunq;, à quibus Dei misericordia non possit & velit, quantum in se est, liberare, quando mihi expediet, nam si miseriarum mearum non est numerus, multò minus erit misericordiarum eius.

PVNCTVM III.

Misericordia Dei erga peccatores.

TERTIÒ perpendenda est in particulari infinita Dei misericordia erga peccatores; de qua dixit Sap. a *misereris Domine omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ sunt, parcis autẽ omnibus: Quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.* Hinc deducemus proprietates infinitæ misericordiæ Dei.

a *Sap.* 11. 24

I. PRIMA proprietas est, quod se extendat ad vniuersos homines cuiuscũq; sint status & cõditio-

ditionis, nullo prorsus excluso: ideo enim dicitur: *miserere omnium*, siue magni sint, siue parui; nobiles, siue ignobiles; liberi, siue mancipia: quia vniuersalis huius regulæ nulla est exceptio, cuius duas adfert Sapiens rationes. PRIMA est, quoniam omnes peccatores, Dei opus & factura eius omnipotentiæ sunt; cui omnipotentiæ, misericordiam coniunctam esse diximus. SECVNDA ratio est, quia Deus animas amat: ex amore autem oritur cõmiseratio miseriarum, quibus res amata premitur. His duabus rationibus siue titulis frequenter mihi vtendum est, tam ad fiduciam diuinę misericordiæ in me excitandam; quàm ad petendum à Deo, vt eandẽ erga me exerceat. O anima mea, si culpa, quam sponte admisisti, te deiicit; animet ad confidentiam id quod fecit Deus suâ omnipotentiâ. Si tu vis, pœnitentiâ delere malum, quod fecisti; certissimum est, Deum suâ misericordiâ reparaturum bonum, quod ipse fecerat; nec misericordiam eius defuturam operi, quod ex eius prodiit omnipotentia. O animarum amator, qui & meam amas, quia eam fecisti, (*neque enim odiens aliquid fecisti*) si enim illam odisses, nunquam fecisses; remitte mihi culpam, quam ego feci: ne quid in me sit, quod tu oderis. Aspice, quòd, quam amas, sit plena miseriis; ostende erga eam tuam copiosam misericordiam.

II. SECVNDA proprietas infinitæ Dei misericordiæ est, quòd se extendat ad omnia peccata, quamuis plurima illa & grauissima sint;

nullum enim peccatū adeò graue esse potest, quo Dei misericordia non sit infinitè maior, ad illud remittendum; nec esse possunt peccata adeo innumera, quibus Dei misericordiæ non sint incomparabiliter magis innumeræ. Quæ duo tanquam titulū & causam adhibere possum, ad impetrandam meorum peccatorū veniam; dicens cum Dauide: b *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam: & secundum multitudinem miserationum tuarum, dele statim iniquitates meas.* O Deus misericordissime; c *citò anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis*, & multæ magnæque sunt nostræ miseriæ.

b *Psal.* 50. 3

c *Psal.* 78. 8.

III. Ex his oritur tertia proprietas misericordiæ Dei, quæ est, expectare peccatores, vt pœnitentiam agant; quibus & veniam offert, & reipsa dat facilimè, cùm eam petunt; nec amplius peccatorum recordatur, quàm si illa non admisissent. Hoc est enim quod Sapiens dixit, *dissimulare Deum peccata hominum propter pœnitentiam*; quasi fingentem, se illa non nosse, quoad pœnam inferendam, sed expectare illorum pœnitudinem: quamprimum autem pœnituerit illos, ita peccata dissimulare, atque si non sciret, illa fuisse admissa, & d *projicere*, vt ait quidā Propheta, *in profundum maris omnia peccata nostra*: & e *quantum distat ortus ab occidēte* (ait Dauid) *longè facere à nobis iniquitates nostras.* Nā, vt est impossibile duo hæc extrema coniungi: ita fieri non potest, vt culpa, quam suâ misericordiâ Deus semel remisit,

d *Mich.* 7. 19

e *Ps.* 102. 12.

Psalm 18

Psalm 44

Psalm 45

Psalm 46

nam propterea Christus Dominus noster dixit: k *Beatos esse misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

k *Matt.5.7.*

PVNCTVM IV.

Dei misericordia erga iustos.

PERPENDENDA est præterea Dei misericordia erga iustos, ipsum diligentes, eique seruientes; & erga electos suos, vt sint, iuxta Apostolum, a *vasa misericordiæ*, instrumenta videlicet, in quibus ostenderet abyssum misericordiarum suarum, & omnes excellentias, quas continet hoc eius attributum, de quo ipse tantopere gloriatur.

a *Rom 9.23*

I.

PRIMVM misericordia Dei erga suos electos est æterna, nec principium habens, nec finem; nam à quo Deus est Deus, misericordiam habuit erga illos: quæ misericordia tam diu perdurabit, atque ipse Deus: id enim voluit Dauid, cùm dixit: b *misericordia Domini ab æterno vsq; in æternum super timentes eum*: sicut supra diximus de eius amore, quòd esset æternus: quia ab ipsa æternitate illos prædestinauit Deus, ac decreuit liberare ab omnibus eorũ miseriis, & nominatim à sũma miseria, quę est æterna damnatio, dareq; illis supremã felicitatem, quæ est beatitudo æterna: Et, quantum in se est, eius misericordia, idem semper habuit desiderium erga omnes homines. Quare, antequã ego essem, Deus est misertus mei; & præuidens miserias, in quas essem deuenturus, decreuit me ab eis liberare; si vellem ego ipsi obedire, animo & voluntate in ea misericordia perseuerandi in æternum. Ex quo

b *Ps.102.17*

ardeu-

lentissimum concipiam affectum laudandi glorificandi Deum, ob æternam hanc eius sericordiam, conficiens canticum laudum, ile illi Dauidis, qui ad singulos versus retit illa verba: c *quoniam in æternum miseri-dia eius. Confitemini Domino, quoniã bonus, oniam in æternum misericordia eius. Confitemini Deo Deorum, & Domino Dominorum, quoam in æternum misericordia eius; qui facit mibilia magna solus, quoniam in æternum miseridia eius, &c.* O Anima mea lauda, glorifica, benedic Deum tuũ, quia summè bonus est; quia nec principiũ habuit, nec finem habira est eius misericordia. Gaude summo gauo, eò quòd Deus bonus sit; & eius misericora, erga eos qui illi seruiunt, æterna. O Deus erne, d *legem tuam custodiam semper, in selum & in seculum seculi*: siquidem tua misecordia æterna mihi est in omnia secula.

c *Psal.* 135. 1 &c.

d *Psal.* 118. 44.

DEINDE misericordia Dei, statim atque lectus incipit esse, illum præuenit, semper omitatur, & vsque ad mortem sequitur: Nam isericordia, quæ illum ab æternitate e *præstinauit*, sensim illum postea *vocat*, vt *iustiat*; iustificat, vt exaltet ac *glorificet*: ideoque xit per Ieremiam, *charitate perpetua dilexi*, f *ideo attraxi te miserans tui.* Si mortuus iaco in culpa, misericordia Dei prçuenit me ac ocat, vt resurgam ad nouam vitam; si dormio torpore & ignauia, Dei misericordia acceit, excitatq; me, vt eam ignauiam excutiam;

II.

e *Rom.* 8 30.

f *Ierem.* 31, 3

Si ali-

Si aliquid ſum facturus, quod Deo placeat,
g *Pſal.* 58. 11 *eius miſericordia me præueniens*, inſpirat, & ad illud faciendum inducit; ſi in bono, quod cœpi, ſim perſeueraturus: h *miſericordia eius ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ*; per eam ſuperabo tentationes omnes; & vltimam conſequar victoriam, & æternam vitam. i *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius; qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; & ſanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, & coronat te in miſericordia & miſerationibus.* Eius miſericordia eſt tua corona, qua victoriam conſequeris: in hac vita coronat te bonis operibus, & in altera coronabit ingentibus præmiis.

III. HINC tertiò fit, vt miſericordia Dei ſit erga electos altiſſima; quia eos extollit ad altiſſima bona, quæ ipſe habet, ad bona ſcilicet gloriæ. Et ideo iure optimo dixit Dauid k *magna eſt l in cælo, & ſuper cœlos miſericordia tua*: ibi enim ea maximè explicatur erga electos. imò etiam in hac vita, eſt Dei miſericordia erga eoſdē altiſſima; quia eos extollit ſupernis bonis gratiæ ac protectionis ſuæ. Et ideo dixit idē Dauid: m *ſecundum altitudinem cœli à terra, corroborauit Deus miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe*: & ſicut cœlum ſemper durans, terram ſemper cooperiet; ita Dei miſericordia durabit ſemper, & proteget ſemper eos, qui illum amant: & quantò cœlum altius

k *Pſa.* 107. 5
l *Pſal.* 35. 6.
m *Pſ.* 102. 11

eſt

t terra, eò miſericordia eius maior eſt, quàm oſtra miſeria. nam n *quomodo miſeretur Pa-* n *Pſa.*102.13
r filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe,
uoniam ipſe coguouit figmentum noſtrum*; ſup-
letque defectus eius, & magnam noſtræ na-
ræ imbecillitatem magnitudine ſuæ miſe-
icordię. O Deus meus, & gloria mea, quid di-
am de miſericordia tua! quomodo te ob eam
audabo? quomodo eius vas & inſtrumentum
ſſe potero? miſericordia tua compaſſa mihi
lt, antequam ego eſſem; illa me creauit vt eſ-
em; illa me præuenit, vt operer; comitatur,
lum operor; & ſequitur, donec perficiam
pus; illa me circumdat benedictionibus ma-
nis, coronat victoriis, & magnam ſpem facit
obtinendi æterna. o *Deus meus miſericordia* o *Pſal.*58.18
nea! Tu es ipſa miſericordia, & tua eſt omnis
miſericordia, quia ex natura tua habes quòd
is miſericors: ſed eſt etiam mea; nam miſeri-
cordia non eſt pro te, qui miſeriis cares; ſed
pro me, qui illis abundo, quibus tu ſolus potes
ubuenire. O miſericordia mea, coniunge me
ibi in tua æterna gloria, vbi ſemper ſis mea,
vt tua fruens beatitudine, liber ſim ab omni
miſeria in æternum, Amen.

PVNCTVM V.

VLTIMÒ perpendenda ſunt indicia, quę dedit Deus, ſuæ erga homines miſeri-cordiæ. eam enim manifeſtauit exactiſ-ſimo, qui poſſibilis erat, modo, in quo infiniti modi miſericordiæ continentur.

I.

NAM inprimis misericordia in nobis duplicem habet effectum; alter est, tristari de malo proximi; alter, eundem ab illo malo liberare. Et quoniam Deus, quà Deus est, non erat capax primi effectus, quia non potest cadere in eum tristitia; voluit tamen infinita eius misericordia, sibi non deesse talem effectum, eo modo, quo erat possibilis: ideoque factus est homo verus, vt contristari posset de nostris miseriis; & ve am earum compassionem sentire, atque si eius essent propriæ. quare a *debuit* (ait Apostolus) *per omnia fratribus similari, vt misericors fieret*; quodam scilicet nouo modo accipiens compassionem & tristitiam, quas antea non habebat; quarum testes sunt lachrimæ quas fundebat, videns miserias nostras; & optans, nos ab eis liberare. Gratias tibi, ô misericors Deus, ob nouum hunc modum, quem adinuenisti, vt esses erga hominem misericors. O lætitia infinita, cur vis capax fieri tristitiæ, quæ abundè potes miseriæ meæ succurrere, etiam si non tristeris de ea! laudetur, Deus, misericordia tua, propter has inuentiones, quæ ab illa processerunt: propter quam supplex oro, vt me iuues eam in hac vita æmulari, vt fiam dignus, eandem in altera obtinere.

S. Thom. 1. 21. a. 3.

Heb. 2. 17.

II.

SED vlterius progressa est misericordia Dei. Nam non satis habens, tristitiam & compassionem interiorem suscepisse, accepit etiam miserias omnes nostras & pœnas (excepta culpa) vsque ad ipsam mortem: vt hoc

ipso

ipso experimento discerет nouam rationem miserendi: Quamobrem dixit Apostolus:b *nõ habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine nostra, absque peccato*: quasi diceret: Pontifex,quem habemus,non erit ita seuerus,vt sola iustitia nobiscum agat;sed cõpatietur ex magna misericordia; quia expertus in se ipso est labores & tentationes, quas nos homines patimur; quamuis absq; peccato: Nam in eo quod passus est,didicit compati & misereri eorum,quæ nos patimur. O Pontifex misericordissime, etsi expertus non es miserias, quæ sunt culpæ, expertus es tamen pœnas,quas culpæ promeruerunt;& siquidem passus es, vt ab vtrisque me liberares,libera à culpis,ne incidam in æternas pœnas.

b *Heb.* 4.15.

SED neque hic subsistit infinita Dei misericordia. adinuenit enim nouam aliam rationem,exercendi opera misericordiæ erga nos; in sanctissimo scilicet altaris Sacramento,factus cibus esurientibus,potus sitientibus,medicina ægrotantibus,pretium redimendis captiuis,sacrificium remittendis peccatis,adiutor & remedium omnibus nostris necessitatibus. Ideoque non absque mysterio Dauid hoc opus tribuit misericordiæ Dei, dicens: c *memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: escam dedit timentibus se.* O Deus misericordissime,nouo nunc titulo licebit te misericordiam meã appellare: vt qui non solùm sis misericors, vt meæ necessitati

III.

c *Psal.* 110.4

I. NAM inprimis misericordia in nobis duplicem habet effectum; alter est, tristari de malo proximi; alter, eundem ab illo malo liberare. Et quoniam Deus, quà Deus est, non erat capax primi effectus, quia non potest cadere in eum tristitia; voluit tamen infinita eius misericordia, sibi non deesse talem effectum, eo modo, quo erat possibilis: ideoque factus est homo verus, vt contristari posset de nostris miseriis; & ve am earum compassionem sentire, atque si eius essent propriæ. quare a *debuit* (ait Apostolus) *per omnia fratribus similari, vt misericors fieret*; quodam scilicet nouo modo accipiens compassionem & tristitiam, quas antea non habebat; quarum testes sunt lachrimæ quas fundebat, videns miserias nostras; & optans, nos ab eis liberare. Gratias tibi, ô misericors Deus, ob nouum hunc modum, quem adinuenisti, vt esses erga hominem misericors. O lætitia infinita, cui vis capax fieri tristitiæ, quæ abundè potes miseriæ meæ succurrere, etiam si non tristeris de ea! laudetur, Deus, misericordia tua, propter has inuentiones, quæ ab illa processerunt: propter quam supplex oro, vt me iuues eam in hac vita æmulari, vt fiam dignus, eandem in altera obtinere.

S. Thom. 1. q. 21. a. 3.

a *Heb.* 2. 17.

II. SED vlterius progressa est misericordia Dei. Nam non satis habens, tristitiam & compassionem interiorem suscepisse, accepit etiam miserias omnes nostras & pœnas (excepta culpa) vsque ad ipsam mortem: vt hoc

ipso

ipſo experimento diſceret nouam rationem miſerendi: Quamobrem dixit Apoſtolus:b *nõ habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris; tentatum autem per omnia pro ſimilitudine noſtra, abſque peccato*: quaſi diceret: Pontifex,quem habemus,non erit ita ſeuerus,vt ſola iuſtitia nobiſcum agat;ſed cõpatietur ex magna miſericordia; quia expertus in ſe ipſo eſt labores & tentationes, quas nos homines patimur; quamuis abſq; peccato: Nam in eo quod paſſus eſt,didicit compati & miſereri eorum,quæ nos patimur. O Pontifex miſericordiſſime, etſi expertus non es miſerias, quæ ſunt culpæ, expertus es tamen pœnas,quas culpæ promeruerunt;& ſiquidem paſſus es, vt ab vtriſque me liberares,libera à culpis,ne incidam in æternas pœnas.

b *Heb.* 4.15.

III.

SED neque hic ſubſiſtit infinita Dei miſericordia. adinuenit enim nouam aliam rationem,exercendi opera miſericordiæ erga nos; in ſanctiſſimo ſcilicet altaris Sacramento,factus cibus eſurientibus,potus ſitientibus,medicina ægrotantibus,pretium redimendis captiuis,ſacrificium remittendis peccatis,adiutor & remedium omnibus noſtris neceſſitatibus. Ideoque non abſque myſterio Dauid hoc opus tribuit miſericordiæ Dei, dicens: c *memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe.* O Deus miſericordiſſime,nouo nunc titulo licebit te miſericordiam meã appellare: vt qui non ſolùm ſis miſericors, vt meæ neceſſitati ſubue-

c *Pſal.* 110.4

subuenias; sed ipsemet sis remedium eius, &
d Ps. 106. 9. ipsa misericordia, qua illi subuenis. d *Confiteantur tibi Domine misericordiæ tuæ, & mirabilia tua,* quæ feciſti *filijs hominum: quia satiasti animam inanem, & animam esurientem satiasti bonis.*

Ex his considerationibus discam, quàm sint innumerabiles misericordię Dei, & quàm immensæ; siquidem in singulis his rebus tot sunt misericordiæ, vt non possint comprehẽdi. Sed ex omnibus concipiam magna desideria, eas imitandi in bonum proximorum; siquidẽ ipse
Luc. 6. 36. Christus exhortatus est nos, e *vt simus misericordes sicut Pater noster cœlestis misericors est,* & benignus, etiam erga ingratos & malos. Quare aspiciens exemplar Diuinæ misericordiæ, quod quinq; præcedentibus punctis propositum est, discam similem misericordiam; vt scilicet cupiam, occurrere mihi occasiones, eam exercendi: dicens, quod alia mente
2. Reg. 9. 3. dixit Dauid: f *nunquid superest aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam Dei?* misericordiam videlicet altissimam, ei similem, quæ est Dei; quæ ad amicos & inimicos se extendit, concedens omnibus altissima & suprema bona, quibus liberentur ex abysso malorum. O DEVS æterne, cuius nomen valde
g Cor. 1. 3. proprium est g *Pater misericordiarum*, ostende nobis misericordiam tuam, faciens nos tibi similes in ea; vt te tanquam filij imitantes in terra, consequamur æternam hæreditatem in cœlo.

MEDI-

MEDITATIO XIII.

DE INFINITA DEI ERGA homines liberalitate.

PVNCTVM I.

PRIMÒ considerandum, quòd infinita Dei LIBERALITAS in eo consistat, vt innumerabilia & excellentissima dona largiatur suis creaturis, non quod ad id teneatur, aut quòd propterea retributionem, aut emolumentum aliquod proprium ab eis expectet. Quamobrem dixit S. Iacobus; quod a *Deus dat omnibus affluenter, & non improperat.* Liberalitas itaque Dei nostri, relucet in conferendis nobis donis, quæ ab eius bonitate & charitate procedũt, cum quibus magnam hoc attributum habet affinitatem, quæ liberalitas in quinque potissimum rebus apparet. PRIMVM, in donis innumeris naturæ & gratiæ, quæ ipsa confert iuxta capacitatem suarum creaturarum. DEINDE, quòd ipsa dona sint infinitæ excellentiæ; siquidem eo vsque progreditur liberalitas eiusdem Dei, vt tradat se ipsum, sicut indicatum est in mysterijs Incarnationis, Passionis, Eucharistiæ, & aduentus Spiritus S. TERTIO, quòd illa conferat omnibus, absque acceptione personarum; bonis & malis; ingratis & tenacibus, & suis denique inimicis. QVARTO,

1. *S. Thom. 1. p. q. 21. a. 3. & 2. 2. q. 117. a. 6. ad. 1.*

2 *S. Iacob. 1. 5.*

1.

2.

3.

4.

quòd ea conferat nihil debens, & solùm quòd bonus sit, & ad donandum propensus: nisi enim liberalitas ab eo incepisset; nemo alius potuisset esse liberalis. Et ideo ipse dixit Iob: b *quis ante dedit mihi, vt reddã ei?* Et Apostolus c *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* QVINTÒ quòd det sua, non sperans, aut quærens à creaturis retributionem, aut emolumentum aliquod pro se ipso: d *quia bonorum nostrorum non eget.* Et, si requirit gratitudinem & obedientiam suis legibus, id facit, quoniam liberalitas non aduersatur iustitiæ: & cum ipse sit legislator supremus ac iustissimus, tradit præcepta & leges de iis, quæ ex nostra parte tenemur præstare: & in hoc ipso suam etiam liberalitatem ostẽdit. nam quidquid nobis iubet, aut à nobis petit, eò totum tendit, vt occasionem habeat plura nobis conferendi, & reddẽdi nostris obsequiis noua præmia. Quare simpliciter & ore pleno licebit dicere, solũ Deũ esse liberalem; nec vllum alium liberalẽ esse, nisi Deum, sicut etiam dicimus, & ipse dixit, e *nemo bonus nisi solus Deus*: Et liberalitas nostra ad ipsius liberalitatem comparata, non est liberalitas: nam (vt ait Scriptura) f *quæ de manu eius accepimus, ea illi damus*: & quicquid ei damus, mille titulis illud eidem debemus. O Deus liberalissime, gratias tibi, ob tot insignia opera tuæ infinitæ liberalitatis, qua infinitam tuam beatitudinem manifestas: siquidem tu dixisti, g *beatius est magis dare, quàm accipere.* Concede mihi, Domine, vt sim libe-

b *Iob.* 41. 2.
c *Rom.* 11. 35
d *Psal.* 15. 2.
e *Luc* 18 19
f 1. *Paral.* 29. 14.
g *Act.* 20 3

ralis

ralis in reddendo tibi, quod à te accipio, vt fruar tua beatitudine in æternum, Amen.

II. MAGNVM hinc desiderium concipiam, vt quomodo licebit, sim erga Deum Dominũ nostrum liberalis, offerens ei quidquid à me desideret, & petat, siue suis præceptis magnis, & paruis; siue cõsiliis Euangelicis, & regulis aut legibus status mei religiosi; siue per superiores Ecclesiæ, meæq; religionis; siue per quemuis alium, qui possit mihi aliquid imperare; aut secretis suis inspirationibus; aut denique ore pauperum & meorum proximorum, qui necessitate aliqua corporis aut spiritus premuntur, quibus ego possim subuenire: quod totum Deo offeram, h *non ex tristitia aut necessitate*, sicut faciunt subditi, & rustici, cùm tributa & vectigalia soluunt, quia aliter non possunt, & quia timent & pœnam, & violentam exactionem; sed ex hilaritate & libentissimè, sicut nobiles, qui dant ingenuè quod debent, & vltra etiã dant aliquid, quàm debeant ex iustitia, vt suam ingenuitatem & liberalitatem ostendant: *hilarem enim datorem diligit Deus*, & in eo sibi complacet. Denique quod obtulero Deo, aut pauperibus dedero, non id faciam præcipuè ob i *retributionem*: aut aliquod emolumentum, quod inde expectem; sed ex puro amore, vt sic, quatenus licebit, æmuler infinitam creatoris mei bonitatẽ & liberalitatẽ, dans illi quod ipse maximè optat, dicens: k *præbe fili cor tuum mihi.* O Pater amãtissimè, & liberalissime, tuum est cor meũ, si-

h 2. Cor. 9. 7

i Luc. 14. 12.

k Pro. 23. 16

quidem illud mihi dediſti: recipe ergo illud, ſiquidem petis: & quoniam ego non poſſum ita liberaliter & perfectè tibi tradere, ſicut deſidero, tu ſupple defectum meum, vt ita tibi tradam, ſicut tu deſideras. *Pater mi accipe cor meũ tibi*, quia melius & ſecurius apud te erit, quàm apud me. Ex nunc, Domine, tibi offero deſideria mea, & affectiones meas, actiones meas, & omnia mea: l *omnia poma noua & vetera, dilecte mi, ſeruaui tibi*; quæ liberaliter tibi trado, vt eis veſcaris: quia maius reputo beneficium quòd ea velis accipere, quàm ſit obſequium meum, quo tibi ea trado.

l Cant. 7. 13.

PVNCTVM II.

CONSIDERANDA eſt deinde infinita Dei noſtri liberalitas erga eos, qui cum ipſo ſunt liberales: nam, qui adeò eſt liberalis erga parcos, quantò decet eſſe liberaliorem erga ſecum liberales; cùm ipſe dixerit: a *qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis*. Et quò vos eritis liberaliores mecum, eò etiam ego ero liberalior erga vos. Hæc liberalitas relucet in rebus ſubiectis.

a Luc. 6. 38.

I.

PRIMVM, quòd liberaliũ orationes & petitiones citò & facilè exaudiãtur; & quod petũt, concedatur eo modo, & ea opportunitate, quæ magis illis expedit. nam, quò citiùs promptiusq; Deo damus, quod ille à nobis petit; eò ipſe citiùs dat nobis, quod petimus.

II.

IMÒ ſi nos incurij ſimus, & obliuiſcamur petere, quod nobis cõuenit, b *ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, inſpi-

. Greg. 3. ial. c. 16. d finem.

rans

rans nobis, & vrgens vt petamus; quia ipse desiderat id nobis dare. Quare Spiritus S. munus est, orationem nobis inspirare, vt suæ liberalitatis nobis præbeat indicia. b *Ro.8. 2*

TERTIÒ valde eminet hæc liberalitas, cùm ea dat, quibus illi ipsi in Deum ita liberales indigent, etiam cùm non petũt: quia illorũ orationem & desideria præuenit illo dono, quod ipsi erant desideraturi & petituri. Necessitas enim eius, qui erga Deum est liberalis, etiam ipso tacente, clamat pro illo, & vrget Diuinam liberalitatem, vt subueniat; ideoque dicit ipse, c *antequam clament, ego exaudiam.* III. c *Isa.65.24*

QVARTO apparet hæc liberalitas in abũdãtia consolationũ spiritualiũ, quas adeò insignes illis cõmunicat, vt in centuplũ excedãt ea, quæ Deo illi obtulerunt. Quam liberalitatem præ alijs experiuntur Religiosi, qui ita fuerunt liberales, vt d *omnia sua propter Christum reliquerint, & pauperibus dederint*, ideoque Christus est cum illis liberalissimus; reddens illis centuplo ampliùs quàm reliquerint. Et, proportione quadam, eandem liberalitatem experitur, quicunque animo generoso offert Deo aliquid, quod charum & iucundum habet. IV. d *Matt. 19. 24.*

DENIQVE innumera sunt dona & gratiæ, quas diuina liberalitas illis impertit qui liberaliter cũ ipso agũt: accipit.n. illos sub protectionẽ & prouidentiã suã, cuius effectus experiuntur, apertè in suis tẽtationibus, & periculis; V.

adhibet illos vt instrumenta ad opera grandia; auget virtutes & merita, quib. postea reddit præmia copiosissima, liberaliter implens,
e *Luc.* 6. 38. quod promisit, cùm dixit: e *date & dabitur vobis: mensuram bonam & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Nam dona liberalitatis Diuinæ, excedunt infinitè eà, quæ nostra liberalitas potest offerre. Lætare, anima mea, quòd habeas Deum non minus liberalem, quam opulentum: si opulentus fuisset, non verò liberalis, parum tibi profuissent eius diuitiæ; quòd si liberalis fuisset, non tamen opulentus, parum vtilitatis tibi eius liberalitas attulisset: sed in vtroque infinitus, & vtrumque in tuum expendit commodum. Esto tu liberalis cum eo, qui est adeo liberalis erga te. quamuis enim multa illi obtuleris, multò plura abeo recipis;
f *Eccl.* 4. 36. f *non ergo sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.* si enim tu manum comprimas, vt ne des Deo quod petit; & ipse contrahet suam, ne tibi det quod petis. Porrige ergo manum tuam, vt ei des quidquid habes, & ipse g *aperiet suam, vt impleat te bonitate &* h *benedictione.*
g *Ps.* 103. 28.
h 144. 16.

PVNCTVM III.

EX præcedentibus intelligam, quanta fuerit mea parcitas erga Deum, qui adeò se liberalem exhibuit erga me; cogitans quòd sicut Christo Domino nostro, in mediis suis

cala-

calamitatibus & afflictionibus bis ſitienti, de-
negatum eſt quod cupiebat; ſemel ſcilicet, cũ
fatigatus ex itinere, peteret à Samaritana *bi-*
bere; ſecundò, cùm pendens in cruce dixit, *ſi-*
tio; ita ego ſim parciſſimus erga ipſum: quia
vel illi denego, quòd petit, ſicut illa Samarita-
na; aut offero potum aceti, cum inſipido Hyſ-
ſopo, ſicut Iudæi. Nam operibus quæ illi offe-
ro, tot admiſceo defectus, vt oblata valdè di-
ſpliceant, nec acceptet: quod licebit perpen-
dere, ſi diſcurram per quinq; illa, quæ Deus à
me petit, & poſita ſunt in primo puncto. Nam
valdè ſum parcus in cuſtodiendis eius *præce-*
ptis: &, ſi maiora fortè cuſtodio, multa ex mi-
noribus contẽno; & multa eius *conſilia* negli-
go: *ſtatus* verò mei leges, valdè imperfectè, &
claudicando, & cum multis imperfectionibus
ſeruo; ſæpè repugno ijs quę mei *ſuperiores* mi-
hi præſcribunt: ſuffoco etiam diuinas *inſpira-*
tiones, & ita denego Deo, quod per illas à me
petit: ſicut etiã facilè denego meis *proximis*,
in neceſſitate conſtitutis, ſubſidium corporis
vel animæ, quod illis exhibere poſſem. QVA-
RE hac mea parcitate, quantum in me eſt, cõ-
primo diuinam liberalitatem; & dignum me
reddo, erga quem Deus ſit etiam parcus in
illis quinque rebus, in quibus liberalem ſe o-
ſtendit erga liberales. Si itaque Deus non
me exaudit, ſi non conſolatur, ſi dona ſua non
largitur ea liberalitate, qua alijs; id mea cul-
pa promeretur: & mihi licebit applicare ſen-
tentiam illam Prophetę: i *nunquid abbreuiata*

3. *par. Med.* 26.

4. *par. Med.* 49.

II.

i *Iſa.* 50. 2. & 59. 1.

& paruula facta est manus mea, vt non possim redimere? Quasi diceret, non mea manus abbreuiata est, aut liberalitas, & omnipotentia mea aliquod detrimentum est passa, vt non possim vos liberare, & vt consueueram, benefacere; non, inquit, ita est, sed culpæ vestræ, & parcitas manuum vestrarum, meas manus cõtraxerunt, & effecerunt, vt mea iustitia liberalitatem retinuerit & angustauerit. VERVM in hoc ipso ostendit se Deus liberalissimum, cui graue est ac permolestum, videre se ita cõstringi, & à sua iustitia, propter nostra scelera, quodammodo cogi, non vti profusione cõsueta suorum donorum erga nos. O liberalitas infinita, reijce misericorditer à me omnia impedimenta, quæ oppono desiderio tuo; remittens mihi peccata, vt tuorum donorum capax efficiar. Amen.

III.

MEDITATIO XIV.

DE IMMENSITATE DEI, & eius præsentia in omni loco, & rebus omnibus.

HAEc Meditatio magni est momenti, quia est fundamentum orationis & contemplationis, & vnionis illius, quæ finis est harum Meditationum in viam VNITIVAM *pertinentium.*

S. Thom. 1. q. 8. a. 1.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM est primò, quòd Deus Dominus noster, Trinus & Vnus ita est immensus, vt dixerit per Prophetam: a *nunquid non cælum & terram ego impleo?* & de eius spiritu dicit Sap. b *quoniam spiritus Domini repleuit orbem terrarum*; ita vt nullus sit angulus, in quo non sit Deus; &, vt est purus spiritus, etiam omnia corpora penetrat, & est intra illa; est intra ipsa corpora cęlestia, intra mare, intra ipsum cor terræ; nec est possibile vel imaginari locum aliquē, aut punctū, in quo non sit Deus. Et ideo quocunq; iuero, cogitare debeo, me ire intra ipsum Deum, sicut pisces se mouent intra aquam, & aues intra aërem; dicamq; cum Dauide: c *si ascendero in cælum, tu illic es: si descēdero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo & habitauero in extremis maru, illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.* Non est itaq; mihi possibile, Deum effugere, aut ab eo me abscondere: nam in ipsa via, per quam fugio, ipse est; & in loco, vbi abscondere me voluero, illum inueniam. VERVM multò adhuc amplius habet eius immensitas: nam ita cælum & terrā, & totum hoc vniuersum implet, vt nō sit huic loco alligatus aut cōstrictus; sed simul esse potest in aliorū mundorū millionibus, quos potest creare, supra hos cælos. Et totus locus, quē nūc implet, est instar pūcti, si cōferatur cū immenso loco, quē potest implere: & ideo dixit

I.

a Jerem. 23. 24.

b Sap. 1. 7.

c Psa. 138. 8.

II.

Salo-

Salomon, loquens cum Deo: d *cæli cælorum te capere non possunt.*

d 3. Reg 8. 27.

HAEC consideratio est sementis magnorum affectuum & virtutum, si fiat vt oportet. excitando in nobis fidem *præsentiæ* DEI vbique existentis, ad imitationem Moysis; de quo ait Apostolus, quod e *inuisibilem tanquam videns sustinuit*: Ita scilicet cum Deo inuisibili agens, atque si reuera eum videret. Ita ego aspiciam Deum fide, cum quo loquar in oratione, sperabo ab eo auxilium, consulam illum, meaque omnia ita agam, atque si corporis oculis mihi assistentem viderem: nam etsi his videri non possit, reuera tamen ibi est, vbi ego sum: debentque oculi luminis supernaturalis & fidei, hunc oculorum corporis defectum supplere. Ex quo fit, vt omnis locus, mihi possit esse locus orationis: siquidem Deus est in omni loco cum quo tanquam præsente liceat loqui, iuxta illud Apostoli, f *volo viros orare in omni loco.* Refert autem hoc multum ad vsum orationum iaculatoriarum.

e Heb. 11. 27

1.

2.

f 1. Tim. 2. 8.

EXCITATA hac ratione fide, prorumpam in affectus admirationis, & gaudij; admirans scilicet tantam Dei immensitatem; & gaudens, quòd adeò sit immensus, vt neq; orbis vniuersus illum capiat; & dicens cum Propheta: g *O Israël; quàm magna est Domus Dei, & ingens locus possessionis eius. Magnus est & non habet finem; excelsus & immensus.* O Deus immense, h *cuius sedes est cœlum, terra autem scabellum pedum eius*: quem tamen nec vtrum-

3.

g Baruch. 3. 24.

h Isai. 66. 1.

que

que potest comprehendere, quia i *excelsior cæloes*, k *& super stellarum verticem sublimaris, & sq. profundior inferno*, longior terra, mensura tua est latior mari! Gaudeo de tua immensitate, cum tanta simul gloria coniuncta, vt nihil vilitatis ei adferat loci abiectio. Clarifica, Domine internos oculos meos; vt certiùs te videam, quàm si te viderem externis.

i Iob. 11 8.
k 22. 12.

PVNCTVM II.

DEINDE considerandum, quomodo Deus Dominus noster, sit in omni loco, & in rebus omnibus creatis; per *essentiam* scilicet, *præsentiam* & *potentiam*.

PRIMVM Deus est in rebus omnibus per suam ESSENTIAM, quia verè ac realiter est in illis, secundum totam suam diuinitatem, cum omnibus quæ habet, & operatur intra se: quia & inuisibilis est, & inseparabilis. quare credendum mihi est, quòd hic, vbi ego sum, est totus DEUS, Pater, & Filius, & Spiritus S. Hic Pater est generans filium; & Pater ac filius hic sunt, producentes Spiritum S. Hic est infinita eius bonitas, charitas, Misericordia, & iustitia. Hic est sapientia eius, omnipotentia, & reliquæ excellentiæ, ac perfectiones diuinitatis eius. Et idem, qui hic est, est etiam in cœlo, qui creauit mundum, qui illum gubernat. Et si hic haberem lumen ad ipsum videndum, hic me faceret beatum. O Anima mea, si fidem tuam acueres, cùm es sola: videres, te non esse solam, siquidē tecum sunt tres diuinę personę.

I.

Si sola

Si sola existens, vis tuas omnes facultates optimè occupare; hic habes summam bonitatẽ, quam possis diligere; infinitam maiestatem, quam debes adorare; supremam sapientiam, cum qua liceat conuersari; Diuinam omnipotentiam, cui possis confidere; infinitam lætitiam, in qua possis exultare. Gaude cum præsentia talis Patris, conuersare cum Filio, loquere cum Spiritu sancto; ingredere intra ipsam indiuiduam Trinitatem, & immensam diuinitatem, attendens, quod ex omni parte te ambiat; & hac ratione fiet, vt semper sis cum Deo; & omnis locus erit tibi instar aulæ cælestis. siquidem vbi diuinus hic est Rex, etiam est eius aula. O Rex immense, qui in toto tuo regno ita es per *Essentiam*: vt totus assistas cuilibet parti: concede mihi: vt ego totus coram te assistam, tibique seruiam, sicut tantus Rex dignus est, cui ab omnibus in eius conspectu seruiatur.

II. DEINDE est Deus in omni loco, & in omni re, per suam PRAESENTIAM; cernens & cognoscens quidquid est in singulis. Non itaq; est Deus hic sicut est homo in aliquo loco dormiens, aut sensibus suspensus, aut distractus, qui non aduertit vbi sit; nec est Deus in hoc mundo, sicut est anima nostra in corpore nostro, quæ non videt quid intra illud fiat: quia vbi ipse est, videt & cognoscit locum, & domum totam, vbi est; ita vt nihil possit ipsum latere. Et quamuis locus aliàs sit obscurissimus, Deo tamen ipsi est clarus, a *quia tene-*

Psa. 138.12

bræ

bra (vt ait Dauid) *non obſcurabuntur ab ipſo, ſed nox potius ſicut dies illuminabitur*. Quare reſpice, anima mea, & attende, quòd hic ſit Deus, quod te hic aſpiciat. Si vis orare in occulto, Deus ibi eſt, b *qui te videt in abſcondito*, & attendit orationi tuæ, vt illam exaudiat; Si tentatio te vexat, attende, quòd te Deus reſpiciat c *cuius oculi ſunt mundi; ne videant malum, & reſpicere ad iniquitatem non poſſunt*, & d *ſimiliter odio ſunt Deo impius, & impietas eius*; Si te videris afflictam, cogita, quod Deus tuam afflictionem aſpiciat, & quod nouerit tẽpus opportunè illi ſubueniendi; Si aliquod bonum opus vis facere, ne attendas, quod te homines aſpiciant, ſed quod te aſpiciat Deus, qui videt plus quàm omnes homines, & multò plura ipſe ſolus videt, quàm omnes illi ſimul. Huic ergo ſoli deſidera placere, ſiquidem ipſe ſolus te iudicaturus eſt ex his, quæ videt in te. O Deus immenſe, qui es e *in omni loco* plenus oculis, quibus *contẽplaris bonos & malos*, clarifica aſpectu tuo oculos meos, vt attendens, quod me aſpicias, vitam ducam ſicut tu vis, nihil faciens indignũ tua præſentia, vt peruenia ad fruendũ clara tua viſione. Amen.

b *Mat.* 6. 6.

c *Mal.* 1. 13.

d *Sap.* 14. 9.

e *Prouer.* 15. 3. & 16. 2.

III.

TERTIÒ eſt Deus in omni loco, & in ſingulis rebus, per POTENTIAM: quia non ſolùm eſt aſpiciẽs quid ibi ſit; ſed etiam ſua omnipotẽtia dat rebus eſſe, quod habẽt; & iuuat facere quidquid illæ faciunt iuxta illud Apoſtli: f *nõ eſt procul ab vnoquoq; noſtrũ: quia in illo viuim⁹, mouemur, & ſumus*. Nõ itaq; locus Deũ ſuſtinet

f *Act.* 17. 27.

ſicut me; ſed Deus ipſe locum ſuſtinet, & res omnes conſeruat, vbicunq; ſunt; & ſi viuunt, id fit, quia Deus eſt in illis, vitam eis tribuens; ſi mouentur, id eſt, quia Deus eſt in illis, dans eis motum; ſi habent Eſſe, id eſt, quia Deus in illis exiſtens, dat vt ſint, & in eo illas conſeruat; & ſtatim, atque ſubtraheret ſe Deus ab aliquo loco, aut re aliqua, illa deſineret eſſe.

QVARE aſpiciens ego res omnes mundi, in omnibus attendam eſſe Deum per ESSENTIAM, PRAESENTIAM, & OMNIPOTENTIAM, in illis & per eas operans. Et ſicut aſpiciens hominem, per externa & viſibilia, quæ in eius corpore cerno, tranſeo ad id quod interius eſt inuiſibile, animam ſcilicet, quæ corpori dat eſſe, vitam & motum, quem habet: ita aſpiciens oēs creaturas penetrare poſſum oculis fidei ad id, quod in eis eſt, Deū videlicet, non tanquā earum animam aut formā, ſed excellētiſſimo quodā alio modo; quo illis dat eſſe, & quidquid habent, & faciunt.

Ex his concipiam affectus amoris, gaudij, & laudis; gaudens quod videam talem Dei cum ſuis creaturis coniunctionem, & modum quo eſt intra illas; & ita quæ pulchræ ſunt, non me trahent poſt ſe, vt inordinatè illas diligam; vt quæ ſunt horrendæ, non me adeò terrebunt, vt multum illas fugiam; & cùm videro me eſſe prope aliquas feras, aut inimicos meos, poſſum ac debeo credere me eſſe coniunctum Deo, qui eſt in

rebus

rebus omnibus: ex quo magnum rcſumam animum, dicens illud Iob: g *pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me.* O Deus omnipotens, h *etiamſi conſiſtunt aduerſum me caſtra inimicorum, non timebit cor meum.* Certus ſum enim, quod ſim prope te; abſq; cuius voluntate nec mouere poterunt manum ſuam. Semper te ante oculos meos collocabo, & i *prouidebo te in conſpectu meo ſemper; quoniam à dextris es mihi, ne commouear.*

g Iob. 17. 3.

h Pſal. 26. 3.

i Pſal. 15. 8.

PVNCTVM III.

TERTIÒ, magis adhuc in particulari obſeruandus eſt modus & ratio, quâ Deus eſt intra me, & ego ſum, viuo, & moueor intra ipſum Deum.

PRIMVM, quia Deus me circumdat & ambit ex omni parte, ſicut aqua maris piſcẽ, qui in eo eſt; & ſicut pupilla eſt intra oculũ, ita ego ſum intra ipſum Deũ, & ipſemet dixit; a *quod nos portet in vtero ſuo, & geſtet in vulua ſua*, ſicut mulier quæ concepit, geſtat infantẽ intra ſe ipſam; cui illa & domus eſt, & lectica, & murus, & alimentũ, & reliqua quæ ſunt illi vſui. Quomodo non exultas, anima mea, & præ gaudio non exilis, aſpiciẽs te ipſam hoc modo intra Deũ tuum! ille eſt domus tua, de qua non potes exire; & intra quam ſemper es victurus, & opera omnia facturus; ille tuus eſt lectus, in quo debeas requieſcere, extra quẽ requiem nullam inue-

I.

a Iſa. 46. 3.

nies: ille tua est lectica, in qua gestaris, quocunq; sit tibi eundum. nisi enim ille te gestet, non poteris te mouere. ille tuus est murus qui te circumdat, sine quo non habebis securitatẽ; est tuum nutrimentum, & vita, quia verè in eo illam habes, & ab eo illam accipis multò verius, quàm infans, in vtero matris manens, ab illa recipit vitam. O Deus amantissime, mater dulcissima, quæ quocunq; nero, me gestas, in tuis visceribus, concede mihi, vt & ego semper te gestẽ intra mea, per cognitionem & amorem; agnoscens scilicet bonum, quod mihi confers; & amans te ob amorem, quo me prosequeris. Sum intra tuã bonitatem, transforma me in eam; viuo intra tuam charitatem, eadem me inflãma; intra tuam omnipotentiam ambulo, illâ, quæso, me adiuua. Et siquidem totus sum intra te, transforma me totum in te, vt non amplius mihi, sed totus tibi viuam in æternũ. Amen.

HANC cõsiderationem licet ad particularia applicare, ratiocinando per diuina attributa, nũc enim licet cogitare, quòd b *Deus sit ignis* quidam *cõsumens*, & quod totus hic mũdus, hoc igne sit plenus; intra quem ego viuo: admirans verò, quomodo non ardeam, & quomodo non consumet in me quidquid est mali; vtrumq; hoc attribuam magnæ frigiditati meæ, quæ plurimùm illi resistit. Aliàs cogitabo, Deum esse tanquam lucem quandam infinitam, quæ se per totum vniuersum extendat; & sicut sapientiam & pulchritu-

b *Deut.* 4. 24.

dinem

dinem immensam; cuius gloria & splendore sit tota terra plena; me ipsum verò intra hanc lucem & pulchritudinem versari; & orabo supplex, vt eius me participem faciat. & sic licebit de reliquis attributis cogitare.

II. DEINDE Deus Dominus noster est intra me ipsum, mihi multò magis cõiunctus, magisq; intimè vnitus, quàm ipsa anima sit intra ipsum corpus; quãuis modus sit magis eleuatus, per *Essentiam*, *Præsentiam*, & *Potentiam*, sicut iam declarauimus. Intra me itaq; est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tota diuinitas verè ac realiter. ex quo fit, vt infinita eius bonitas mecum coniuncta, communicet mihi Esse, & vitã, quam viuo; eius sapientia det mihi lucẽ, & cognitionẽ, quam habeo; eius omnipotentia facultatibus meis cõiuncta illas adiuuet in suis actionibus; coniuncta oculis illos iuuet, vt videant, coniuncta auribus iuuet, vt audiant; cõiuncta pedibus, vt ambulent; cõiuncta memoriæ & intellectui adiuuet, vt recordentur & intelligant; cõiuncta volũtati & appetẽdi facultatibus iuuet, vt velint, & suos actº eliciãt. Et ita possũ ac debeo aspicere Deũ intra me ipsũ præsentissimũ; atq; si ego essẽ domus, & habitatio eius, vbi ille est; & facit, qdqd ego sũ, habeo, & facio: absq; cuius præsẽtia, statim ego desinerẽ esse. nã hic habitationẽ suã cõseruat q̃ si deserat, mox illa cõuertetur in nihilũ. Ex quo magnos cõcipiã affectº gaudij, admirationis, fiduciæ, & amoris, quod me videã Deo

SED nominatim operam dabo vt cor meum sit conclaue & receſſus, ad quem ego me recipiam ad orandum, & conuerſandum cũ Deo meo: ſiquidẽ ipſe eſt intus, & videt, auditque quod oro & peto; & ibi quoq; eſt potens, illud mihi cõcedere. Et hac ratione intelligunt multi Sancti, quod dixit Chriſtus, c *cùm oraueris, intra in cubiculum tuum*, ſcilicet in cor tuum, *& clauſo oſtio* tuorum ſenſuum, *ora Patrẽ tuum* cœleſtẽ *in abſcondito*, &c.

c Mat. 10. 6 S. Aug. conc. 2. in illud Pſal. 33. Exquiſiui Dominum & illud Pſal. 100. Perambulabam in innocentia cordis mei

STVDEBO etiam aſſueſcere, vt quæram Deum intra me ipſum: ſiquidem enim intra me eſt; cur defatiger quærere illum tantùm extra me? ad hoc autẽ conabor animam meam purgare ab omni eo quod poteſt Deo diſplicere, qui intra ipſam præſens eſt, conabor etiam ita vitam meam inſtituere, vt nihil admittam quod Deum offendat, aut quod me prohibeat illum videre, cognoſcere, & actuali amore me illi coniungere.

III. ALIAS, vt ait S. Thomas, conabor frui hac Dei præſentia, & infinito theſauro, quem intra me ipſum habeo, ſicut ſolet amicus amici præſentia gaudere; debilis præſentia fortioris, qui illum iuuet; & pauper præſentia diuitis miſericordis; & ſicut artifex adhibet ad opera ſuæ artis, inſtrumẽta quæ domi habet nec exit aliò, vt illa quærat; & diues vtitur ſua pecunia & theſauro, quẽ in ſuis ciſtis reconditum habet; & famelicus cibis, quos habet in ſuo promptuario. O Anima mea, intra te ipſam habes omnia bona, cur non

illis

illis frueris? intra te ipsam est summus tuus amicus & Pater, gaude quod illum tecum habeas, coniungere illi intimè, tradens ei totũ cor tuum. Si es pauper, tecum habes Deum, qui diues est in misericordia: accede, vt suarum diuitiarum te participem faciat. Si debilis es ac pusillanimis, tecum habes Deũ, qui est ipsa fortitudo; cui si coniungaris, omnia, eius virtute, præstare poteris. quid anxiè nimium extra te quæris auxilia Creaturarum, habens intra te Creatoris omnipotentiam? O Creator meus, & Deus meus, & omnia mea perfice in me hanc coniunctionem, quam mecum habes; addens perfectissimam vnitionem gratiæ, vt & ego perfecta charitatis vnitione tibi coniungar.

PVNCTVM IV.

CONSIDERANDI præterea sunt particulares quidam modi, quibus Deus est in locis, & rebus aliquibus.

PRIMVM est specialis modus, quo Deus est in COELIS. nã in reliquis locis ita latet; vt non nisi per fidẽ videri possit: at in cœlis est reuelatus, vbi clarè & apertè diuinã suã essentiã beatis omnibus manifestat, resq; glorioſissimas in illis operatur: qui ipsum aspiciunt; & hanc ob causam, cœlestis Ieruſalem appellatur a *tabernaculũ Dei cum hominibus*, in quo Deus simul habitat, & eius electi cum eo, *& ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cũ eis erit eorũ Deus*. O Deus altissime, qui in altis-

I.

a Apoc. 21, 3.

simis habitas, deduc me ad istud tabernaculum in quo cum tuis electis maneam, videam, fruarque infinito bono, quod hic quidē habeo; sed quia non video, eo non fruor.

II. DEINDE Deus Dominus noster, est specialiter in illis TERRAE locis in quibus aliquod singulare indiciū dare solet suæ præsentiæ, dū aliqua in illis admiranda efficit: ideoque cùm *Iacob* in solitudine b *vidisset in somnis scalā stantē super terram & cacumē illius tangens cœlū & Dominū innixum scalæ, dicentem sibi: ego sum Deus Abraham Patris tui, cum euigilasset Iacob de somno ait: verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam pauensq;: quā terribilis est, inquit locus iste! nō est hic aliud, nisi domus Dei & porta cœli.* Hoc modo est Deus Dñs noster, c *in templis, & oratorijs*, locisq; alijs, orationi & contemplationi destinatis; & in quauis solitudine, vbi solet Deus gratias & fauores particulares erga nos ostēdere. propterea siquidem dixit: d *ecce ego lactabo eā, & ducā eā in solitudinē, & loquar ad cor eius.* Hoc ergo affectu & reuerētia est mihi ad huiusmodi loca accedēdū, reuerēdo præsētiā Dei, qui se in illis manifestare cōsueuit.

b Gen. 28. 12

c 3. Reg. 8. 29

d Osea 2. 14

III. TERTIÒ, Deus Dominus noster est speciali quodam modo in IVSTIS; per fidē scilicet & gratiā, faciens in illis, & cū illis opera supernaturalia, digna vita æterna. Quamobrē dixit S. Ioan. e *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo.* qui enim amat, manet in re amata; & quando duo se inuicem a-

e 1. Joā. 4. 16

mant,

mant, etiam manent inuicem, alter in altero. Et ita qui Deũ diligit, in Deo est: & quoniam Deus eundẽ diligit, est etiam Deus in illo. Præterea iustus est in Deo, quia est intra ipsius viscera circũdatus, & protectus ab ipsius protectione; & Deus est in ipso, assistens intra eius animam, dans illi quòd sit, quòd viuat, & opera faciat gratiæ & charitatis. *O* Deus immense, cuius charitas adeò est immensa, vt cupiat suam immensitatẽ in eo manifestare, vt, per suam gratiam sit in omnibus, qui eius sunt capaces, iuxta illud Apost. f *qui vult omnes homines saluos* fieri; Remoue à me omnia impedimẽta gratiæ tuæ, vt pmaneas in me, & ego in te in æternũ. Amẽ. f 1. *Tim.* 2. 4

IV.

PRAETER hæc omnia, est Deus Dominus noster quodã alio modo maximè singulari, intra aliquos suos AMICOS, in intimo & profundo spiritûs eorũ; vbi se illis manifestat illustrationibus & colloquijs internis, reuelans illis mysteria suæ diuinitatis, magnis testimonijs signisque suæ præsentiæ. Ex quo magna in illis prouenit magnanimitas, & fiducia; ingens securitas. Pax & gaudium internum, cum certo æternæ beatitudinis pignore, qua vehementer delectantur; aduertentes luce illa accepta se esse intra illã Dei immensitatẽ, & Deũ suũ immensum sibi tali modo præsentiæ, & amoris vnitum.

QVARTVM hunc modũ demissè reuereri oportet, tertius aũt est solicitè quærẽdus, & omnibus nostris viribꝰ perficiẽdus: cõmissis

interim diuinæ prouidentiæ reliquis extra ordinarijs, quæ ipse voluerit in nobis operari; satis nobis esse existimantes, spem eundi tandem eò, vbi videtur ipse facie ad faciem, & est totus intra omnes, & omnes intra eum, immersi in æterno Domini sui gaudio.

MEDITATIO XV.

DE INFINITA SAPIENTIA & scientia Dei.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM primò, Deum Dominum nostrum, infinita sua sapientia cognoscere & comprehendere seipsum, diuinam suam essentiam, suas personas, bonitatem, omnipotentiam; & omnes infinitas suas perfectiones: Item omnes actus suos, intentiones, decreta, dispositiones, & reliqua omnia, quæ statuere & facere potest, ita vt nihil possit eius cognitionem effugere, sed satiet impleatq; infinitam diuini sui intellectus inclinationem & capacitatem, idq; summa sua voluptate. nihil itaq; aut desiderat aut scire potest; quod non sciat. Et in hoc consistit beatitudo Dei; quãuis non propterea sit beatus, quòd res extra se cognoscat, sed quod cognoscat seipsũ

S. Thom. 1. p. q. 14. a. 2. & 3.

S. Thom. 1. p. q. 26. a. 2.

qui

qui fons est & principium earum. Ex his magnum concipiam gaudium, ob sapientiam, quam habet Deus; & beatitudinem, gaudiũque, quo ex ea afficitur, magnũ item desiderium alicuius eius partis cõsequendæ; beatitudinem meam, nõ in cognoscendis creaturis, sed in ipso Deo, cælesti hac & suaui sapientiâ cognoscendo collocans. hac enim cognitione, a *satiabor*, & omnia mea sciendi desideria, explebo. nam, *quid* (inquit S. Gregorius) *non videt, qui videntem omnia videt?* Si tanto desiderio teneris, anima mea, sciendi, expone tuum studium in sciendo Deo; quem statim atque cognoueris omnium tuorũ votorum compos fies. Si desideras esse sicut Deus, qui b *scit bonum & malum*, stude Deũ cognoscere; & illi seruire; sic enim id assequeris; magnã scilicet pãrtem boni cognoscés, & nullam mali. Et quamuis omnia noueris, si Deum nõ scias, quid tibi proderit? O Deus sapientissime, & sapientię totius fons, nouerim te ipsum, & quod à me requiris; & hæc mihi cognitio sufficit, adiuuante me gratiâ tuâ vt quod cognouero, diligam; & faciam quod intellexero.

a *Psal.* 16. 15

Lib. 4. *Dia.* c. 33.

b *Gen.* 3. 5.

PVNCTVM II.

DEINDE considerandum est, quod Deus Dominus noster eam sapientiam habeat per ipsammet suam essentiam; & per eam tanquam in nitidissimo speculo, videat & comprehendat res omnes, quas per se

ipsum disponit & ordinat; ideoq; nec accepit sapientiam ab alio; nec habuit aut habere potuit Magistrum, aut consiliariũ, nec extra se ipsum librum alium aut exemplar habuit, in quo videret aut disceret, quod scit; sed hoc totum habet à se ipso, & in sua essentia; quæ (si ita loqui licet) est illi instar Magistri, consiliarij, est ipsius speculum, ipsius exemplar, & Idæa ad totum id quod disponit & exsequitur, & ad quidquid possibile est ipsũ scire. Ex quo fit, vt solus Deus sit essentialiter sapiens, & infinitè sapiens, absq; vllo sapiẽtiæ termino. & sicut dicitur, quòd a *nemo sit bonus, nisi solus Deus*; ità dicere possumus, neminem esse sapientem, nisi solum Deũ; quia omnes reliqui natura sua sunt ignari, nec scientiam vllam habent, nisi à Deo illam accipiant; & illa quam habent, est intra certos limites & terminos, adeoq; exigua, vt cũ sapientia infinita Dei cõparata, sit quasi nihil. Et supra hoc principium fundari debet humilitas & propria cognitio, quando agitur de scientia, vt dicatur cum Salomone: b *stultissimus sum virorum, non didici sapientiam*. Si enim aspicio tempus natiuitatis meę, deprehendam me nullam scientiam habuisse; &, quam ab eo tempore didici, adeò est exigua, atq; si non esset, neq; rem vllam didicissem. Quamobrem, cum Deo comparatus, dicam, quod Socrates aliquando: *Hoc vnum scio, me nihil scire*: & c *omnis homo* (ait Ieremias) *stultus factus est* & ignarus *à scientia*, compara-

I.

a *Luc.18.19.*

b *Prou.30.2*

c *Hier.10. 14. & 51. 17.*

tus

is videlicet cum Deo, qui est ipsa scientia. lac consideratione reprimere licebit affe- :us vanæ complacentiæ, inanis gloriæ, & rrogantiæ, siue præsumptionis, collocando ıe in vltimo loco mei nihili, & meæ omni- ıodæ ignorantiæ.

II.

HINC etiam fit, vt maximæ sit arrogãtiæ e stultitiæ, penetrare velle & cõprehendere a finitam hanc sapiẽtiam, vt quæ infinitè ex- edat oẽm capacitatem hominũ & Angelo- um: & vt ait Apost. d *quæ Dei sunt nemo co- nouit, nisi spiritus Dei*; Et Ecclesiasticus: e *sapi- ntiam Dei præcedentem omnia quis inuestiga- it? radix sapientiæ cui reuelata est: & astutias ius quis cognouit? multiplicationem ingressus llius quis intellexit?* Et f *abscõdita* (inquit Iob) st sapientia *ab oculis omnium viuentium, volu- res quoque*, Angelos scilicet, & spiritus cœ- estes *latet*. O Deus sapientissime, g *qui ascen- lus & volas super Cherubim*, (qui sunt scientię olenitudo) quia omnes volatu transgrede- is, nec vllus potest eò peruenire, vt intelli- gat quidquid tu scis. Ego veneror secreta & h *abscondita* infinitæ tuæ sapientiæ; precor- que humiliter, vt eius partem ostendere mi- hi digneris, quæ mihi expedit, vt tibi seruire teque amare possim, Amen.

d 1. Cor. 2. 11
e Eccl. 1. 6.
f Iob. 28. 21.
g Psa. 17. 11.
h Eccl. 3. 22.

PVNCTVM III.

TERTIÒ considerandum, quòd sapiẽtia Diuina sola; & absque alterius admini- culo, sit prima inuentrix rerum omnium, quæ fuerunt in mundo; & ab ea procedunt

omnes

omnes scientiæ, & artes, & inuentiones, in cœlo & in terra; quia a *eam effudit Deus super omnia opera sua*; Et ideo dicit Isaias: b *quis adiuuit spiritum Domini, aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi* aliquid noui? *cum quo iuit consilium, & instruxit eum, & docuit eum semitam iustitiæ, & eruditit eum, scientiam & viam prudentiæ ostendit illi?* c *O altitudo sapientiæ & scientia Dei, quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Gaudeo Deus meus, quod tu sis Magister & consiliarius omnium; nullus autem esse possit tuus; esto tu semper meus, vt sciam tibi in omnibus placere, Amen.

a *Eccl.* 1 10
b *Isa.* 40. 13
c *Rom.* 11. 33.

I. HINC descendam ad cõsiderandum magis in particulari admirandas inuẽtiones & dispositiones, quæ ex infinita Dei sapientia processerunt, d *meditando* (vt ait Dauid) *in omnibus operibus eius, & exercẽdo me in adinuentionibus eius*, per affectiones admirationis & gaudij, credẽs (vt ait Apostolus) fide, e *verbo Dei aptata esse secula*, ita *vt ex inuisibilibus visibilia fierent*, ex inuisibilibus scilicet, quæ intra seipsum æterna sua sapientia disposuerat. Hoc autem licebit facere primùm discurrendo per sex dies Creationis mundi, perpendendo admirandam sapientiæ Diuinæ in singulis eorum adinuentionem, vt fusiùs dicetur inferiùs.

d *Psal.* 76.
e *Hebr.* 11 3.

II. ASPICIAM deinde hãc Diuinæ sapiẽtiæ inuentionem in creatione hominis, in qua terreno corpori f *ex limo terræ formato*, con-

f *Gen.* 2. 7.

iunxit

nxit ſpiritum immortalem. & nic perpen-
im varietatem vultuum, & propẽſionum,
ingeniorum, quæ ſt in hominibus; & in-
tiones, quæ ab illis prodierunt; verbi gra-
a cõficiendi vitra, pannũ, telam; & reliquæ
tes, & artificiata, ac ſcientię, quas adeò vi-
emus in mundo florere; quæ omnes ducũt
riginem ab infinita Dei ſapiẽtia. quamob-
m mater Samuelis, *Deum* appellauit. g
ientiarum Dominum quia ipſe omnes ha-
et, & ab eo procedunt, quæ in creaturis in-
eniuntur.

g 1. *Reg.* 2 3.

HINC aſcendam ad conſiderandas Diui- III.
æ ſapientiæ inuentiones, circa Eſſe gratiæ,
uã cõmunicauit hominibus; præcipuè verò
llam ſupremam inuentionem, qua naturam
umanam cum Diuina coniunxit, in vnitate
erſonæ in Chriſto Domino noſtro; & illã,
ua ſe in altaris Sacramento collocauit; &
nnumeras alias rationes & modos, quos
uotidie adinuenit in ſuis electis, vt illos à
ericulis eruat, in virtutibus promoueat, ac
leducat in cœlum, vbi ſunt ſtupendæ adin-
ientiones, quas ille excogitauit, ad perfe-
tam eorum beatitudinem. IV.

Ex his colligam diuinam ſapientiam eſſe,
quæ deducat & comitetur opera, in quibus
elucẽt Diuina eius attributa, opera ſcilicet
onitatis eius, charitatis, miſericordiæ, &
uſtitiæ: cũ ſapientiâ enim bonitas cõmuni-
catur, charitas amat, miſericordia compati-
tur. & iuſtitia prẽmia reddit, & pœnas. Et ita

dicit

dicit Ecclesiasticus: quod h *effuderit Deus sapientiam super omnia opera sua.* Et Dauid dicit: i *omnia in sapientia fecisti, Domine.*

h *Eccl.* 1.10.

i *Ps.* 103.24.

HOC totum debet in me affectus magnos excitare admirationis & gaudij, vt scil. nominatim gaudeam, quod habeã Deũ adeò sapientẽ, qui nouerit mille modos & vias adinuenire, vt fines suos assequatur, ad me eripiendum à malis, & bona cõmunicanda, quæ desiderat, naturæ, gratiæ, & gloriæ. Discam verò hinc, magnam in Deo fiduciam habere, etiam in occasionibus, quæ videntur desperatæ. vbi enim ego nec medium nec remedium inuenio, potest Diuina sapientia media & remedia innumera adinuenire. Pro gratiarum verò actione, conabor & ego, cum ipsius gratia & lumine, nouos modos adinuenire me mortificandi, & in virtutibus omnibus exercendi, & huic Deo placendi: siquidem k *iustus fructum adinuentionum suarum comedit*; & quotidie l *cantabo Domino canticum nouum*; propter nouas eius adinuentiones, ad bene mihi faciendum. m *O Deus & Domine scientiarũ*, gaudeo de Dominio, quod super omnes habes tanquam principium, à quo omnes oriuntur. Da mihi, Domine, scientiam Sanctorum, vt modum illum assequar tibi seruiendi in iustitia & sanctitate.

k *Isai.* 3 10.

l *Psal.* 95. 1.

m 1. *Reg.* 2.3.

PVNCTVM IV.

QVARTÒ considerandum est, quòd infinita Dei sapientia, omnes res mundi a *disposuerit in* NVMERO, PONDERE, &

a *Sap.* 11.21.

MEN-

MENSVRA, comprehendés numerum rerũ omniũ, quæ fuerũt, & futuræ ſunt; & omniũ earum partiũ, membrorũ, officiorũ & operũ; pondus quoq; vniuſcuiuſq; earũ, in quãtitate ſiue põdere propenſionũ & affectionũ naturalium & ſupernaturalium; mẽſurã deniq; vniuſcuiuſq; in latum, longum, altũ, & profundum; imò & menſurã perfectionis, talentorum, & facultatũ earũ: & obſtupeſcã quòd tãta ſit in omnibus proportio, & admiranda diſpoſitio, quãta in ſingulis & in omnibus ſimul emicat; ob infinitam ſapientiam eius, qui illas ordinauit tali modo & tali ordine bonitatis & perfectionis. S. Thom. 1. p. q. 5. a. 5. 1.

HOC deprehendi poterit ratiocinando per aliquas ex iis rebus, quas Diuina ſcriptura extollit, attribuitque ſoli DEO & infinitæ eius ſapientiæ.

II.

DEINDE, ſicut ait Dauid, b *Deus numerat multitudinem ſtellarum*, & põdus inclinationis illarum, ad influendum in terrã, & mẽſuram magnitudinis & perfectionis earum: Ac propterea addit: & *omnibus eis nomina vocat*: quaſi diceret, quidquid in vnaquaq; eſt, nouit. Et eodẽ modo nouit DEUS c *numerũ motuum*, & circulos, quos cæli perficiẽt vſq; ad finẽ mundi: Et porrò etiã annorũ & dierum, quib. eſt duraturus, & vltimi diei in quo hic *ordo & concentus cæli dormiet*, ceſſabitque in æternũ. quod, vt ipſe Chriſtus dixit, d *neque Angeli cælorum ſciunt, niſi ſolus Pater*: quia videlicet res hæc ſoli ſcientiæ Dei reſeruatur. b *Pſa.* 146. 4. c *Job* 38. 33. 37. d *Matt.* 24. 36.

ET

Et inferiùs deſcendẽdo ad ea, quæ in aëre gerũtur, Deus habet in numerato omnes cometas, fulmina, tonitrua, & guttas pluuiæ, & floccos niuis, numerum ventorum & grãdinum; quorum omnium & pondus, & vim, atque ſingulorum inclinationem probè tenet; quia e *fecit ventis pondus* proprium; & eadẽ ratione dedit põdus niui, grandini, fulmini, quæ omnia ex diſpoſitione ſapientiæ Dei, vt ait Iob, exeunt, illo ſuo pondere, quo Deus f *illa mittit*, & in eum finem, in quem mittuntur. Quare magna mihi eſſe debet fiducia in Deum, cùm huiuſmodi aliquæ tempeſtates ingruunt, memoria tenenti, quod illæ omnes à Diuina ſapientia in magnos & optimos fines deſtinentur.

e Iob. 28. 25.

f Iob. 38. 35

III. Mox perpendã, quod idem Deus Dominus noſter, ſua ſapientia g *metitur pugillo aquas, & cælos palmo ponderat, & tribus digitis molem terræ appendit*; & ita nouit latitudinẽ, & lõgitudinem, altitudinem, & profũditatem, quam habent, & grauitatem ac pondus ſingularum rerum. nouit quoque numerum rerum omnium, quæ intrà hæc elementa cõtinentur, & ſupra ipſam terrã, etiam numerum arenarum maris, & auicularum, ac h *paſſerum*; ſiquidem *nec vnus ex illis cadet ſuper terram* abſque prouidentia Dei.

g Iſaiæ 40 12.

h Mat. 10. 29.

IV. MAGIS etiam in particulari perpendã, quæ pertinent ad homines; quorũ numerũ, ab Adamo vſque ad finem mũdi in promptu habet: annos quoque, i *dies*, & horas, quas

i Pſal. 38. 6

quiſque

quisque est victurus; & horam illam, k *qua est morituru*s. Item omnia ossa & l *capillos habet numeratos*, ita vt nec m *vnus* absq; Diuina sapientia & prouidentia *sit perituru*s: Item n *omnes hominum gressus dinumeratos habet*, o *vias* & actiones omnes eorum, bonas & malas, præteritas & futuras; pondus ité & propensionem cuiusq;, talentum & facultatem, mensuram & perfectionem naturalem & supernaturalem, quam habet in anima sua, & in actionibus suis: nam infinita eius sapientia hæc omnia distribuit in pondere & mensura, quia etiam o *spirituum Ponderator est Deus*, & operum quæ faciunt: quia & pondus & valorem ipsorum nouit.

k Iob 14.15. Psal. 138. 4.
l Mat. 10. 30. l Luc. 12. 7.
m & c. 21. 18
n Iob. 14. 16.
o Prou. 16. 4

Ex hac consideratione, coniiciam me in manus Dei, & infinitæ eius sapiẽtiæ, quæ infallibilis est, & certa: statuam verò non fidere meis phantasiis & apprehẽsionibus, circa numerum annorum, dierumq; vitæ; nec in æstimatione talentorum, aut facultatũ naturalium, aut donorum gratuitorum, aut mensuræ meorum meritorum & virtutum: sed certò statuam; id quod sum in oculis Dei omnia videntis, id me esse, nec ampliùs.

V.

VLTIMÒ ascendam ad considerandũ, quæ sunt super cælos: perpendens quòd Diuina sapientia etiam disposuerit quidquid ibi est, cum ordine, pondere, & mensura. quare numerus Angelorũ, qui sunt in omnibus Choris & Hierarchiis; & omnium beatorũ, qui iam sunt; & postea futuri sunt, notus est illi:

nouit quoque pondus & mensuram perfectionum naturalium & supernaturalium eorum, quibus munia distribuit, iuxta ordinem & decretum Diuinæ suæ sapientiæ, & mensuram gloriæ & meritorum illorum. Quæ omnia perpendens, prorumpam in vehementis admirationis & stuporis affectus, ob infinitam Dei Sapientiam, idque multò magis quàm Regina Saba, p *cùm vidit sapientiam Salomonis, & distributionem, & ordinem rerum domus eius*: ideoque affectu magis accenso dicam, quod illa dixit: *Verus est*, Deus meus, *sermo, quem audiui de* infinita *tua sapientia*; *& maior est sapientia & opera tua, quàm sit rumor, quem de eis audiui: beati viri tui*, ciues *& serui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam*. O sapientia infinita, quæ statuis & disponis omnia in numero, pondere, & mensura; eâdem, quæso, ratione dispone res omnes animæ meæ, augens in ea numerum operum bonorum, pondus feruentium affectionum, & mensuram tuarum gratiarum, mihi concedens q *confertam & coagitatam*; *& supereffluentem mensuram* gloriæ tuæ, Amen.

p 3. Reg. 10. 4.

q Luc. 6. 38.

PVNCTVM V.

QVINTÒ est considerandum, quòd infinita Dei sapientia sit æterna, & immutabilis, profundissima & euidentissima, & tota simul, vnico enim & simplici aspectu attingit ab vna ad alteram æternitatem, videns

dens vnico intuitu, quidquid eſt poſſibile, vt videatur & cognoſcatur. Quare à quo Deus eſt Deus, ita ſcit quidquid ſcit, vt nihil de nouo ſcire poſſit: quia ipſi nihil poteſt eſſe noui: nam omnia præterita, præſentia, & futura, & quæ modo aliquo ſunt poſſibilia, omnia diſtinctè cognoſcit, ſummaque euidentia, nulla dubij vel ſpecie admixta, aut opinione, aut perplexitate: in Deo itaq; nec ignorantia eſſe poteſt, nec error, nec dubium, nec deceptio in re aliqua, quæ ſciri poſſit: & ita dicit Eccleſiaſticus: a *Oculi Domini multo plus lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda, intuentes in abſconditas partes. Domino enim Deo antequam crearentur, omnia ſunt agnita*, etiã poſtquam trãſierunt; & iterum: b *à ſeculo vſq; in ſeculum reſpicit*, & ab vna æternitate ad alteram.

a Eccl. 23. 28

b Ecc. 39. 25

HAEC veritas eſt ad noſtram vtilitatem trahenda, & ratiocinandum magis in particulari per res præteritas, præſentes, futuras, & poſſibiles. PRIMVM enim DEVS Dominus noſter, infinita ſua ſapientia agnoſcit res omnes præteritas, à principio mundi, vſque ad hoc momentum præſens; habetque illas ita ſibi præſentes, atque ſi reuera non tranſiuiſſent. quare impoſſibile eſt obliuiſci Deum eorum, quæ ſemel nouit; aut operum bonorum & malorũ, quæ vidit; neq; alicuius hominum, ſiue boni ſiue mali; quãuis aliter meminerit horum, quam illorum:

I.

improborũ enim recordatur, vt illos caſtiget, propter ipſorum ſcelera, quorum nunquam obliuiſcitur Deus; bonorum autem eſt memor, vt reddat illis pręmia, propter opera bona, quorũ ſemper habet recẽtẽ memoriam. quãuis dicatur impiorũ obliuiſci, quia illos non curat, vt illis benefaciat in pœnâ ſcil. ſcelerum ipſorum. Et hoc ipſum in me cõuertẽs, debeo credere Deũ recordari mei, & rerum mearũ ita diſtinctè, atq; ſi ſolus eſſem in mundo: ſemper enim pręſentẽ me habet in ſua memoria, & ſapiẽtia æterna, nunquam ab ea me delens: ideoq; cogitabo, illũ mihi dicere, quod aliquando dixit ciuitati Sion: c *numquid obliuiſci poteſt mulier infantẽ ſuum, vt nõ miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Ecce in manibus tuis deſcripſi te, muri tui coram oculis meis ſemper.* Ne obliuiſcaris Dei, anima mea, quem ſcis non obliuiſci tui; ſcribe illũ in tuis manibus, ſiquidem te ipſe ſcriptã habet in ſuis; pone ante oculos tuos ea, quæ ſunt eius ſeruitij, ſiquidem habet ipſe in ſuis, quæ ad tuam pertinent vtilitatem.

c Iſai. 49. 15.

II. DEINDE, Deus Dominus noſter, infinita ſua ſapiẽtiâ cognoſcit quidquid in hoc die, & in hoc momẽto, in toto fit vniuerſo; ita vt nulla res poſſit ipſum latere: quia etiam ſecreta cordis cuiuſq; hominis penetrat; quãuis occultiſſima; imaginationes, cogitatiões, deſideria & propoſita, bona & mala, & quidquid nec homo nec Angelus cognoſcere po-

te ſt

teſt,niſi c *idem ſpiritus,qui illa cogitat*,& multò adhuc plura, quàm homo cogitet,aut ſibi fingat, nulla ſuper ea facta reflectione: penetrat & comprehendit Deus; ad quem ſolũ ſpectat talis comprehenſio, ſicut dixit Ieremias, & Apoſtolus amplius declarauit, dicens:d *viuus eſt ſermo Dei & efficax,& penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus; & non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius.* Quare, ſiquidem oculi Dei ſemper aſpiciunt, quæ tu, anima mea facis: e *videant oculi tui* ſemper *recta,& palpebræ tuæ præcedant* ſemper *greſſus tuos*, aſpicientes primò, vbi figas pedem tuum, quia Deus te aſpicit; reiice ex ore tuo verba hominis veteris, quia, f *Deus eſt ſcientiarum Dominus, & penetrat ponderatq; cogitationes cordis.*

c 1. Cor. 2. 10

d Ier. 17. 10.
d Hebr. 4. 12.

e Prou. 4. 25

f 1. Reg. 2. 3.

TERTIÒ, Deus Dominus noſter, infinita ſua ſapientia nouit oẽs res futuras, & euenturas per totam ęternitatẽ,quamuis à libero noſtro arbitrio dependeant:habetq; ſibi eas adeò præſentes, atq; ſi iam fuiſſent,aut nunc fierent;& interdum eas ſuis amicis reuelat: eſtq; impoſſibile non euenire, quod ipſe reuelat euenturum. ita enim intuetur, ſicut ſuccedet, atq; ſi iã reuerà ita eſſet; idq; eſt adeò proprium Diuinæ ſapientiæ,vt neq; homo,neq; Angelus ita cognoſcere poſſit.quãobrem dixit Iſaias: g *annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dij eſtis vos.*

III.

g Iſai. 41. 23

quasi diceret proprium est signum diuinitatis, res futuras & quæ à libero hominis arbitrio dependent, cognoscere.

IV. SED vlterius adhuc progreditur hæc infinita Dei sapientia; quia non solum cognoscit quæcunque homines & Angeli sunt facturi, sed illa etiam, quæ vtentes libertate sua & auxiliis, quæ ipse illis dare voluerit ex gratia sua, facere possunt. Et infinitâ hâc sapientiâ, profundissima, & occultissima disponit ac dirigit, aut certè permittit ea, quæ eueniunt; relictis aliis, quæ aliàs euenire potuissent. in qua re demissè debeo secreta eius iudicia venerari, dicens cum Apostolo: h *O altitudo diuitiarum, sapientiæ, & scientiæ Dei; quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ eius:* i *Mirabilis facta est*, Domine, *scientia tua, confortata est, &* ita supra me eleuata, vt *non possim ad eam* ascendere. Veneror itaque illam cum animi demissione; & supplico, vt vitam meam ita illâ dirigas, vt æternam obtineam gloriam, Amen.

h *Rom.* 11.33

i *Psal.* 138. 6

PVNCTVM VI.

VLTIMÒ tandem est considerandum, quòd infinita Dei sapientia, comprehendat & complectatur res omnes, quæ cadunt sub diuinam Omnipotentiam, & sunt possibiles, quamuis nunquam sint eueturæ: quæ tot sunt numero ac perfectione, vt quas-

cunque

cunque hactenus commemorauimus, earum comparatione, sint quasi vna gutta aquæ cum toto Oceano comparata: cognoscit enim Deus infinitos Angelos, & cœlos, ac mundos infinitos, & infinitas alias dispositiones, valde ab his distantes, & cũ aliis perfectionibus multò maioribus; ita vt, si mundus iste duraret per vnum millionem annorum, cognoscat Dei sapientia, se posse singulis diebus mundum alium creare, hoc perfectiorem; & his omnibus creatis, est adhuc infinitum, quod cognoscit se posse creare. O abyssus incomprehensibilis! ô pelagus immensum, & thesaurus infinitus sapientiæ Dei! Gaudeo, Domine, te adeò esse sapientem, vt comprehendas quidquid sciri potest, ita vt nihil te lateat. Gaudeo etiam de ea delectatione, quam in hac cognitione sentis, qua simul teipsum agnoscis, in cuius Omnipotentia hoc totum continetur. Nunc, Deus meus, fateor, scientiam nostram nihil esse, si ad tuam comparetur: a *& cùm vix paruam stillam sermonis tui audire* & intelligere *possimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri*, aut cognoscere? & si quod de tua sapientia reuelasti, non est nisi vna gutta, quanta erit immensitas eius, quod in illa latet! b *Magnus es* in omnibus, & magnitudo tua *vincens scientiam nostram*; est tamen gloria nostra, quod à te vincamur, à quo & scientiam & magnitudinem, quam habemus, accipimus.

a Iob. 26. 14.

b Iob. 36, 26

Ex dictis concludam, quod infinita Dei Domini noſtri ſapientia, ſit infinitè liberalis in ſe c *communicando ſine inuidia*; quia potius oblectatur communicando ſe hominibus, Angelis, Cherubinis, Seraphinis, & omnibus ſpiritibus beatis: præ omnibus verò animæ Chriſti Redemptoris & Domini noſtri, d *in quo ſunt omnes theſauri incomprehenſibilis ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.* Sed quamuis ei communicauerit cognitionem rerum omnium præteritarum, præſentium, & futurarum per totam æternitatem, vt ait S. Thomas; multò tamen infinities plura cõmunicanda ſibi retinuit, eò quòd ſit impoſſibile id totum puræ creaturæ communicari. Ex hac liberalitate, occaſionem ſumam ſupplicandi, vt eam ſapientiam mihi communicet. e *docens me vtilia* ad ſaluationem meam. O Deus ſapientiſſime, f *mitte ſapientiam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret, vt ſciam quid acceptum ſit apud te omni tempore:* præcedat illa omnia opera mea, ſicut tua præcedit; comitetur me in omnibus quæ fecero, ſicut te eſt comitata in omnibus quæ feciſti; ſitque illa finis vltimus meorum deſideriorum, ac eò deducat, vbi te clarè videam, lumine quod ab illa procedit, in ſecula, Amen.

c *Sap.* 7. 13.

d *Coloſſ.* 2 3

S. Thom. 3. p. q. 10. a. 2.

e *Iſai.* 48 17

f *Sap.* 9. 10.

MEDITATIO XVI.

DE OMNIPOTENTIA Dei.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM est primò, quod Deus Dominus noster Trinus & Vnus, est infinitè potens, ad faciendum quidquid voluerit, sine termino aut limite aliquo; quo ad numerum, magnitudinem, & perfectionem: quamobrem appellatur a OMNIPOTENS; cuius Omnipotentia in eo consistit, vt facere possit res omnes, quas infinita sua sapientia videt esse possibiles, in quibus non sit repugnantia aut aliqua contradictio, si fiant. Et in hoc sensu dixit Angelus Beatissimæ Virgini: b *non esse impossibile apud Deum omne verbum*; omnis scilicet & quæcunque res, quam homo, & Angelus, & ipsemet Deus intellectu suo concipere possit: si quòd talis res sit, nullam implicet contradictionem. Et ipsemet Deus dixit per Ieremiam: c *nunquid mihi difficile erit omne verbum?* quasi diceret, nihil mihi erit difficile, sed omnia possibilia sunt, & facilia ad faciendum.

TRES circa hoc perpendi possunt excellentiæ.

S. *Thom.* 1. p. q. 25.

a *Exod.* 15. 3.

b *Luc.* 1. 37.

c *Ierem.* 32. 27
c *Matt.* 19. 26.
c *Marc.* 10. 27.

I. PRIMA est, quod Deus Dominus noster possit de nouo facere infinities plures res, quàm fecerit, nam quidquid factum est, quasi nihil est, si cum eo conferatur, quod facere potest; & postquam totum, quod factum est, videro, licebit cum Ecclesiastico ei dicere: d *multa abscondita sunt maiora his, pauca enim vidimus operum eius.* O DEVS Omnipotens, gaudeo de hac tua grandi omnipotentia, qui potes infinities plura facere, quàm vel cogitatione ego possim assequi: & si adeò es mirabilis in operibus, quæ fecisti, quantò eris mirabilior in ijs, quæ facere potes? *Glorifica* anima mea, e *Deum* tuũ *quantumcunq; potueris, qui* propter suam Omnipotentiam, *superualebit adhuc; & benedic eum, & exalta illum quantum potes: quia* propter suam Omnipotentiam, *maior est omni laude.*

d Eccl. 42. 36.

e Eccl. 43. 32.

II. SECVNDA excellentia est, quod possit Deus facere quidquid voluerit in rebus, quas iam fecit; mutans illas & transmutans, & pro libitu suo eas inuertens. nam vt idem sapiens ait: f *ipse est Omnipotens super omnia opera sua*; quia potest facere plura, quàm fecerit; & in ijs, quæ iam fecit, facere potest quod voluerit. Potest enim efficere vt Sol subsistat, vt tempore Iosue; & vt retrocedat, vt tempore Ezechiæ; & ne det lumen suum, vt tempore Passionis Christi: potest facere quòd voluerit in mari, ventis, in terra, & in omnibus viuentibus; sicut fecit in lege veteri per Moysem, & in lege noua fecit

S. Thom. 1. p. q. 105 a. 6.

f Eccl. 43. 30.

Chri-

Christus Dominus noster, dum viueret in hac vita mortali, & quotidiè noua edit miracula: potestque maiora facere, quàm fecerit; & hæc perpendens, dicere possum, quod addit Eccles. g *terribilis est Dominus & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipsius*, ac propterea dignissimus est, cui fides adhibeatur, & vt omnes credamus, quidquid fides de stupendis eius operibus & miraculis nobis reuelat.

g *Eccl.* 43. 31.

TERTIA excellentia est, quòd possit Omnipotentia Dei exequi, quidquid eius voluntas possit velle; nam si Deus aliquid efficaciter vellet, quod efficere non possit, esset miserabilis, & non Deus. Ex præteritis licet colligere futura & possibilia: nam, vt h *omnia quæcunq; voluit Deus fecit*, ita faciet quæcunq; voluerit; & facere poterit, quæcunq; potest velle, iuxta illud Sapientis: i *subest enim tibi, cùm volueris posse*: quasi dicat, habes potestatem faciendi quæcunque volueris, & statim atque volueris aliquid, non tibi deest potentia, ad illud faciendum. Ex quo prouenit, vt quando mihi constiterit de voluntate Dei, non mihi liceat, de eius Omnipotentia dubitare; & quando non constiterit, quid velit; dicam illi, quod leprosus dixit Christo Redemptori nostro: k *Domine, si vis, potes*. O Deus Omnipotens, coram tua Omnipotentia effundo animam meam, cũ omnibus eius necessitatibus & miserijs, & cum omnibus desiderijs & affectionibus eius.

III.

h *Psa.* 113. 11

i *Sap.* 12. 18.

k *Mat.* 8. 2.

Tua

Tua voluntas est iusta, & nosti quid mihi magis expediat; *si vis potes*, si vis me sanare à meis infirmitatibus, facillimè id mihi præstare potes; si vis mihi dare quod peto, è vestigio dare potes: gaudeo, quòd tua omnipotentia, constituta sit in manibus iustæ & beneuolæ voluntatis tuæ: nam quòd ex tali voluntate & potentia processerit, bonum erit & vtile mihi, tibi verò glorioſum, cui sit honor & gloria in æternum. Amen.

PVNCTVM. II.

DEINDE considerandum, quod hæc Omnipotentia solius Dei sit propria; quamuis liberaliter faciat suas creaturas eius participes. In quo tres aliæ excellentiæ sunt perpendendæ.

I. PRIMA est, quod solus Deus naturâ suâ & essentiâ habeat potẽtiam, nulla verò creatura, nisi participatam à Deo: & propterea a Apostolus de eo dicit, quod sit a *solus potens*: nam ceteri ex nobis ipsis sumus non potẽtes: quia b *non sumus sufficientes*, vel cogitare *aliquid à nobis, quasi ex nobis*; *sed sufficientia nostra ex Deo est*: quidquid enim possumus, ab eo habemus.

a 1. Tim. 6. 15.

b 2. Cor. 3. 5.

II. SECVNDA excellentia est, quòd solus Deus per suam Omnipotentiam facere possit opera sua, absque alterius auxilio; ceteræ autẽ creaturæ omnes, nihil facere possunt, nisi Dei Omnipotentia cum illis operetur. neq; Sol illuminabit, neq; ignis calefaciet, nec homo se mouebit, aut aliud quid faciet,

nisi

niſi Dei Omnipotentia illos iuuet, & cum illis operetur. ideo enim dixit Iſai. quod c *Deus omnia opera noſtra operatus ſit in nobis*; & ipſe Chriſtus Dominus dixit: d *ſine me nihil poteſtis facere*. Ex vtraq; hac conſideratione, intelligam, quantam dependentiam habeã à Dei omnipotentia: vt ſic in profunda humilitate proficiam, ſciens me, ſine ea nihil facere poſſe; & infinitas gratias agam, propterea quod in omnibus meis actionibus tam fideliter adſiſtat, vt fuſiùs inferiùs perpendemus.

c *Iſa.* 26. 12.

d *Ioan.* 15. 5.

Medit. 3.

TERTIA excellentia eſt, quòd non ſibi omninò retineat Deus ſuã Omnipotentiã, ſed faciat ſuas creaturas eius participes, ita vt vnaquæque facere poſſit quæcunque ſuæ naturæ propriæ conueniunt; addit verò præterea hominibus & Angelis excellentiorem aliam & altiorem potentiam, quam habeant per ſuã naturã, quia illos adhibet, vt inſtrumenta, & coadiutores, ad res multas ipſius Omnipotentię proprias: quamobrẽ Apoſtolus eouſque progreſſus eſt vt diceret: e *omnia poſſum in eo qui me confortat*. Simul itaq; cõiunctus cum Dei Omnipotentia, ſum potens ad res oẽs, quas voluerit Deus in me & per me facere, & honori ſibi ducit Deus, ſi hoc de ipſo credamus & ſperemus; cui fidei & cõfidentię tribuit ipſe huius rei experientiã. ita enim Chriſtus Dñs dixit cuidam: *ſi credis, omnia poſſibilia ſunt credenti*; & vt ait S. Bernardus: nihil adeò Dei Omnipotẽtiam illuſtrat ac extollit, atque quod faciat Omnipo-

III.

e *Phil.* 4. 13.

f *Mat.* 9. 23.

Serm. 85. *in Cant.*

ten-

tentes prædicto modo eos, qui in eum confidunt. O Deus Omnipotens, gratias tibi quantas possum ago, propter eam partem supremæ tuæ Omnipotentiæ, quam seruis tuis communicas. in ea Domine confido: siquidem tu ita vis; & per eam faciam quidquid mihi faciendum iubes. Elige, anima mea in amicum eum, qui est Omnipotens, cum quo & tu eris Omnipotens; siquidem iuxta legem amicitiæ, *quod per amicos possumus per nos possumus.*

PVNCTVM III.

Fontes Diuinorum beneficiorum.

TERTIÒ considerandum, quasi pro hactenus dictorum Epilogo, quod Dei Omnipotentia semper se occupet in benefaciendo nobis; sitque principium & fons, vnde proueniunt nobis omnia diuina beneficia, quibus gaudemus; simul cum ipsa sapientia, bonitate & charitate Dei: hæc enim tria Dei attributa, sunt illi a *tres digiti, quibus Deus appendit molem terræ*, vt dixit Isaias Propheta; quibus etiam digitis appendit cælos, & Angelos, homines, & ceteras vniuersi creaturas, illis enim eas creauit, sustentat, gubernat, adiuuat, & ad vltimum suum finem perducit. Sapientia enim cognoscit ac disponit quidquid est facturus; bonitate & charitate vult facere, quod cognoscit; Omnipotentia denique illud exequitur; & cum omnibus tribus occupatur in conferendis

a Isa. 40. 12.

nobis magnis bonis. Pater ipſe Omnipotentia, quæ illi quaſi propria attribuitur, Filius ſapientia, & Spiritus S. bonitate, & omnes tres perſonæ cum his tribus perfectionibus; quia vnaquæque habet illas omnes tanquam vnam; in Deo enim omnes illæ ſunt vnum & idem.

Hoc ſpiritu ſubſequentes Meditationes aggrediar, quæ ſunt de diuinis beneficijs, quæ inceperunt ab ipſa mundi creatione: dandaque eſt opera, vt tota vitæ meæ ſtructura & mearum conſiderationum, innitar præcipuè tribus his digitis SAPIENTIAE, OMNIPOTENTIAE, & BONITATIS DEI, quibus reſpondeant actus & affectiones trium Theologicarum virtutum, fidei, ſpei, & charitatis. Fides enim reſpondet ſapientiæ; ſpes, Omnipotentiæ; charitas bonitati Dei; quamuis omnes tres virtutes & earum actiones, reſpiciant tria attributa ſimul. O Deus Trine & Vne, æquè ſapiens, ac potens, & æquè potens ac bonus, & in omnibus infinitus, illuſtra meum intellectum, diuina tua ſapientia: allice voluntatem ſuprema tua bonitate, conforta omnes facultates meas admiranda tua potentia; vt agnoſcens innumera & ſuprema beneficia, quæ à te prouenerunt, te propter illa feruenter diligam, tibique ſeruiam, & fortiter obediam in ſæcula.

Amen.

MEDITATIO XVII.

DE OMNIPOTENTIA DEI in creatione mundi, & de magnitudine huius beneficij.

PUNCTUM I.

S. Thom. 1. p. q. 44.

1. Cor. 1. 1. Pet. 1. 4. Ioan. 1. 3.

PRIMO considerandus est principalis motivus noster Dei, quo conferamus, quod Deus nominatus esse potuerit, & sua infinita, *a principio creauit cœlum & terram, mare, & omnia, & post ista, quæ in eo sunt e nihilo*, ut ait S. Ioannes: nulla fuerunt, siue magna fuerunt, quæ non habuerit origine divinum fuerit a principio, illud S. Ioannes de verbo divino; *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, quod factum est, ac properea & ego fuerit factus ego, & ab eo accepi esse, quod habeo.

I. In hoc articulo est Pr. tuo perpendendi, quod omnia quæcunque, iam extra mentem habuerunt principij, & respici inceperint esse, ciuitatem ab effent: quare, non creauerunt mundi, quem referet scripturæ, nihil præsitum erat extra mentem, Dei, & non habuerunt, quo ex esse re ab accepissent esse, quod habemus,

ac pro-

ac propterea ſi ego me intuear in mea origine, ſum verè nihil, non ſolùm quoad animã ſed etiam quoad corpus. nam id, ex quo ſum conditus, aliquando verè fuit nihil. Ex quo excitabor ad infinitas Deo gratias reddendas, qui ſua Omnipotentia eduxerit me ex abyſſo nihili; iaciamque fundamentum in profunda hac humilitate, dicens cum Apoſtolo: e *O altitudo ſapientiæ & Omnipotentiæ Dei. quis prior dedit illi, & retribuetur ei,* ipſe enim eſt primus, qui omnibus dedit quod habent; & cui omnes gratias agere tenentur propter ea quæ poſſident, *quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia; ipſi gloria in ſecula. Amen.* e *Rom.* 11. 33

II.

DEINDE perpendendum, quod Deus Dominus noſter, liberè & ex mera atq; gratuita ſua voluntate res omnes creauerit, nemine illum cogente: nam non coëgerunt ad id faciendum merita creaturarum, quia nullæ erant; nec coegit neceſſitas aut aliquod emolumentũ, quia ſine ſuis creaturis & beatus erat, & nulla earũ indigebat; nec bonitas creaturarum, quæ eſt valdè limitata, & neminẽ cogit ad ipſam amandam, quantò minùs coget Deũ! quare à ſola ſua bonitate & miſericordia motus, f *vniuerſa propter ſemet ipſum creauit* & operatus eſt *Dominus*: Lauda & glorifica, anima mea, tuũ Creatorẽ propter ideò ſupremũ beneficiũ, quod tibi contulit, educens tot res, & te cum illis ex abyſſo nihili, vt hoc tibi daret Eſſe, quod habes: & f *Pro.* 16. 4.

quandoquidem & illas, & te libera sua voluntate creauit, quia erat bonus, expende totum tuum esse, & quidquid habes, vt sponte & libenter illi seruias, propterea quòd ipse bonus sit, teque nullis tuis meritis creauerit.

III. TERTIÒ perpendendū, quod Deus Dominus noster in hoc creationis opere, nullum aliud habuerit exemplar, quàm se ipsum: ipse itaq; solus fuit causa efficiens, quæ res omnes condidit; & vltimus finis, propter quē eas fecit; & exemplar siue Idæa, ad quam respexit dum illas conderet; quia peruidens infinita sua sapientia res omnes, quas facere poterat, & earum dispositionem & ordine, elegit libera sua voluntate ordinem hunc creaturarum, quæ sunt in vniuerso; & Omnipotentia sua ita rem est executus, &, quod hinc efficitur, sicut tunc, relictis infinitis creaturis in abysso nihili, elegit eas quas creauit; ita, relictis infinitis animabus etiam in abysso nihili, elegit inter alias quas creauit etiam meam, quam tempore suo crearet. Quamobrem infinitas illi debeo gratias, memor illius, quod ipse dixit Iob, g *sciebas-ne*, quando ego mundum creabam, *quod nasciturus esses? & numerum dierum tuorum noueras?* quasi diceret, tu id scire non poteras; sed ego sciebam, & ex bonitate mea id facere decreui. O Deus sapientissime & potentissime, quid in anima mea vidisti, vt eam potiùs creares, quàm innumeras, quas in abysso nihili reliquisti? O finis vltime omnium creatura-

g *Iob.* 38. 21.

aturarum, cur hanc miseram creasti potiùs, quàm multas alias, quæ melius quàm ego te glorificassent? O exemplar rerum omnium, quæ creari possunt; cur potiùs me creare voluisti, quàm alios multò meliores, quorum, etiam es exemplar! nulla huius rei causa est, Deus meus nisi mera tua & sancta voluntas, secundũ quàm me creauit tua Omnipotentia; deditq; Esse quod habeo. Et quandoquidem adeò liberalem te erga me exhibuisti, seruiam ego tibi semper, quia ita tu vis. Tu eris meus vltimus finis in omnibus rebus meis, quia tu ita iubes; & aspiciam te tanquam exemplar & delineationem, cui vitam meam conformem, quia ita tu statuisti. voluntas tua Domine erit semper mea; siquidem à tua prouenit meum Esse, & quidquid ego habeo.

PVNCTVM. II.

DEINDE considerandæ sunt res illæ, in quibus Dei Omnipotentia relucet in hoc opere Creationis Vniuersi, quas ad tres quatuorve magis præcipuas reuocabimus. S. Thom. 1. p. q. 45.

PRIMA res, in qua hæc Dei Omnipotentia resplendet est, quod non opus habuerit vlla materia, ad fabricandũ hunc mundum, sicut Angeli & homines indigent pro suis fabricis & operibus artificialibus: sed ex nihilo fecit præcipuas partes vniuersi, dans illis totũ & integrum Esse, nulla eorum parte præcedente. & sic creauit cælum, & terram, I.

& ſubſtantias ſpirituales, quales ſunt Angeli & animæ noſtræ; quæ non poſſunt fieri niſi ex nihilo; vt ſic agnoſcam omnimodam obligationem, qua tenentur Deo Domino noſtro ſeruire, cum omnibus, quæ ſunt, & habent; & pro omnibus gratias agere, nihil ſibi arrogantes. O Creator Omnipotens, rectum omninò eſt, vt anima mea, quam ex nihilo eduxiſti, tota & fideliter tibi ſeruiat. Aequũ eſt, vt te diligam ex toto corde meo, ex tota mente, & ex tota virtute: ſiquidem tu id totum mihi dediſti, vt toto te amarem. a *Quid habes anima mea, quod non acceperis?* quod ſi totum à Deo accepiſti, ob totum, da gloriam Deo & ſi ex te nihil habes, ne glorieris, niſi in tuo nihilo. Colloca totam fiduciam tuam non in te quæ nihil potes; ſed in Deo, qui omnia poteſt; b *qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*, educens ea ex nihilo, vt Eſſe habeant & facultatem ad illi ſeruiendum, & in ſecula glorificandum.

1. Cor. 4. 7

Rom. 4. 17

II. SECVNDVM, in quo DEI Omnipotentia relucet, eſt, quod fecerit res alias ex alijs, ſicut ipſe voluit, nam etſi potuiſſet ex nihilo facere omnia viuentia, voluit tamen ſuam potentiam oſtendere, faciendo ex aqua piſces & aues; & ex terra plantas & animantia: vt intelligatur habere plenum dominium, & poteſtatem ſuarum creaturarum, quas & mutare poteſt, & has in illas pro libitu conuertere; vt ex hoc diſcam ego, eius dominio me ſubijcere, & gaudere quod habeam

tam potentem Dominum, cuius voluntati res omnes ſubijciantur.

TERTIVM, in quo eadem Omnipotentia emicat, eſt, quod hoc opus creationis vniuerſi, fecerit ſolus, nullum habens adiutorē; c *ego*(inquit) *Dominus faciens omnia hæc*, ego d *extendi cœlos ſolus*, c *ego feci terram*, *& manus meæ tetenderunt cœlos*, & nullus alius mecum. Et quamuis poſtquam Angelos creauiſſet, potuiſſet eorum opera vti ad res aliquas corporeas faciendas, nullum tamen adhibuit, ſed ſolus totum hoc primū opus peregit: (iuxta illud Iſa. e *quis adiuuit ſpiritum Domini?*) vt homines, propter quos illud faciebat, ipſi ſoli ſubiectos nos eſſe agnoſceremus, ſolum adoraremus, & ſoli ſeruiremus tanquam Creatori & rerum omniū effectori, dantes ei propter omnia gloriam, ſicut ſeniores illi Apocalypſis dicebant: f *Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant*, & perſeuerarunt, ſicut per eandem creata fuerunt. III.

c Iſa. 45.7. 12.
d Iob. 9.8.
S. Thom. 1. p q. 65. a. 5.
e Iſa. 40.13.
f Apoc. 4. 11

QVARTVM, in quo reſplendet eadem Omnipotentia Dei; eſt facilitas, qua res omnes fecit, ſolùm quia voluit, & dixit, aut iuſſit; quia omnia ſine vlla reſiſtentia aut mora illi obtemperarunt. eodem enim momento, quo dixit vt fierent, facta erant: dixit Deus, g *fiat lux*, *&* in momento *facta eſt lux*; & Dauid ait, h *quia ipſe dixit*, *& facta ſunt*: *ipſe mandauit & creata ſunt*. Ex quo ex parte vna IV.

g Gen. 1.3.
h Pſal. 148 15

agnoscam cum magno stupore Omnipotentiam Dei; cuius efficaci voluntati nullus potest resistere: ex altera verò firmum faciam animi decretum, obediendi Deo, absque vlla contradictione, mora, aut tergiuersatione in omnibus quæ mihi mandauerit, ex obedientia prompta, ad nutum, in momento, & exactissima. Cur te non subijcis, anima mea, imperio & mandato tam potentis Dei! cur sola resistis ei, cui omnia obtemperant: ipse dedit tibi libertatem volendi & nolendi; renuncia ei parti, quam habes ad resistendũ, & vtere semper illa, quam habes ad parendum. O Deus Omnipotens, ita efficaciter, quæso, mihi impera quod vis; vt nunquam ei contradicam, quod iusseris.

PVNCTVM III.

S. Thom. 1. p. q. 74.

TERTIÒ consideranda est ratio & modus, quem Dei Omnipotentia in rerum creatione adhibuit, illas paulatim orans atque perficiens. nam, etsi potuisset in momento, cum omni perfectione eas creare, id tamẽ non fecit, sed paulatim spatio a *sex dierum*, ob aliquos fines, in vtilitatem nostram directos.

2 Gen. 1. 31.

I.

PRIMVS finis fuit, vt melius ac distinctius sapientiæ diuinæ dispositionem, in mundi creatione intelligeremus; ac disceremus eam meditari, non simul & confusè, sed paulatim & per partes, & gratias conditori &

bene-

benefactori noſtro agentes, ob noua beneficia, quæ in nos quotidiè conferebat.

SECVNDVS fuit finis, vt melius intelligeremus, quanta eſſet neceſſitas rerum quas creabat; attendentes in primo die, quàm eſſent neceſſariæ res, quas creauit in ſecundo; & in hoc, quas creauit in tertio: & ita excitaremur ad maiorẽ amorem & gratitudinem propter vnumquodq; horum beneficiorum. II.

TERTIVS denique finis fuit, vt in hoc primo ipſius opere, creatione ſcilicet aduerteremus, quod idem DEUS DOMINUS noſter, eundem ſtylum & ordinem ſeruet in opere noſtræ ſanctificationis & perfectionis, quam communicat, non totam ſimul aut ſemel, ſed per ſuas partes & gradus; primùm per vnum gradum, deinde per alterum, per totum ſcilicet decurſum ſex dierum, qui nobis ſignificant ſpacium totius vitæ noſtræ, vſque ad ſabbathum æternæ quietis, in quo opus eſt iam perfectum & fruimur præmio laboris. Hoc totum ſigillatim in ſubiectis Meditationibus perpendemus. III.

MEDITATIO XVIII.

QVID DEVS CREAVERIT in primo instanti, aut in principio temporis.

FINIS *& scopus huius Meditationis & sequentium est, vt consideremus ea, quæ Deus creauit statim in exordio huius mundi, & in sex primis diebus: vt horũ beneficiorum consideratione, ad amorem & obsequium authoris ipsorum prouocemur, meditantes aliquoties in singulis hebdomadæ diebus opera, quæ Deus in illis fecit. Præmoneo tamen, me opus illud declaraturum, quod sacer ipse cõtextus in ipso, vt dicitur, cortice præfert, scholasticis Theologis relinquens disputationem sensus illius, quo dicuntur res aliquæ tali die factæ, aut omninò, aut ex parte. Ad finem enim harum Meditationum parùm refert hoc scire.*

PVNCTVM I.

a *Gen.* 1.1. IN *principio creauit Deus cœlum & terram. Terra autem erat inanis & vacua; & tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus Domini ferebatur super aquas.*

PRI-

PRIMÒ considerandũ, quòd in principio tẽporis videlicet, Pater æternus per PRINCIPIVM, qui eſt eius FILIVS, ſimul cũ ſuo SPIRITV, S. videlicet, initium dederit rebus omnibus; creans ex nihilo cœlum in tota ſua magnitudine & rotũditate: quod quãuis ſit tantum, b *Deus* tamẽ (vt ait Iſaias) *palmo* illud *ponderauit*. Et quamuis adeò ſit rotundum & ſphæricum, nullo tamen Deus opus habuit fulcro, vt immenſam hanc teſtudinem, quæ totam terram ambit, faceret, aut ſuſtineret; vt ſic Omnipotẽtiam ſuam manifeſtaret. Sed nominatim creauit tunc ſupremum cœlum, quod Empyreum appellamus, quaſi ſplendẽs ſicut ignis; vt totam ſpectabilis huius mundi machinam intra ſe cõtineret; & vt curia eſſet, thronuſq; regni ipſius, & perpetua beatorum tam Angelorũ, quàm hominum habitatio. Ex quo magnos cõcipiã admirationis, laudis, & gaudij affectus, ex machinæ huius lociq; admirãdi magnitudine; & ſupplicabo Deo Domino noſtro, vt ad eũ me deducere dignetur, ſiquidẽ illud pro me creauit. O Deus Omnipotẽs, qui ſupremũ cælorum ex nihilo creaſti, conſtituens in eo ſpecialem habitationem tuam, c *terram* relinquẽs *filijs hominum*, vt in ea aliquam habitationem huius cœli promererẽtur; cõcede mihi, ita in hac lacrymarum valle vitam ducere, vt tandem perueniam ad tecum conuiuendum in iſto paradyſo deliciarum. O Cælum glorioſiſſimum, lauda & benedic Creatorem

I
Creatio Cœli.

b *Iſai. 40 12*

S Thom. 1. p. q. 66. a. 3. & 4.

c *Pſ. 113. 16. Deut. 12.*

torem tuum;& habitatores tui eundem glorificent, ob magnitudinem & pulchritudinem, quam tibi impertiuit, d *beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.*

d Psal. 83.5.

II. Angelorũ creatio. S. Thom. 1. p. q. 61. a. 3. & 4.

DEINDE considerandum, quòd Deus Dominus noster nõ creauerit hoc cœlũ habitatoribus vacuum, sicut terram, sed innumeris Angelis refertum, in tres Hierarchias & nouem choros distributis. quibus omnibus in eodem momento dedit omnes perfectiones naturæ & gratiç, quæ vnicuiq; cõueniebant, iuxta Diuinæ sapientiæ dispositionem & decretum. O quam pulchrum & admirandum mansit cælum cum hoc cælestium agminum exercitu, adeò perfectè cõposito & ordinato: quàm etiã contẽta ipsa Trinitas Sanctissima, cùm vidit tres illas Hierarchias, & in singulis tres choros, in quibus referebãtur excellentiæ triũ Diuinarũ personarũ! O quã fuerint cõtẽti lætiq; noui isti milites, mutuò se, & quisq; se ipsum aspicientes ornatos tot perfectionibus & ornamentis! O qualem iubilum in primo illo instanti senserunt, agnoscẽres Creatórem, à quo tantum bonum accepissent: Hac consideratione prouocabo Angelos, qui perseuerarunt, ad glorificandũ nunc Deum iisdẽ laudibus, quibus glorificarũt in principio: de quibus gloriatur Deus, dicens Iob: e *vbi eras cùm me laudarent simul astra matutina, & iubilarent oẽs Filij Dei?* O Angeli supremi, qui fuistis primitiæ operum

e Iob. 38.7.

Dei,

Dei, creati primo mane & diluculo huiꝰ mũdi, laudate & benedicite illũ, quia simul fuit vester Creator & Pater, dãs vobis esse naturæ, & adoptionem filiorum Dei per suã gratiam; & quoniam paulò pòst etiam propter merita vestra, dedit Esse æternũ suæ gloriæ, glorificate eum magnis lætitiæ iubilis, propter nouũ illud beneficiũ; & orate, vt in societate vestra faciat me eius participẽ, Amẽ.

IN hac cõsideratione licebit excurrere per choros Angelorum, Archangelorum, Principatuum, Potestatum, Virtutũ, Dominationum, Thronorum, Cherubinorũ, ac Seraphinorum, singulos choros inuitando ad laudãdum Deum; & gaudẽdo de bono quod in sua creatione, & postea in glorificatione acceperunt, iuxta ea, quæ in aliis locis diximus, & adhuc fusiùs dicetur inferiùs. 1. part. Med. t. 35.

PVNCTVM II.

DEINDE considerandum, quòd eodem ipso instãti creauerit Deus terram, collocans eam tanquam centrum, in media cõcauitate cœli; in tanta tamen magnitudine, a *latitudine, & longitudine*, vt nullus mortalium eam possit certò cognoscere aut metiri; quod se posse facere gloriatur Deus, vt sacræ Scripturæ frequenter testantur. a Iob. 38. 5. 18. a Eccl. 1. 2.

SED in eo maximè Dei Omnipotentia relucet, quod rẽ adeo immẽsi ponderis sustẽtet in vacuo, absque fulcro aliquo corporali cui innitatur, idq; tanta firmitate, vt dixerit Dauid: quod b *fundata super stabilitatem suam,* b Psal. 103. 5

I.

non

non inclinabitur ad vnã vel alterã partẽ, *in seculum seculi*. Adeoq; facilè eã sustentat, teste Isaia, vt c *tribus digitis molem terræ appendat*: atq; si quis paruã aliquã rẽ tribus suis digitis appensam teneat Sapiẽtiâ enim sua, bonitate, & Omnipotentiâ firmissimè illã in eodẽ loco sustinet, & ideo dixit Iob, quod Deus d *appenderit terram super nihilum*. Hinc colligam, quàm par sit, me confidere Dei Omnipotentiæ; siquidem solo suę voluntatis nutu potest me confirmare, & æternum ita stabilire in bono; vt ad neutram declinem partẽ: Nam, quãuis onus corporis sit graue; virtus tamen Dei ita potest illud sustentare, vt animam meam non opprimat; opprimet autẽ, nisi demissè innitar fundamento super nihilum meum, & me proijciã vniuersim in manus Domini. O Deus Omnipotens, qui totã terræ molem appendis, nulli rei extra te innixus; cõcede, vt mihi nihilum meum verè agnoscenti, tu solus mea sis firmitas, & in te secura sit virtus mea, Amen.

c *Isa.* 40 12.

d *Iob.* 26.7.

II. Deinde perpendam abyssum aquæ siue nebulæ, qua Deus terram texit, statim atque illam creauit, ita vt non posset videri. in qua re attendam naturalem ordinem, quem duo hæc elementa exigunt, quo significatur status hominis terreni, cooperti miseriis & calamitatibus, per aquam significatis. qui homo adeò est fœdus & miser! vt sit indignus, qui videatur, donec Deus infinita sua misericordia operculum illud remoueat; in quo

confi-

confidam, quòd sit tempore me liberaturus, dicens cum Propheta Iona, e *circumdederunt me aquæ vsq; ad animam: abyssus vallauit me* ex omni parte, *pelagus operuit caput meum: sed tu, Domine Deus meus, subleuabis de corruptione* & periculo *vitam meam.* e Ion. 2. 6.

PVNCTVM III.

TERTIÒ considerandum, quod *terra* (in eo instanti) *erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.* Totum itaque spatium inter cælum & terram, siue illud esset aqua, siue nebulæ, siue aër, totum erat tenebrosum & absque luce. S. Thom. 1. p. q. 66. a. 1. & q. 68. a. 7. ait per tenebras significari aerem, qui est subiectum luminis.

IN quo est primò perpendenda ruditas, quam tunc temporis habebant terra & aqua. nam terra erat inanis, quia carebat proprio fine suæ creationis, & vacua ab arboribus & habitatoribus, & tota in tenebris, ob defectũ lucis. Si itaq; terra & aqua intellectum habuissent, & linguam, clamassent ad suum Creatorem, petentes dari sibi perfectionem, quæ tunc deerat: Et in hoc toto, licet me ipsum cõsiderare, hominem terrenum & miserum, & in peccato conceptum, ob Adami lapsum; qui propterea initio meæ creationis inanis eram & vacuus; fraudatus à fine, in quem fui creatus; vacuus à gratia & virtutibus, rectusque totus horrendis tenebris culpæ & ignorantiæ: quam eandé miseriam incurro, quoties lethalem culpam admitto; Qui igitur mentem & linguam habeo, meritò clamabo I.

ad meum Creatorem, vt me à culpa liberã, perficiat opus manuum ſuarum. Præterea quamuis ſanctiſſimus ſim, licet conſiderare, me ex meipſo inſtar eſſe terræ inanis & vacuæ, & abyſſi tenebris coopertæ: quare memor illius temporis, quo talis fui: debeo ſemper clamare ad Deum, à quo mea perfectio dependet, vt eam conſeruet & promoueat, donec ſuum finem conſequatur. O Creator mi, terra ſum ab omni bono vacua, fructu bonorum operum nuda; & fine eo carẽs, quem per illa poſsũ conſequi; & ſuper alias meas miſerias, ſum etiam tenebris plenus, & ſine luce, qua cognoſcere poſſem mala mea, & eorum remedium. adſis Domine, tua miſericordia, vt eruas me à tanta miſeria: & qui mihi dediſti Eſſe quod habeo, da etiam perfectionem, qua careo; vt opus tuum maneat ſemper perfectum, Amen.

II. DEINDE perpendam myſticas cauſas huius differentiæ, inter creationem terræ & cœli Empyrei. Quarum vna eſt, quòd terra

e *Pſal.* 38.6. ſignificet id quod homo habet ex miſera ſua natura, iuxta illud Dauidis: a *vniuerſa vanitas omnis homo viuens*, & vacuus ab omni bono: At cœlum Empyreum, ſignificat id quod habet homo ex gratia Dei; quod videlicet, ſit *igneus*, & luce Diuina ſplendens, igne charitatis ardens, & virtutibus plenus. DEINDE, Empyreum cœlum creatum eſt, vt ſit ſedes beatorum & perfectorum, qui vltimum ſuum finem ſunt conſecuti; & ideo creatum

eſt

est in tota sua perfectione, & plenum innumeris habitatoribus: terra verò creata fuit, vt esset habitatio bonorum, & malorum & imperfectorum; nec vt esset perpetua, sed tanquam transitus, & in qua pergatur ad vltimam perfectionem & præmium, quod datur in cælo: ad id ergo significandum, fuit creata imperfecta, vacua habitantibus & inanis, non habens scilicet suum finem. Ex quo intelligam, quòd existens ego inter cœlum & terram, ad vtrumque debeam intendere: quid scilicet ex me ipso habeam; & quid per Diuinam gratiam; & ad statum præsentem, qui est peregrinantis in terra; & ad statum æternum, quem expecto in cælo. Considerans ergo meam imperfectionem, conabor pergere, b *ascensiones disponens* (vt ait Dauid) *in corde meo*, & progressus meos in hac valle lachrymarum, & *in loco*, in quo me Deus *posuit*, pergens *de virtute in virtutem*, *donec perueniam* ad arcem supremam *Sion*, & ad locum mihi à Deo præparatum in ipso cœlo Empyreo. O DEVS æterne, siquidem c *oculi tui imperfectum meum viderunt*, adiuua me, vt illud exuam, dum viuo in hoc loco, in quo me posuisti; vt à te perfectus, perueniam ad eum, quem mihi præparasti, in æternum, Amen.

b *Psal.* 83. 6.

c *Psa.* 138. 6.

PVNCTVM IV.

QVARTÒ considerãdum est illud, quod *spiritus Domini ferebatur super aquas.*

ET

1. Et perpendēdum primò, quod is esset Spiritus S. qui ambulans super aquas, etiamsi tenebrosas, imperfectum hoc opus perficere, imprimēs illis virtutem & efficacitatem ad illa opera & res, quę ex eis erant producēda, ad exornandam & condendam terrā. In quo

S. Thom. 1. p. q. 66. a 1. ad 2. & q. 74 a 3. ad 4.

significatur nobis, esse Spiritui sancto familiare, in necessitate constitutis subuenire, etiāsi in tenebris, & in vmbra mortis existētibus, & plenis multis imperfectionibus; inspirationibus & instinctibus suis internis imprimendo illis virtutem & efficacitatem, qua conuertantur ad Deum, & capaces fiant lucis & dónorum eius, vt apta sint instrumēta ad opera grandia, quę ipse sit in eis operaturus. Significatur etiam (vt ait Ecclesia) efficacitas & virtus sanctificationis, quam erat aquis communicaturus, ad nos per illas purgandos à peccatis. Quare magno affectu

In benedictione fontis Baptismatis.

supremum hunc spiritum inuocabo, dicens: O diuine spiritus, qui ferebaris super aquas, etiamsi tenebrosas; veni in meam animam valde tenebrosam, & imprimens illi impetum Sanctæ inspirationis tuæ, illam dispone ad recipiendam supremam tuam lucem, donaque gratiæ & charitatis tuæ, Amen.

II. Deinde perpēdēdū est mysteriū, quod in verbo illo FEREBATVR, latet: ambulabat scil. & mouebatur super aquas. ad significandum, quod spiritus hic diuinus, quamuis in seipso sit immutabilis; & in cœlo, qui est locus triumphi & præmij, quiescat vidē-

dum

dum & fruendũ ſe præbens in ęterna requie; in hac tamẽ vita, in continuo ſemper eſt motu ſuper homines viatores, inſpirãs illis, eoſque mouẽs ad virtutem & perfectionem, adiuuans etiam illos calore & protectione ſua, donec fructum proferãt, quem ipſe in eis deſiderat. nam eius ambulatio & motus nec fit gratis, nec otioſus eſt, ſed ex ſe efficax: non quòd ille ſeipſum moueat, ſed quòd nos ipſe excitet, ad torporem & otioſitatẽ noſtrã excutiendam, & pergendum in via ad cælũ; & hoc præſtat erga ſuos dilectos filios, de quib. ait Apoſtolus, a *qui ſpiritu Dei aguntur* & impelluntur, *hi ſunt filij Dei.* O ſupreme Spiritus, ambula ſemper ſuper me, animans & impellens ad ſequendam tuam voluntatem, vt b *vbicunque fuerit impetus ſpiritus, illuc gradiar, nec reuertar* ab inceptis.

a *Rom.* 8. 14.

b *Ezec.* 1. 12.

PERPENDAM quoq;, idẽ verbũ, FEREBATVR notare continuationẽ & aſſiſtentiã diuini huius ſpiritus ſuper aquas: quod declaratur illa comparatione, qua vtuntur Sãcti & ipſa Eccleſia, cum dicunt; quòd ſicut gallina incubans ouis, ſuo calore illa viuificat, vt producantur pulli; ita Spiritus S. ſua virtute aſſiſtebat aquis, vt viuentia ex eis produceret. Et ita aſſiſtit, ſuaq; protectione præſidet ſuper animas, vt gratia ſua illas vificãs, fructus illę proferãt operum viuorũ. Nec ſe vnquam ab eis ſubtrahit, niſi illæ eũ ſe repellãt. & tunc nobis euenit, quod ouis, uæ gallina deſerit, vt irrita & ſterilia ma-

III.
S. Baſilius homil. 2. Examer.

Eccleſia ſuprà.
Tu ſuper aquas foturus eas ferebaris.

neant, nec ad aliud valeant, quàm vt mittantur in sterquilinium. Attẽde itaq;, anima mea, quid agas, quid cogites; ne diuinus hic Spiritus se subtrahat; in cuius præsentia, tua consistit vita; & ex cuius absentia, mors tibi eueniet: attende igitur magna continuatione & sollicitudine, eius seruitio; vt ille constanter assistat tuo remedio. O Spiritus diuine, à te incipere debet bonum meum, quia tu præsides super omne quod bonum est; ne permittas, vt ego à te recedam, ne tu vnquam à me recedas, Amen.

IV.

S. Thom. 1. p. q. 43. a. 6. & q. 74. a. 3. ad 2.

VLTIMÒ perpendã, quibus nominibus diuina Scriptura hic appellet Creatorẽ, Principiũ videlicet Deũ, Spiritũ, & Dominũ. Est enim PRINCIPIVM, quia rebus omnib. dat esse; est DEVS, propter auctoritatẽ & potestatem, qua oẽs gubernat; est SPIRITVS, quia illas perficit, datq; vitã iis, quę eius sunt capaces; est DOMINVS, quia illas creauit.

c Ioan. 8. 25 *Textus Hebraus habet:* In principio Dij creauit. *vt notetur Trinitas personarũ, & Vnitas in Essentia, & virtute ad operandum.*

PRAETEREA, cùm tota Sanctissima Trinitas hoc opus perfecerit: FILIVS significatur nomine *c* PRINCIPII, quia diuina sua sapientiâ dedit initium, delineando omnia, quæ creata sunt. PATER retinet nomen DEI propter omnipotentiam, quàm habet à seipso, non acceptam ab alia persona: SPIRITVS S. appellatur SPIRITVS, propter officium, quod præstitit; viuificando videlicet & perficiendo sua bonitate creaturas: quãuis omnes tres personæ totum fecerint, & omnibus conueniat nomen Domini, pro-

pter

pter Dominum, quod habeat super creaturas dominium, & similia creaturis tribuat; nunc (inquit) tandem.)

Denuntiepit nomen Domini, & profiteamur hoc Dominium, nam cognitionibus creaturæ, firmos & stabiles, quibus potestatem Dominus, & quibus potestatem perire. Granditer itaque ille de nouo hoc nomine, creatore orde gratitudinis plena, O Domine creator, quia nominando quod perfacien est seruando, quia creasti, quod fueras dispensatus creatura creare, quæcunq; ellis ingenium Dominus. Gaudeo Domine, quòd creatura es dominus, nominando nos dominationem, & vocius nominis, à quo propedimur dominum. Siquidem ejus nomen es nominis, per cuius nati, creatura tua sumus peculiarem mei, ita vt ego tanquam creatura subdita, nos semper seruitio nomini es facultis, datum.

MEDITATIO XIX.
DE IIS QVÆ PRIMO die creauit Deus.

PUNCTVM I.

CREAVIT DEVS cœlum & terram. Genes. 1. Hæc est vna ex illis quæ primo die creata sunt, & diuisit lucem a tenebris. Appellauit, lucem diem, & tenebras noctem.

I. PRIMÒ considerandum, quòd Deus Dominus noster, vidēs, in quibus tenebris mundus esset; vt illū perficeret, creauerit ante omnia lucem; sicut qui facē accēderet in obscura aliqua domo, vt homines ingredi eam possent. Perpendam ergo, quàm fuisset verè miser hic mundus, absq; hac luce corporali; & quanta bona illa secum adferat. nam illa manifestat opera Dei; & res pulchras ac spectabiles, quæ sunt in mūdo: sine ea nec videre possemus, nec ambulare, nec præstare aliquid operibus corporalibus accommodatū; est causa magnæ lætitiæ omnibus viuētibus; per eandē multæ descendūt influētiæ & virtutes, quibus mundus conseruetur. propter quæ, dum videret Deus lucem, dixit, illā esse bonam, & valde conformem fini ipsius vniuersi, & vtilem omnibus viuentibus. Et hoc mihi erit motiuū, gratias Deo agēdi pro hoc lucis beneficio; & quotidie, cū sol oritur, ac recens lucem adfert, Deum propter illā laudabo; & quòd oculos mihi dederit, vt illam viderem, & ea fruerer; & ob lætitiā, qua afficior ex ea; reuocās in memoriam, quòd Tobias dixit, b *quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* Proponam etiam firmiter, hac luce vti in finem à Deo constitutum, ad videndum scilicet Dei opera, & eundem propter ea glorificandum: dolēs etiam vicem peccatorum, qui rem adeò bonam oderunt, vt liberiùs peccare possint, sicut ipse CHRISTVS dixit, c *qui male*

b *Tob.* 5. 12.

c *Ioan.* 3. 20

agit,

agit, odit lucem, vt non videantur opera eius.

II. De luce ſpirituali.

SECVNDO ex hoc aſcendã ad cõſiderãdam excellẽtiam lucis ſpiritualis, qua Deus perficit animas in tenebris, in obſcuritate & in vmbra mortis exiſtẽtes, quæ ex ſe aliud nõ habent, quàm tenebras ignorãtiæ & culpæ; quam lucem Deus libẽtiſſimè communicat. Delectatur enim, quòd ab omnibus cognoſcatur, & quòd oẽs glorioſa ipſius opera videant, & per eandem, quid ſibi ſit agendum, qua ratione Deo ſeruiendum, & advitã æternam properandum cognoſcant, iuxtà illud Dauidis: d *Signatum eſt ſupra nos lumẽ vultus tui Domine.* Per illud enim lumẽ, nobis communicat cœleſtes influentias gratiarum & virtutum, impletque corda magnâ lætitiâ. Quamobrem videns Deus etiam hãc lucem, dixit eam eſſe bonam, & quidem eminenter bonã in omni genere boni honeſti ſcilicet, vtilis, & delectabilis. eſt enim conueniens valde & cõformis ſupernaturali fini gratiæ; eſt principium virtutũ; vtilis ad omnia opera bona; ac delectabilis in eorũ exercitatione. Quòd ſi tãtas debeo gratias Deo, propter lucem corporalem; quantò debebo maiores propter hanc ſpiritualẽ, quæ incomparabiliter eſt melior? e *O Pater luminum*, à quo lumina omnia procedunt, gratias tibi propter duplicem hanc lucem, quam ad illuminãdũ corpus & animam meã condidiſti: millies ſis benedictus Deus, propter lucem corporalẽ, qua video res oẽs viſibiles; & millies millies

d *Pſal* 4. 7.

e *Iacob* 1. 17.

sis glorificatus, propter spiritualem, qua video inuisibilia. Aspice Deus meus, animæ meæ obscuritatem, compatere illi: & siquidē tu fons es luminis, f *eo illumina tenebras meas* O splendor gloriæ Patris, lux à qua procedit lumen, lumen de lumine, fons luminis, & dies diem illuminans, educ me è tenebris, in quibus versor, & fac me g *lucis* perfectum *filium*: conuerte noctem meam in diem, vt currens pergam, sicut h *lux* matutina *splendens, quæ procedit & crescit vsq; ad perfectam diem* tuæ æternitatis, Amen.

f *Psa.* 17. 29 *Ecclesia in hymno Matutin.*

g *Ephe.* 5. 8.

h *Prou.* 4. 18

Ad similitudinē huius colloquij, quod ex parte acceptum est ex quodā hymno Ecclesiæ, instituī possunt alia etiā ex hymnis, qui dicuntur ad matutinum, & ad laudes, & ad vesperas feriarū, qui pleni sunt affectibus & laudibus huius lucis.

PVNCTVM II.

DEINDE considerandus est modus, quo Deus hāc LVCEM creauit. In quo sunt tria perpēdēda. PRIMVM, quòd fecerit LVCEM prima die: nam lux corporalis præsentia sua facit diem, & sine ea non est dies: Et similiter lux spiritualis, est prima perfectio, & veluti primitiæ Christianæ perfectionis; sine qua nec ad vnū passum progredi possumus, dicente Dauide: a *vanū est ante lucē surgere*: & ita curæ est Deo Domino nostro, in initio vitæ nostræ, & quādo sum⁹ in tenebris, præuenire nos illustratione aliqua & radio suæ clarissimæ lucis, vt possim⁹ ambulare, &

I.

a *Psa.* 126. 3.

pro

pro ipſius ſeruitio laborare. b *O lux vera, quæ illuminas omnẽ hominẽ, qui* per vſum rationis *venit in hunc mundũ*; præueni me tua luce, vt te cognoſcam & amem; &, te adiuuãte, c *præueniam ſolem ad benedictionem tuã*, d *ad te de luce viguans*, vt expendam primã diei partẽ, *& ortum lucis, te adorando*, & benedicẽdo ob magnitudinẽ tuarum miſericordiarũ, quib. mẽ præuenis, vt meis miſeriis ſubuenias.

b Ioan. 1. 9.

c Sap. 16. 28

d Pſal. 5. 5. & 62. 1.

II.

DEINDE perpendendũ, quòd Deus DOminus noſter hoc primo die, LVCEM tantũ effecerit, qnãuis multa alia potuiſſet: ſed ſatis bene collocatum hunc diem exiſtimauit, in hac lucis productione, & vt ſuum illa curſum perageret per totum huius mũdi hemiſphærium, tenebras depellens, & integrum faciens diem. Hac ratione nobis manifeſtãs, quanti ipſe lucem æſtimaret; & quanti nos debeamus facere ſpiritualem, occupãtes nos omnino in ea nobis procuranda; & interdum integrum diem, vel certe aliquam eius horam expendentes, vt in hanc rem ſolam incumbamus: occupationibus aliis interim reiectis, donec pẽſum illud noſtrum integrè expleamus, & in eadem exercitatione ad finem vſq; vitę conſtanter perſeueremus, ſicut curſus huius lucis continuè diebus omnibus perſeuerat. d *O Sapientia diuina, quæ ex ore altiſſimi prodiiſti, primogenita ante omnem creaturam, quæ effeciſti in cœlis, vt oriretur lumen indeficiens*, largire mihi partem aliquam ſupremi iſtius tui luminis, quod ita

d Eccl. 24. 5.

lumiare in me manes, et manendo delectas
deos: quod ergo in aeterna vita erit, Amen.

TERTIO perpendes, quòd una tantùm sit TRINITAS, Personarum tamen tanta sit in ea unitas, ut non sint tres, sed unus Deus, tres Personæ, sed una Essentia, tres Intellectus, sed unum Intellectuale, tres Voluntates, sed una Voluntas, tres Actiones, sed una Actio, tres Potentiæ, sed una Omnipotentia, tres Immensitates, sed una Immensitas, tres Æternitates, sed una Æternitas, tres Majestates, sed una Majestas, tres Gloriæ, sed una Gloria, tres Dominationes, sed una Dominatio, tres Imperia, sed unum Imperium, tres Sanctitates, sed una Sanctitas, tres Sapientiæ, sed una Sapientia, tres Misericordiæ, sed una Misericordia, tres Justitiæ, sed una Justitia, tres Veritates, sed una Veritas, tres Bonitates, sed una Bonitas, tres Beatitudines, sed una Beatitudo, tres Perfectiones, sed una Perfectio, tres Omnipotentiæ, sed una Omnipotentia, tres Creatores, sed unus Creator, tres Redemptores, sed unus Redemptor, tres Salvatores, sed unus Salvator, tres Consolatores, sed unus Consolator, tres Sanctificatores, sed unus Sanctificator, tres Vivificatores, sed unus Vivificator, tres Spiritus, sed unus Spiritus, tres Amores, sed unus Amor, tres Spiritus Sancti, sed unus Spiritus Sanctus, tres Sanctificationes, sed una Sanctificatio, tres Unctiones, sed una Unctio, tres Dilectiones, sed una Dilectio, tres Charitates, sed una Charitas, tres Gratiæ, sed una Gratia, tres Donationes, sed una Donatio, tres Dona, sed unum Donum, tres Remissiones, sed una Remissio, tres Indulgentiæ, sed una Indulgentia, tres Mundationes, sed una Mundatio, tres Purificationes, sed una Purificatio, tres Glorificationes, sed una Glorificatio, tres Exaltationes, sed una Exaltatio, tres Magnificentiæ, sed una Magnificentia, tres Operationes, sed una Operatio, tres Inspirationes, sed una Inspiratio, tres Illuminationes, sed una Illuminatio, tres Inhabitationes, sed una Inhabitatio, tres Unitiones, sed una Unitio, tres Conjunctiones, sed una Conjunctio, tres Adunationes, sed una Adunatio, tres Deificationes, sed una Deificatio, tres Beatificationes, sed una Beatificatio, tres Perfectiones, sed una Perfectio, tres Consummationes, sed una Consummatio, tres Coronationes, sed una Coron

verò & in tenebris, requiescerent, & à labore cessarent; vt hoc leuamen defatigato corpori adhiberetur. in qua re satis apparet suauis prouidentia huius Domini, qui ita prouiderit de ijs quæ nostris corporibus conueniebant. Quamobrem gratias illi debeo, tam propter lucem, quàm propter tenebras, vtraſq; inuitans ad benedicendum Deum verbis illis cantici, a *Benedicite lux & tenebræ Domino, benedicite nox & dies Domino: Laudate & superexaltate eum in secula.*

a Dan. 3 71.

I.

SED ascendens hinc ad contemplandum spirituale illud quod hic latet, perpendam, quid inter Deum & homines intersit; & quid inter cœlum & terram. nam b *Deus* Dominus noster, vt ait S. Ioan. *est* ipsamet *lux & c tenebræ in eo non sunt vllæ*; & beati in cœlis, propter participationem gratiæ eius, semper sunt etiam lux sine admixtione tenebrarum. Et in cœlo; vt habetur in Apoc.) non est successio noctium & dierum. d *nox enim non erit illic*: at in terra vicissitudo est & successio. Nam in primis aliqui sunt boni, qui sicut filij lucis ambulant, sicut qui ambulat in die; alij sunt improbi, qui viuunt sicut filij tenebrarum, sicut qui ambulat in nocte; & vnus atque idem aliquando est filius lucis, & aliquando tenebrarum: & hos etiam diuidit Deus, alios approbans, alios reprobãs: nam (vt ait Apost.) e *Quæ societas est luci ad tenebras?* quasi dicat, nulla: quia non possunt cohærere. Quare diligentius attende, anima

b *Ioan.* 1. 9.
c 1. *Ioã.* 1. 5.
d *Apoc.* 21. 25.
e 2. *Cor.* 6. 14.

mea; quomodo vitam tuam ducas; accede ad partes filiorum lucis, vt cùm supremus iudex aduenerit, ad separandos illos à filijs tenebrarum, felix tibi sors contingat, vt cum filijs lucis gaudeas in æterna gloria. Amen.

II. PRAETEREA in terra magna est diuisio lucis & tenebrarum, dierum & noctium, in varijs hominibus etiam iustis, & in vno eodemq; diuersis temporibus: quia modò est in prosperitate, modò in aduersitate; nunc in honore, nunc in infamia; nūc in deuotione spiritus, nunc in ariditate cordis; nunc magnas habet internas illustrationes, nunc magnas tenebras & obscuritates. Hanc diuisionem Deus dirigit, ad electorum suorū exercitationem & probationem; oblectatur enim ea, propterea quòd talis successio lucis & tenebrarum, non parum conferat ad salutem animarum eorum, ideoque eadem successione & ego gaudebo, gratias pro vtroq; agens; siquidem diuina eius prouidentia ita eam successionem disposuit, vt hac via æternam lucem in sua beatitudine mihi largiretur. O Pater supreme. f *qui dixisti de tenebris lucem splendescere*, easque separasti, illumina corda nostra, ita vt *illuminationem* consequamur *scientiæ & claritatis tuæ*, quæ resplendet *in facie* Filij tui CHRISTI IESV, vt imitantes hic claritatem eius vitæ, fruamur postea eius gloria.

f 2. Cor. 4. 6

III. DENIQVE perpendam, quod cùm Deus, luci & tenebris indiderit nomina, lucem ap-

pellans

nolans dicere, & tenebras nocteni, teneræ e-
res omnia sub lucis specie lætis spectatæ
prædicunt; indicans lucem & diem, vir-
tutem, fanctitatem, & profperitatem, quid-
quid Deus vale ele indicat, & tali nomine
compellat, eadem que ratione indicantes-
que & nuncupantes, culpam, & deteri-
em, quidquid DEVS hoc nomine com-
pellat, per horrendæ illæ mixæ nomen com-
prehendunt. Propterea dicentis: *Et fiat lux, & facta est lux.* Et *Fiat firmamentum, & fecit Deus firmamentum, & divisit lucem ab tenebris.* Et *Fiat luminaria in firmamento cæli, & facta sunt ita.*

Gen. 1. 10.

O LVX luminosa, illumina cordia nostra *Ex Ant. 4. Vesp. de Nativ.* CHRISTE IESV, vt nostrum sentire, loqui, & operari, sit ipsi omnino conforme, qui est vnus cum Patre, & Spiritu Sancto, Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Ioan. 8. 12.

MEDI-

MEDITATIO XX.

DE IIS, QVAE DEVS fecit Secunda die.

GENES. I. DIXIT Deus fit FIRMAMENTVM in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis: & factum est ita. vocavit, Deus FIRMAMENTVM, COELUM.

PUNCTVM I.

Articulo. mentum.

PRIMVM eſt conſiderandum, quod ſecundo die Deus Dominus fecerit firmamentum, hoc eſt, quod firmamentum hoc, quod aliàs nuncupatur Empyreum cum aqua, & cœlum, quod ſtat circum in omnes, quaſi omnimodo eſſent ſolidi, aeris.

1. Et quod eſt perpendendum circunde hoc, beneficii, propter ingentitudinem, quæ nobis adauctum ex aeris elemento, quia illo ſe ſpiritus & vitalis, intra quem animalium, per quem veniunt ſpecies rerum, quas oculis videmus, ſoni, & muſicæ, quas auris percipimus, ſuaves odores, quos percipit olfactorius. Per aerem has deſcendit lux Solis, & influentiæ planetarum, pluviæ, nives, & ros, per aerem mouentur venti, & nubes, & ea eo fiunt multa, quæ ſunt noſtræ vitæ neceſſa-

ceſſaria. Propter quod totum gratias Deo agam magno affectu; & quoties reſpiro, recentem attrahens aërem, deberem quoque affectum alium laudis, & amoris reſpirare.

QVARE nunc prouocabo oculos, aures, oderatũ, cor & viſcera mea, vt propter hoc beneficiũ, quo fruuntur, & per quod viuunt, & actiones ſuas perficiunt, Deum laudent; Nunc verò ipſum aërem inuitabo, & res omnes quæ per eum viuunt & mouentur, vt ſuum glorificent Creatorem.

II.

LICET quoque perpendere ſecretum huius nominis FIRMAMENTVM. nam quod Cœli ipſi firmamentum appellarentur, mirum non fuiſſet, de quibus dicitur in libro Iob, quod ſint b *ſolidiſſimi, & quaſi ære fuſi.* ed cùm aër facillimè omnium, quæ ſunt in terra, moueatur & alteretur: ad manifeſtandam tamen diuinam Omnipotentiam, vocatur FIRMAMENTVM, propter firmitatem, & ſtabilitatem, quam habet in præſtandis iunijs, ad quæ illum Deus creauit, vt aquas diuideret, vacua omnia repleret, nobiſque tam conſtanter conſeruaret, nunquam deciente aëre ad reſpirationem. O Deus omnipotens, gaudeo, quod ita manifeſtes ſtudam tuam omnipotentiam, in coniunda tanta mutabilitate, cum tanta firmite. Coniunge, Deus meus, cum mutabili ea natura firmitatem, quæ procedit à tua uina gratia, vt perſeueransin explendo,

b Iob. 37. 18.

quod

quod mihi mandas, perueniam ad præmium, quod mihi promittis, in æternum. Amen.

PVNCTVM II.

Nubes.

DEINDE considerandum, quòd Deus Dominus noster *diuiserit aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamentum*; siue, sint aliquæ a *aquæ*; quas DEVS seruat *super Cælos*, in aliquos fines æternæ ipsius sapientiæ notos: siue sint vapores, aut aquæ nubium, quæ mouentur in hoc firmamento, & regione aëris, & postea conuertuntur in pluuias. Et nominatim de his loquendo, quas percipimus sensu, ad æstimandum ingens beneficium, quod in nubibus nobis confert Deus, perpendam eius prouidentiam, quæ in multis hic relucet.

a *Psa.* 148 + *Dan.* 3. 60.

1.

PRIMVM apparet eius prouidentia in hoc, quod videns esse necessarium diuidere aquas, quæ terram operiebant, vt eius pars appareret; & sicca existens fieret habitatio hominum & animantium; voluit secundo hoc die aliam prius facere aquarum diuisionem, relinquens crassiores magisque terrestres supra ipsam terram, & ex eisdem eleuare alias subtiliores, ac delicatiores ad regionem aëris, quæ sunt nubes, vt illæ siccam terram in tempore humectantes, fœcundam redderent ad b *herbas virentes* fructusque producendos.

b *Iob.* 38. 27.

HINC

II.

HINC est, quod sua prouidentia DEVS llas gubernat, & distribuit eas pellens er aërem, quocunque voluerit, in bonum ominum; vtens hac misericordia in tem- ore, quo hominum necessitas pro ea ob- inenda clamat. Ac propterea dicitur a- ud Iob, quòd *frumentum desiderat nubes,* c Iob. 32. 12. *uæ lustrant per circuitum, quocunque eas vo- untas gubernantis duxerit, ad omne quod præ- eperit illis super faciem orbis terrarum*; *siue i vna tribu*, hoc est, in aliqua regione, *ue in terra sua* vnde fuerunt eleuatæ, *si- e in quocunque loco*, etiam remoto, *mi- ricordia sua eas iusserit inueniri*: estque tan- i eius misericordia, & amor, quem i hoc ostendit vt ipsemet voluerit d *plu-* d Iob. 38. 28. *æ Pater & roris genitor appellari.* quia aterno amore pluuiam mittit super ter- im, in illorum commodum, qui illam ıcolunt.

O MISERICORDIARVM Pa- r, immensas tibi gratias ago, quod te iam pluuiarum Patrem appellas, illas stribuens amore paterno; non solum su- er terram e *iustorum*, sed etiam *super* e Mat. 5. 45. *as*, quas possident iniusti. Effunde super iimam meam pluuiam gratiæ tuæ, ne tan- e misericordiæ ingratus inueniar, sed te udem, diligam, atque idcircò seruiam. A- en.

TERTIÒ in eo emicat Omnipotentia, &

proui-

quod mihi mandas, perueniam ad præmium, quod mihi promittis, in æternum. Amen.

PVNCTVM II.

Nubes.

DEINDE considerandum, quòd Deus Dominus noster *diuiserit aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamentum*; siue, sint aliquæ a *aquæ*; quas DEVS seruat *super Cælos*, in aliquos fines æternæ ipsius sapientiæ notos: siue sint vapores, aut aquæ nubium, quæ mouentur in hoc firmamento, & regione aëris, & postea conuertuntur in pluuias. Et nominatim de his loquendo, quas percipimus sensu, ad æstimandum ingens beneficium, quod in nubibus nobis confert Deus, perpendam eius prouidentiam, quæ in multis hic relucet.

a *Psa.* 148 4 *Dan.* 3. 60.

1. PRIMVM apparet eius prouidentia in hoc, quod videns esse necessarium diuidere aquas, quæ terram operiebant, vt eius pars appareret; & sicca existens fieret habitatio hominum & animantium; voluit secundo hoc die aliam prius facere aquarum diuisionem, relinquens crassiores magisque terrestres supra ipsam terram, & ex eisdem eleuare alias subtiliores, ac delicatiores ad regionem aëris, quæ sunt nubes, vt illæ siccam terram in tempore humectantes, fœcundam redderent ad b *herbas virentes* fructusque producendos.

b Iob. 38. 27.

HINC

HINC est, quod sua prouidentia DEVS illas gubernat, & distribuit eas pellens per aërem, quocunque voluerit, in bonum hominum; vtens hac misericordia in tempore, quo hominum necessitas pro ea obtinenda clamat. Ac propterea dicitur apud Iob, quòd *frumentum desiderat nubes, quæ lustrant per circuitum, quocunque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terrarum; siue in vna tribu*, hoc est, in aliqua regione, *siue in terra sua* vnde fuerunt eleuatæ, *siue in quocunque loco*, etiam remoto, *misericordia sua eas iusserit inueniri*: estque tanta eius misericordia, & amor, quem in hoc ostendit vt ipsemet voluerit d *pluuiæ Pater & roris genitor appellari.* quia paterno amore pluuiam mittit super terram, in illorum commodum, qui illam incolunt. II.

c Iob. 32. 12.

d Iob. 38. 28.

O MISERICORDIARVM Pater, immensas tibi gratias ago, quod te etiam pluuiarum Patrem appellas, illas distribuens amore paterno; non solum super terram e *iustorum*, sed etiam *super illas*, quas possident iniusti. Effunde super animam meam pluuiam gratiæ tuæ, ne tantæ misericordiæ ingratus inueniar, sed te laudem, diligam, atque idcircò seruiam. Amen.

e Mat. 5. 45.

TERTIÒ in eo emicat Omnipotentia, &

prouí-

prouidentia Dei, quod ſuſtentet in aere tantam immenſitatem nubium, quæ ſunt aqua plenæ; & cùm decidunt, non vno impetu, ſed paullatim, & ſenſim diſſolutæ deſcendant; vt irrigent terram, & in ea imbibantur, quia (vt ait Iob) f *Deus ligat aquas in nubibus ſuis, vt non erumpant pariter deorſum,* & cum g *vehementiſſimus imber* impetu deſcendit, Deus etiam dat *illi curſum*; & cùm ſenſim, guttatimque deſcendit, Deus h *pluuiæ guttas dinumerauit*, & locum præſcripſit, in quem defluerent. O Omnipotentia ſapientiſſima, & ſapientia omnipotentiſſima, laudent te nubes, & pluuiæ; & guttæ roris te glorificent in æternum, propter naturam quam illis dediſti; & ordinem, quo eaſdem diſtribuis ſuper terram! Et quandoquidem id totum dirigis in hominum commodum, illi etiam te glorificent, tibique ſeruiant, pro tanto hoc beneficio, quod à te accipiunt. Amen.

f Iob. 26. 8.
g Iob. 38. 25.
h Eccl. 1. 2.

IV. DENIQVE perpendam, eaſdem nubes ex prouidentia diuina nobis eſſe, pro vmbraculo vt temperent ſolis ardorem, & ſplendorem, quando in ſe recipiunt lumen, quod nobis temperatius, & moderatius communicant: Et propterea apud Iob dicitur, quod i *frumentum deſiderat nubes*; *& nubes ſpargunt lumen ſuum*, & pluuiam, qua temperant ardores, & calores terræ. Omnia hæc beneficia initium habuerunt in his, quæ fecit Deus hac ſecunda die, quæ cùm quotidiè re-

i Iob. 37. 11.

cen-

centia accipiamus, eiuſque fruamur, par etiam eſt, quotidie eum laudare, eique propter illa fideliter ſeruire.

PVNCTVM III.

TERTIÒ eſt conſiderandum, quod Deus Dominus noſter totum firmamentum appellauerit Cœlum, etiam qua parte aërem complectitur, propter ſimilitudinem, quam cum Cœlis habet, quia aër eſt eleuatus ſuper nos, eſt tranſparens & ſubiectum, in quo recipitur lux, & aliæ qualitates, quas Cæli efficiunt. *S. Thom. 1. p. q. 68. a. 4.*

ELEVANS tamen ſpiritum ad contemplanda myſteria operum ſecundæ huius diei, conſiderabo in eis proprietates animæ, quam Deus Dominus noſter ſuum facit Cœlum, ob ſanctitatem; quæ poſtquam ab eius omnipotentia lumen accepit, quo perficitur intellectus, accipit etiam firmitatem, & ſtabilitatem gratiæ, virtuteſque cœleſtes, quibus perficitur voluntas, & cor: ita vt qui prius naturæ conditione erat inſtabilis firmus ſit, & conſtans, propter Dei protectionem. I. Anima eſt Cœlum.

HINC prouenit diuiſio aquarum, affectionum videlicet, & propenſionum; quæ erant permixtæ, & confuſæ; diuina tamen gratia ſecernuntur, & ſeparantur, ita vt affectiones rerum terrenarum maneant in loco inferiori ſubiectæ ſpiritui: affectiones verò II.

rerum cœleſtium aſcendant ad locum ſuperiorem, vt carni præſint. Et quamuis pugna ſit inter carnem, & ſpiritum, iuxta illud Apoſtoli: a *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem*; vincit tamen ſpiritus, manetque in loco ſuperiori; quia DEI gratia eſt eius firmamentum, & fortitudo, quæ diuidit firmiter haſce affectiones: ex aquis autem ſuperioribus ſpiritus deſcendunt interdum pluuiæ, quæ carnis terram ſiccam & ſterilem rigantes, efficiunt, vt bonorum operum fructus producat, & b *vt cor, & caro exultent in Deum viuum*, à quo vtriuſque prouenit bonum. O DEVS æterne, quomodo non te diligam ob tot bona, quæ à te accipio! c *diligam te fortitudo mea, refugium meum, & firmamentum meum*: ſit mihi gratia tua firmamentum, quo firmiter ſciam d *ſeparare pretioſum à vili, vt ſim quaſi os tuum*, amicus, & familiariſſimus tibi. Mitte de Cœlo pluuiam cœleſtis tuæ doctrinæ, & rorem dulcis tuæ ſapientiæ, vt ſupremam hanc rigationem imbibens, fructus feram operum ſanctorum, quæ permaneant in vitam æternam

a *Gal.* 5. 17.

b *Pſal.* 83. 3.

c *Pſal.* 17 2.

d *Ierem.* 15. 19

III.

1. 9. 74. a. 3. ad: 3

VLTIMÒ perpendam, quæ fuerit cauſa, cur Deus non laudauerit opus huius diei, dicens; quod eſſet bonum: ſicut laudauit diei præcedentis, & ſequentium. Præcipua autem cauſa fuit, quod Deus non laudet aut omninò approbet opera, donec ſint perfecta, & abſoluta: cùm autem aquarum diuiſio in-

cepe-

ceperit quidem hoc die, non tamen perfecta fuerit vſq; in ſequentem, ideò non dixit hodie, quod eſſet bona vſque in diem tertium, quo fuit abſoluta. Hoc facto me admonet, vt ſtudeam integritati, & perfectioni vitæ, & actionum mearum, ſiquidem apud ipſum non iudicatur bona, & perfecta actio, quæ tãtum habet bonum principium, ſi ſit exitus malus: nec ſaluabitur, qui benè cæpit, ſed qui benè finiſt. nam ipſe Chriſtus dixit: e *qui perſeuerauit, vſq; in finem hic ſaluus erit.*

e *Matt.* 10. 22.

Albert. in 2. d. 5.

Diony. Carthuſ. 1b. q. 6.

Mag. hiſt. ſuo Gen. c. 4. dicit eſſe traditionẽ Hebræor.

Iob. 26. 5.

HOC ipſum licebit exactiùs perpendere, ſi admittatur, quod aliqui doctores dicunt: hac ſecunda die, feria ſcilicet ſecunda, peccauiſſe malos Angelos, ideoq; Deum illos à bonis ſeparaſſe, bonos ſuper firmamentum relinquens, malos verò proijciens in abyſsũ, f *gementes ſicut Gigantes ſub aquis*, & propter hãc cauſam dicunt Deũ Dominum noſtrum non appellaſſe bonũ, quod hoc die erat factum, videns iniquitatẽ, & peccatum quod illo die à dæmonibus accepit initiũ, qui benè incipientes malũ exitum habuerũt, quia g *in veritate non ſteterunt*, & in luce, quã acceperant. Ex hoc exẽplo documentum accipiam, timendi imbecillitati meæ, ſi malos Angelos aſpiciam; & confidendi virtuti Dei, ſi aſpiciam bonos. Et magno affectu laudabo Deum noſtrum, ob collatum illis perſeuerantiæ beneficium; & illis congratulabor de gloria, quam ſunt conſecuti; & orabo eoſdẽ, vt me, à dæmonibus tueantur, & mei ſint

g Ioan. 8. 44

apud Deum aduocati, vt ille sit fortitudo mea, perseuerantia, & corona mea in sæcula. Amen.

ETIAM licebit aliud quid mysticum hic perpendere, quod non dederit Deus suam benedictionem secundæ diei, eò quod esset principium diuisionis dierum, ac propterea signum dissensionis, & disiunctionis, quæ aduersatur vnitati, & coniunctioni, quæ propria est charitatis, & plurimùm ipsi Deo placet, & effundit suam benedictionem in eos, qui illam amplectuntur, quam benedictionem denegat illis, qui vnionem horrentes, ab ea se separant, & ita dixit Dauid: h *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum: quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vsque in seculum.*

Se Thom. supra.

h *Psal.* 132. 1

QVOD cùm ita sit, rationi consentaneum est, me illud i VNVM eligere, quod CHRISTVS dixit esse *necessarium*, vt perueniam tandem ad fruendum vnico illo die, de quo Dauid: k *Quia melior est dies vna in atriis tuis*, & domo tua, *super millia*, extra eam: ac propterea fugiam omnem fraternam dissensionem, & diuisionem, quæ diuinam benedictionem expellit.

i *Luc.* 10. 42

k *Psal.* 83. 11

(·.·)

✠
✠✠✠
✠

MEDI-

MEDITATIO XXI.

DE IIS, QVAE TERTIA die fecit Deus.

PVNCTVM I.

DIXIT DEVS: *congregentur aquæ, quæ ſub Cœlo ſunt, in locum vnum, & appareat arida. Et factum eſt ita. Et vocauit Deus aridam, Terram, congregationeſq; aquarum, maria. Et vidit Deus, quod eſſet bonum. Et ait: germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum, iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram. Et factum eſt ita.* a Gen. 1. 9.

CONSIDERANDVM eſt primùm, quòd DEVS Dominus noſter aſpiciens tertia die terram aquis coopertam coniunxerit aquas, quæ ſunt ſub Cœlo in vnum locum, oſtendens ſuam omnipotentiam in multis rebus admirandis. De aquis maris.

PRIMVM apparuit DEI omnipotentia in eo, quòd cùm eſſent aquæ immenſæ, in momento, aut tempore breuiſſimo, ſolo ſuo imperio, omnes collegerit ad vnum I.

locum ampliſſimum, & latiſſimum, quod diuiditur in alia plura loca, quæ appellantur maria, quæ omnia à DEI omnipotentia deducta, vnumquodque in ſuum locum celerrimè ſe collegit, obediens abſque vlla reſiſtentia imperio diuino.

b *Pſal. 103. 6* ET ita dixit DAVID: b *Abyſſus* ſcilicet aquarum, terram cooperiebat, *ſicut veſtimentum, & amictus eius*; ſed *ab increpatione*, & imperio tuo fugerunt, & *à voce tua*, tanquam tonitru perterritæ *formidarunt*: Quid fuiſſet videre in hoc die, immenſitatem aquarum, incredibili celeritate fugientem in locum, ſibi à DEO deſtinatum! aliæ enim ad Oceanum, aliæ ad Sur, aliæ Mediterraneum, & aliæ ad alia maria confugerunt. O DEUS Omnipotens, ſiquidem adeò eſt potens imperium tuum, collige aquas mearum affectionum, & cogitationum, quæ ſunt per totam terram diſperſæ & ſtatue illis certum locum, in quo ex voluntate tua conſiſtant, nec ad alium diuagentur.

II. SED & in hoc DEI Omnipotentia apparet, quòd cùm aquæ ex naturali ſua propenſione ſoleant eſſe ſuper terram, tanquam in loco ſuo naturali, ex omni parte eam ambientes, ſicut aër & terram & aquam ambit; nihilominus ſtatim, atque diuinum imperium audiuerunt, deſerto naturali ſuo loco, receperint ſe ad concaua, & profunda loca à DEO ſibi conſtituta, in

quibus

quibus propter commune & vniuerſale cæterarum creaturarum bonum, manent abſque vlla repugnantia, commune bonum, vt proprium reputantes, & in loco à creatore ſibi conſtituto, ob eam cauſam, permanentes.

Perfectæ obedientiæ exemplar.

DISCE, ô anima mea, Creatori tuo obedire, ex nobiliſſimo hoc alterius creaturæ exemplo. Abnega propriam etiam naturalem inclinationem, vt diuinam expleas voluntatem; contemne proprium emolumentum temporale, vt communi fratrum tuorum bono conſulas. O DEVS animæ meæ, conſtitue me in quouis loco, pro tuo libitu, in ipſo enim conquieſcet cor meum. Si mihi abſtuleris amplum, & altum locum, quem prius conſtitueras, & iuſſeris me ad anguſtum alium, & abiectum me colligere, id ipſum ego amplectar: quia gratum mihi eſt propriam inclinationem deſerere, vt voluntatem tuam ſequar; quæ tua voluntas, erit & ſemper mea. c *Non volo quærere, quod mihi vtile eſt, ſed quod multis.* & lubens cedam iuri meo, propter bonum fratrum meorum, quorum commodum etiam erit meum, ſi tibi obediam, cuius factura omnes ſumus.

c 1. Cor. 10. 33.

III.

TERTIÒ altiſſimè eminet Omnipotentia DEI in eo, quòd eaſdem aquas maris in loco à ſe conſtituto tam exactè contineat, ita d *circundans mari ter-*

d Prou. 8. 19
e Pſal. 103 9

minum ſuum, & legem ponens aquis, ne tranſire poſſint fines ſuos. Et quamuis habeant ingentia augmenta, & detrimenta, & inundationes, admirandos fluxus, & refluxus, horrendos fluctus, & tempeſtates, hæc tamen omnia continentur intra terminos arenæ, quos DEVS illis conſtituit. Et de hoc ipſe DEVS gloriatur dicens, apud Iob: e *Quis* alius præter me *concluſit oſtijs mare, quando erumpebat, quaſi de vulua*, abyſſo ſcilicet meæ Omnipotentiæ, *procedens: circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia, & dixi: vſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.*

eb. 38. 8.

EX hac conſideratione, non ſolùm admirationem concipiam de Omnipotentia DEI, ſed magnum etiam timorem eum offendendi, memor illius, quod ipſe dixit, per Ieremiam f *Me non timebitis, dicit Dominus, & à facie mea non dolebitis*, de mala veſtra vita, *qui poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum, quod non præteribit? & commouebuntur* aquæ *& non poterunt* contra illud: *& intumeſcent fluctus eius, & non tranſibunt illud.* O DEVS Omnipotens, quis non timebit offendere te? & quis non dolebit, quod toties te offenderit? circunda Domine hoc mare cordis mei muro tuæ protectionis, & occlude eius

rem. 5. 21

portas

portas ferris tui sancti timoris, vt nunquam transgrediar præcepta, quæ mihi imposuisti, nec fluctus mearum perturbationum extrahant illud extra locum à te mihi constitutum.

CONCIPIAM quoque magnos affectus confidentiæ, de omnipotentia Dei, qui, vt ait Isaias, g *Mensus est pugillo aquas*, easque intra designatum terminum exactè continet, etiamsi sint lubricæ, & iuxta aliquorum Sanctorum sententiam mare sit in aliquibus locis altior, quàm terra. vt ego confidam, quamuis ex me sim aquæ instar lubricus, & carnis meæ propensio impellat me, vt transgrediar limites, mihi ab ipso constitutos, ipsum tamen conseruaturum me & intra illos ita retenturum, vt semper eius impleam voluntatem. IV.

g *Isa.* 40.12.

PVNCTVM II.

DEINDE considerandæ sunt mirabilia, quæ Deus fecit hodie in terra, vt aquas secerneret, illamque redderet aptam vsui viuentium Montes ac valles

PRIMVM enim, imperio suo ita in momento magnam terræ partem, quæ sphærica erat, euoluit, & commouit, vt profundissimas faceret concauitates, in quibus aquæ reciperentur; & altissimos erigeret montes, qui instar murorum essent: & admirandam varietatem planitiei, collium, vallium, & I.

portuum efficeret, quæ nunc visuntur: obediente ipsa terra nutui diuini imperij. Quãobrem ait Dauid: g *Ascendunt montes: & descendunt campi in locum, quem fundasti eis.* Ex quo eosdem affectus concipiam admirationis, obedientiæ, timoris, & fiduciæ, tremens ob tantam huius Domini potentiam, h *qui* (teste Iob) *transtulit montes, & nescierunt ij, quos subuertit in furore suo, qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur*, & fundamenta; sed non minus tamen confidam verbo eiusdem potentissimi Dei, qui dixit: i *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic: transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis*: nam Dei Omnipotentia, quæ montes in suis locis collocauit, facillimè potest ad alia transferre.

g *Psal.* 103 8

h *Iob* 9. 5.

i *Matt.* 17.

II. Deinde perpendam Dei Omnipotentiam in eo, quòd terram adeò siccam reliquerit, vt illam appellauerit k *Aridam*, non hærendo dies multos, vt id faceret, sicut tempore diluuij; nec adhibito l *vento vehementi, & vrente, qui tota nocte terram verteret in siccam*, sicut quando filij Isra l transiuerunt locum maris rubri: nam Dei virtus per seipsam, in ictu oculi, exsiccauit, & arefecit eam. O Spiritus diuine, m *qui es ignis cõsumens*, & ventus vrens, consume in carne mea humores mearum affectionum terrenarum, & vre cor meum amore tuarum virtutum cœlestium, ne Dæmon, n *qui ambulans per loca arida, quærens requiem, non in-*

k *Gen.* 8.14.

l *Exo.* 14.20.

m *Deut.* 4 24.

n *Matt.* 12. 43.

uenit,

nenit, sed o *dormit sub vmbra in secreto calami*, & libenter, *in locis humentibus* versatur, locum inueniat in anima mea, eiusque possessionem accipiat. o Iob. 40. 16.

III. Fontes.

TERTIÒ perpendam, quòd Deus Dominus noster mirabili sua prouidẽtia ita collegerit aquas ad mare, terramq; aridam reliquerit, vt simul reliquerit in terra multas aquas dulces fluminum, & fontium, in varia loca distributas, faciens ad id fossas, & canales, & quasdã veluti venas, intra ipsius terræ viscera, per quas aqua trãsiret, quæ exiret ex mari. Nam (vt ait Ecclesiastes) *omnia flumina intrant in mare, vt iterum fluant*. In qua re aliqua sunt admiranda, & notatu dignissima. PRIMVM est, quòd sit tanta fluminum, fontium, & puteorum multitudo, quæ sunt passim in omnibus terræ locis eius vsibus valde accommodata, etiam in montibus altissimis, & rupibus, ex quibus distillant, & fluunt ad valles. SECVNDVM est, quod eadem flumina sint perpetua, & cõtinua: nam semper fluunt, idque per tot annos; nec defecerunt hactenus, nec deficiet noua aqua, quæ semper fluat, & nunquam cesset. TERTIVM est, ipsa aquarum dulcedo, cum tamen aqua maris, ex quo plurima illorum oriuntur, sit amarissima, & salsissima. nam Omnipotentia Creatoris colans aquas per poros terræ, conuertit earum amaritudinem in dulcedinem, vt hinc appareat, quàm sit facilè Deo mutare vnum contrarium in

Creatori debeo gratias, quòd fuerit illi curæ, nobis de rebus hiſce prouidere, ſine quibus graue omninò fuiſſet tranſigere vitam. Quare quoties illæ mihi ſunt vſui, meritò earum largitorem glorificabo. *ſunt velut pars quadã terræ.*

Est tamen aduertendum, quòd Scriptura diuina nõ faciat mentionem creationis horum metallorum, ſicut nec rerum aliarũ occultarum, cuius ea fortè eſt myſtica cauſa, vt homines doceret Deus, parui facere diuitias temporales, comparatione æternarum, attendẽtes quod res iſtæ ſint quædam pars terræ, adeoque paruæ æſtimationis, vt earum Creator eas res numerans, quas creauerat, noluerit has inter illas referre; & qui nimium eas æſtimant, incident in maledictionẽ, quam prædixit Dauid in impios dicẽs: r *Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum: de abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum:* quaſi diceret; ſepara illos à numero electorum tuorum, quia ſuam cupiditatẽ expleuerunt theſauris, quæ tu creaſti in abſcondito terræ, O Deus æterne, qui aurum, argentum, & reliqua metalla in vſum meum, & vtilitatem creaſti, ne permittas me iis abuti in meum detrimentum, ne ad te offendendum adhibeam, quod eſſe debet inſtrumentum ad tibi ſeruiendum, & ad te laudandum. *S. Thom. ſupra.* r *Pſal.16.14*

PVNCTVM III.

Tertiò conſiderandum, quod Deus Dominus noſter, cũ aquas à terra ſeparaſſet, eamque ſeparationem, vt potè abſolutam, Plantæ & Arbores.

exornarent, quamuis id facere fuiſſet ipſi facillimum; ſed voluit vt ipſamet terra cooperaretur, ideoq; dixit: *germinet terra herbam virentem*, & factum eſt ita Cùm enim Deus eſſet principalis effector, ipſe enim b *fecit omne virgultum agri, & omnem herbam regionis* terra illi dedit, quod habebat, ſeipſam videlicet, vt ex ipſa tanquam ex materia fierent plantæ, etiam cum aliqua ipſius terræ corruptiõe. In quo facto perfectiſſimè nobis proponitur, quòd Deus Dominus noſter, quãuis ſummè deſideret noſtram perfectionem, eã tamẽ ſolus facere noluit, ſed vt nos ad id iuuemus, & cooperemur diuinæ ipſius gratiæ, offerentes quæcunq; habemus, nos ipſos videlicet, cor noſtrum, & libertatem noſtram, vt eius diuina maieſtas faciat in nobis, & de nobis diſponat pro libitu, quamuis cum alicuius noſtræ rei iactura, propriæ ſcil. voluntatis, & terrenorum deſideriorum, quæ ſunt mortificanda, & mala quæ fecimus diſſoluẽda. Quare nos ipſi eius gratia adiuti debemus, (vt ait Apoſt.) c *expoliare nos veterem hominem, cum actibus ſuis, & induere nouum.* & actus eius. O Deus perfectiſſime, omnis perfectionis fons, & origo, qui vt hominis honori magis conſulas, eiuſq; libertatẽ ſuauiùs conſerues, nõ vis illum ſanctificare, aut perficere, niſi in propriam ſuam ſanctitatẽ, & perfectionẽ ſuã ipſe partẽ cõferat. Ecce, miſericordiſſime Domine, me, tanquã deformem terram, tibi offero paratum, ad plãtas,

b Gen. 2. 1.

c Coloſſ. 3 9.

& vir-

extẽditur, & tot plãtis eſt referta: ſiquidẽ ita-
tim, atq; dixit, *germinet terra: factũ eſt ita*, &
euaſit tota veſtita tãta varietate, & pulchri-
tudine, vt ipſe Deus, qui illam creauit, de ea
glorietur dicẽs: e *pulchritudo agri mecum eſt.* e *Pſal.* 49. 11

Huc accedit TERTIA excellẽtia, quòd fe-
cerit De⁹ has plãtas, & arbores in ea magni- 3.
tudine, & perfectione, quã habere poterant.
Nã arbor, quæ naturæ curſu annos aliquot
conſumit in iaciẽdis radicibus, in creſcẽdo,
& producendo folia, & fructus, in vno mo-
mẽto prodiit perfecta in his omnibus: quia
Dei opera ſunt perfecta; & quod homines
paulatim faciũt, & magno labore, hoc ipsũ
Deus ſubitò in magna perfectione, & abſq;
vllo labore efficere poteſt. Gratias tibi, Cre-
ator omnipotẽs, & perfectiſſime, ob celeri-
tatem, & perfectionẽ, qua hoc die tot res, &
tantas perfeciſti; vt etiã tẽpus ſuperfuerit ad
multò plures efficiẽdas, ſi id tibi placuiſſet.
Oſtende, quæſo, iſtam erga me omnipoten-
tiam, accelerãte diuina tua gratia quod mea
imbecillitas retardat *f facile eſt enim in ocu-* f *Eccl.* 11. 23
lis tuis ſubitò honeſtare pauperem.

QVARTA excellẽtia cõplectitur magna, 4.
& innumerabilia cõmoda, quæ ex hoc opere
proueniũt hominibus ad cõſeruationẽ vitę,
& ſenſuũ oblectationẽ. Oculi enim recreã-
tur florũ pulchritudine, & nemoribus, quæ
Deus extruxit; odorat⁹ recreatur ſuauiſſimo
odore, qui ex eiſdẽ exhalat; guſtatus oble-
tatur tot fructuum, & olerũ ſapore, quorũ alia

aliis palato sunt gratiora; ex quibus corpus ipsum crescit, impinguatur, nutritur, & vires recipit. Et quamuis ad vitæ conseruationem sufficisset, si Deus triticum creasset, ex quo panis conficeretur; & vites, ex quibus proueniret vinum: voluit tamen eius prouidentia esse liberalissima, magnam creando plantarum varietatem, ad sustentationem, & delectationem nostram, vt fastidium varietate rerum impediret, tum vt diuersa palata proportionatos cibos, saporesq; haberent, quibus recrearentur. Multis præterea harum rerum virtutes admirandas indidit, vt essent in nostrorum corporum morbis medicamenta, quæ pristinam restituerent sanitatem. Et ne quid nobis deesset, arbores illæ, quæ fructus non proferunt, sunt etiam vsui, vt ex eorum lignis domus construantur; & alia instrumenta, quibus ad multa vtimur; & denique ex eis habemus ligna ad fouendum ignem, quo calefiamus, præter alias vtilitates, quas longum esset referre.

V. DENIQVE, vt hæc omnia perpetuò durarent, virtutem dedit plantis, & arboribus, quas fecit hoc die, vt semina producerent, ex quibus similes aliæ prouenirēt; sicut quotidiana experientia ad oculum docet.

QVINQVE his considerationibus, & singulis earum cor meū eleuabo, ad glorificandum Deum, ob creatas omnes res istas ad cōseruationē, & delitias vitæ meæ, & animalium, quæ illis vescuntur, mihiq́ue seruiunt.

Nam

Nam, si ego non vescor herba, ea pascitur ouis, & bos quibus ego vescor: & quamuis hordeum non sit meum nutrimentum, est tamen nutrimentum equi, quo ego vtor, ideoque iure optimo dixit Dauid: g *Deum producere fœnum iumentis, & herbam seruituti hominum.* O vita viuentium, g *omnia* te aspiciunt, & *à te exspectant, vt des illis escam in tempore* opportuno, qua vitam suam sustentent, & *aperiente te manum tuam omnia implentur bonitate.* Gratias tibi quantas possum, ob liberalitatem, quâ manum tuam hoc die aperuisti, vt terram adeò eleganter exornans, animalibus pastum, & hominibus alimentum, & delicias præparares. & quandoquidem quotidie pergit tua profusio continuans beneficia, quotidie etiam perget mea gratitudo continuans obsequium, quod propterea tibi debeo.

g *Psal.* 103. 14.
g 27.

PVNCTVM IV.

QVARTO considerandum est, quòd DEVS Dominus noster hoc eodem die singulari sua prouidentia in optima terræ parte plantauit hortum excellentissimum, & amœnissimum, & talem, qui per excellentiam appellaretur a *Paradisus voluptatis*, in quo collocaretur homo, cui præparauit DEVS habitationem, antequam ipsum crearet.

Paradisus Terrestris. *S. Thom. 1. p. q. 102. a. 1. ad 5.*

a *Gen.* 2. 8.

PARADISI huius excellentiæ erant præcipuè quinque. PRIMA, quod haberet optimâ totius mundi temperiem, tam ex parte

I.

terrę, quàm aëris, ſine nimio frigore, ſine nimio calore; abſq; nubibus, abſq; tempeſtatibus, & pœnis, quas modo experimur. SECVNDA excellẽtia, quòd haberet magnam
2. copiã arborũ omnis generis viſu pulcherrimarũ, & guſtui delectabiliũ, quæ miro ordine, ac diſpoſitione erãt cõſitæ, quarũ fructuũ ſapor, & guſtus tantus erat, vt nunquã homo carniũ, aut piſciũ vſum eſſet deſideraturus,
3. quĩ poſtea fuit illi conceſſus. TERTIA erat,
S. Thom. 1. p. q. 79. a. 4. quòd in medio huius paradiſi ſita eſſet arbor vitæ pulcherrima, & ſuauiſſima, cuius fructus præſeruaret à morbis, à ſenectute, & corruptione; & produceret vitã tẽporalẽ donec Deus vellet trãsferre hominẽ ad vitã æ-
4 ternã. QVARTA erat, quòd in eo eſſet flumẽ copioſiſſimum aquarum dulcium & ſalubrium, ad rigandum paradiſum, & vt præberet homini hauſtum ſaluberrimum & gratiſſimum: qui fluuius in quatuor alios diuidebatur ad rigandam reliquam vicinam terram.
QVINTA excellentia, quòd eſſet locus am-
5. plus & capax multorum hominum, ita vt, quamuis eſſet hortus, extenderet ſe tamen in latitudinem magnæ alicuius prouinciæ, Hiſpaniæ v. g. aut Galliæ. Et denique omnes horti, & viridaria, quæ mundi monarchæ aliquando plantarunt, nullo modo poſſunt cum hoc conferri, quem Deus beneuola ſua prouidentia plantauit, vt eſſet habitatio nõ proborum, & improborum, ſicut alij illi horti fuerunt, ſed proborum tantùm.

ILLVD tamen præ omnibus perpendam, quãtum beneficium acceperim ego à Deo in hoc Paradiſo. Nam eius voluntas fuit illum condere non pro ſolo Adamo, ſed etiam pro eius poſteris, & pro meipſo, ſi Adamus non peccaſſet; quare, quantum in ipſo Deo fuit, etiam mihi illũ dedit. Gratias tibi, ô ſupreme Pater, propter voluntatem, qua voluiſti homini duplicẽ dare Paradiſum, in quo habitaret; vnum terrenum, & alterũ cœleſtẽ, vt ab vno ad alterum trãſiret, ſi in tuo obſequio perſeueraret. Peto Domine, vt, quãdoquidẽ primum illum terrenum amiſi, propter peccatum Adami, ne propriis meis peccatis ſecundum amittam. Et ſiquidẽ Originalem culpam in Baptiſmo mihi cõdonaſti, etiam alias culpas meas per pœnitentiam remittas. Conſerua me ſemper in terreno paradiſo Eccleſiæ tuæ, dans mihi fructum arboris vitæ quam in illa habes in cibum, vt morte ſuperueniente transferas me ad paradiſum Cœleſtem tuæ gloriæ, Amen.

PVNCTVM V.

QVINTÒ conſiderandum, quòd Deus Dominus noſter, perfecto tertij huius diei opere, viderit quòd eſſet bonum, eo quòd nihil illi deeſſet, quod ad finem ſuę creationis pertineret.

CIRCA quod eſt primùm perpendẽdum, quòd res oẽs, quas Deus ad noſtrum nutrimentum creauit, ſint bonæ, & nulla earũ naturâ ſuâ ſit mala; quãuis vſus alicuius malus I.

esse possit, eo quod Deus illum nobis prohibuerit, sicut a *prohibuit* nostris primis parentibus, *comedere de ligno scientiæ boni, & mali,* etiamsi b *pulchrum esset oculis, aspectuq; delectabile*: quod fecit Deus, vt eorum obedientiam exerceret, ac probaret. Et nunc idem Deus per suam Ecclesiam prohibet vsum aliquorum ciborum; & viri perfecti aut vi voti, aut pietatis spiritu sibiipsis interdicunt vsum rerum aliquarum delicatarum, vt carnem suam mortificent. Ex quo firmiter statuã, his rebus vti cũ animi gratitudine, & temperantia. Si enim res, quam Deus creauit, est bona, non decet, vt propter meam gulam, vsus eius reddatur malus; potius sequar Apostoli Consilium dicentis: c *Quia omnis creatura bona est, & nihil reijciendum* (quasi malum sit) *quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem*: nam diuinum verbum illud tanquam bonum approbat; & oratio, quæ, dum sumitur, adhibetur, illud sanctificat.

a Gen. 2.17

b & 3.6

c 1. Tim. 4.4

II. DEINDE perpendendum est, quòd quidquid Deus hoc die creauit fuerit bonum, etiamsi inter res alias spinas quoque condiderit, & plantas aliquas, & herbas venenatas. Nam etsi hæc hominibus sint noxia, aliquibus tamen animantibus sunt vtilia; aut pertinent ad alios fines Vniuersi; imò & ipsi homini aliquando vtilitatem adferunt, tanquã antidota, & amuleta aliis rebus permixta. Et, si Adamus non peccasset, nihil horum ei

nocu-

nocuiſſet. ac denique eædem res inſtrumenta ſunt diuinæ iuſtitiæ, ad caſtigandos eos, qui rebus aliis abutuntur. Et vel hoc ſufficeret, vt res illæ optimæ cenſerentur, ſiquidem etiam rebus vtiliſſimis vtitur aliquando Deus ad malos, & ingratos caſtigandos. Aqua enim, quæ quoſdam refrigerat, alios ſuffocat; & ignis calefacit quoſdam, qui alios comburit. Ex quo colligam quanta cura vtendum ſit mihi his creaturis in obſequium Creatoris, cogitans, omnes has creaturas mihi dicere tria illa verba, quæ ponit Hugo de S. Victore: *Accipe, Redde, Fuge: Accipe beneficium, Redde debitum, Fuge ſupplicium*: quaſi diceret ſi non vis Deo ſeruire propter beneficium, quod ab eo accipis, ſeruias illi ſaltem ob ſupplicium, quod poteſt inferre. Quia creatura, quam in tuam vtilitatem creauit, conuertetur in carnificem, & cruciatum tuum. Hoc idioma, & hanc phraſim audiam, & intelligere curabo, cùm videro creaturas, quibus vti volam, coniiciens oculos in Deum, à quo omnes procedunt, & per quas ea mihi verba proponit. O ſummum bonum, à quo quidquid procedit, eſt bonum, concede mihi ea bonitate, & animi gratitudine eo vti, vt & ſupplicium euadam, & præmium obtineam fruendi tua ſumma bonitate in æternum, Amen.

Lib. de Area moralis c. 4 tom. 2 Supra Medit. 8 punct 2.

MEDITATIO XXII.

DE IIS, QVAE DIE QVARTA Deus fecit.

PVNCTVM I.

DIXIT DEVS: a *fiant luminaria in firmamento Cœli, & diuidant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos: vt luceant in firmamento Cœli, & illuminent terram, & factum est ita; fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præesset diei: & luminare minus, vt præesset nocti: & stellas &c.*

a *Gen.* 1, 14. *S. Thom.* 1. *p. q.* 70. *Ecclesia in Hymno ad Vesp. Fer.* 4.

Sol. CONSIDERANDA primùm est magnitudo beneficij, quod nobis contulit DEVS creando luminare maius, Solem videlicet, perpendendæ sunt autem eiusdem luminaris excellentiæ, & commoda, quæ ex eis nobis proueniunt.

I. PRIMA est, magnitudo lucis, quam tanquam eius fons habet, cuius splendor tantus est, vt statim atque oritur mundo, obscuret omnes stellas, quæ in eius præsentia sunt, atque si non essent.

II. SECVNDA est, huius lucis perpetuitas, & constantia, vt quæ nec ad momentum vnquam decreuerit, aut in se fuerit turbata.

III. TERTIA excellẽtia est, magnitudo ipsius

corpo

corporis, cuius causa appellatur *luminare maius*. Nam sexies millies maius est, quàm luna & centies maius, quàm tota terra. Peter. in Gen.

QVARTA excellentia est, magna efficacitas eius in toto mundo illustrando, & communicanda sua luce liberalissimè in momẽto, absq; vlla resistentia corporum, quæ eius sunt capacia; & ita præsidet tanquam Rex diei, quem velocissimo suo motu ab *Oriente in Occidentem* facit, secundum Psalmistam. IV. *Psal.* 18. 6.

HABET præterea admirandam virtutem, & efficacitatem ad calefaciendum, emittens ex se radios tanquam igneos; & simul habet virtutem influentiarum mittendarum, quæ viuificent, & crescere faciant plantas, & cætera viuentia, adiuuans eadem etiam in conseruatione vitæ. V.

SEXTA excellentia est, quod motu proprio, qui hoc die quarto cœpit, efficit temporum diuersitatem; scilicet Ver, Hyemem, Aestatem, & Autumnum. Diuersitatem quoque dierum, vt alij alijs sint longiores, in diuersis temporibus, & locis: facit etiam multiplicationem annorum, nam integer eius proprius motus est quem appellamus annũ. In hos ergo fines eum creauit Deus, ostendẽs Omnipotentiam suam, creando pulchram adeò, ingentemq; creaturam in vno momento sola sua voluntate; & propterea Sapiens illum appellat, c *Vas admirabile*, & per excellentiam *opus Excelsi*. Quotiescunq; ergo sol oritur gratias meritò agam eius Conditori, VI. c *Eccl.* 43. 2.

admirans tantam huius creaturæ pulchritudinem, & constantiam, quam in ortu suo, & cursu ostendit, iuxta illud Dauidis: d *Tanquam sponsus procedit de talamo suo, exultat vt Gigas ad currendam viam, à summo Cœlo egressio eius, & occursus vsque ad summum eius.* O Deus Omnipotens, gaudeo de gloria, quã pulcherrima hæc creatura tibi adfert: millies te laudo propter bonum, quod per eam quotidiè nobis largiris. Iustum est Domine, vt quando sol oritur, ego etiam exultem vt gigas, ad currendam viam, & cursum illius diei, in sancto seruitio tuo, incipiens ab eius ortu, & feruenter perseuerans vsque ad eius occasum.

d *Psal.* 18. 6

Ex hoc pergam ad contemplandum, quòd Sol sit symbolum diuinitatis Dei ex quo distinctius, quàm ex alijs creaturis, homines illum cognoscunt: & propterea dixit Dauid, quod e *Deus in sole posuerit tabernaculum suũ*, in quo operatur res stupendas, & in eo inueniet illum, qui quæsiuerit, meditando, quas retulimus sex eius proprietates, quæ tamen sine comparatione excelsius sunt in ipsa diuinitate, à qua illæ processerunt. O Deus æterne, Sol iustitiæ, lux inaccessibilis, in cuius præsentia non solùm stellæ obscurantur, sed ipse quoque sol; tu es fons luminis, fons perpetuus, qui exhauriri non potes: tu homines illuminas tuos præcipuè electos, quibus luce tua, vitalem das calorem, & influentias cœlestes: tu præsides Soli, & Diei;

e *Psal.* 18. 6.

præsi-

præsides temporibus, & annis, quia tua voluntate sunt distributa eo ordine, & forma, quam nunc habent. Laudent te, DOMINE, Sol, & DIES, Hyems & Ver, AEstas, & Autumnus, & res omnes te glorificent, ob eam gloriam, quam in hac creatura nobis manifestas. EX hoc discam etiam imitari pro facultate mea proprietates Solis: siquidem anima perfecta dicitur, quod sit *electa, vt Sol*, ob singularem videlicet sanctitatem, quam habet, & in qua constanter, & sine vlla mutatione perseuerat, resplendens bonis operibus ad gloriam DEI. Homo enim sanctus, ait Sapiens, in Sapientia manet sicut Sol, vt lucem, & calorem Spiritus etiam proximis communicet. *Cant. 6.9.*

PVNCTVM. II.

Luna.

DEINDE considerandа est magnitudo beneficij, quod nobis contulit DEUS creans luminare minus, Lunam videlicet, cuius excellentias ad nostram etiam vtilitatem perpendemus.

I.

PRIMA excellentia est; eius magnitudo, pulchritudo, & elegantia, quam habet, dum à Sole recipit lumen, quod non recipit, vt sibi tantum retineat, sed vt terram nocte illuminet, *cui præsidet expellens* partem tenebrarum, quas adfert absentia Solis. a *Psal. 135.9*

II. SECVNDA est æquabilitas, qua sequitur solem ita, vt qua parte rectà illum respicit, semper illustretur; cùm in altera (vt ait Ecclesiasticus) b *minuatur in consummatione; crescens mirabiliter in consummatione*: hoc est decrescit donec consummetur; & mox iterum crescit donec sit plena: perueniens in vtroq; incremento scilicet & decremento, vsque ad summum.

b Eccl. 43 8

III. TERTIA est, magna vis, quâ pollet ad influentias, & stupendos effectus in mari, & in viuentibus, quos experimur, quamuis plurimos non assequamur nostra intelligentia.

IV. QVARTA est, quòd etiam proprio suo motu sit signum aliquorum effectuum, quos efficit, & varietatis temporum anni, & præcipuè, vt ait Ecclesiast. motu suo proprio causa est b *mensium*, quia plus minus per integrum durat mensem.

b Eccl. 43 8.

HIS considerationibus acuere debeo in me affectus laudis, & gratitudinis erga Deũ Dominum nostrum, ob creationẽ adeò pulchræ huius creaturæ, & ob commoda, quæ reliquæ ex ea percipiunt.

PERGENS verò vlterius, contemplabor, quòd luna sit symbolum, signumq; pulchritudinis animarum sanctarum, quas Deus appellat c *pulchras vt lunam*, quarum pulchritudo, vt splendor cõsistit in aspiciendo semper infinitum solem diuinitatis, & in accipienda ab eo luce, & splendore diuinæ ipsius gratiæ, donorumque ac virtutum eius; pro

c Cant. 6.9

curan-

curando proficere tũ in decremento ſuo, per vilem ſcilicet ſui æſtimationem, donec perueniat ad cognitionem nihili illius, quod ex ſe habet, & propriæ obſcuritatis; tum etiam in augmento virtutum vſq; ad plenitudinem gratiæ, & conſummationem, ac perfectionẽ in ea. O Sol iuſtitiæ, à quo lunæ pulchritudo dependet, da mihi tali feruore te ſequi, vt ſemper creſcã augmento tuæ gratiæ, & profunda cognitione meæ miſeriæ: Ne permittas me lunam imitari, d *ſicut ſtulti, qui vt illa imitantur* à ſplendore virtutis, ad vitij obſcuritatem; ſed vt cum Sole manens in hoc conſtans muter ſemper de bono in melius, e *aſcendens de virtute in virtutem*, donec perueniam ad immutabilem gloriæ tuæ ſtatum, vbi te videam, te fruar ſine fine. Amen.

d *Eccl.* 27.12

e *Pſal.* 83.8

PVNCTVM III.

Stellæ.

TERTIÒ conſiderandum eſt magnum beneficium, quod nobis contulit Deus in creatione ſtellarum, pe pendendo, earum excellentias, & admirandos effectus.

I.

PRIMA excellentia eſt earum multitudo, quæ apud homines eſt innumerabilis, ſicut arenæ maris; quamuis Deus ipſe glorietur ſe earum numerum noſſe, & nomina tenere, iuxta illud Dauidis, a *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat*; & cùm tot ſint, adeoq; pulchræ, & aliquæ earũ ingentis magnitudinis, in vno tamen momento omnes creauit, & firmamento infixit,

a *Pſa.* 146.4 *Ierem.* 31.22

miro

miro ordine, & dispositione; sicut esse solet exercitus militum, & acies castrorum ordinata. Et ideo scriptura acies cœlestes appellat, quia vnaquæque locum, & stationem suam constantissimè seruat, b *nec in suis vigilijs deficiunt*, constituentes inter se admirandas figuras, alijs cum aliis c *ordine* (vt ait Iob) ab earum Creatore dispositis, de quo ipse gloriatur.

b *Iob.* 38. 31. 33.

c *Eccl.* 43. 11

II. SECVNDA excellentia est, quòd simul cum luna *præsint* (vt ait Dauid) *nocti*, & nos illuminent, sintque duces itinerum, & nauigationum, exornentque vehementer ipsum Cœlum, cùm apparent in obscuritate noctis, iuxta illud Ecclesiastici; *species Cœli, gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus.*

d *Psal.* 135. 9

e *Eccl.* 43. 10

III. TERTIA excellentia est; quod omnes, & singulæ earum mirabiles demittant influentias in terram, in viuentia, & in homines, Quæ influentiæ, quamuis nobis sint occultæ, non tamen propterea desinunt esse vtiles, atque idcircò ita gratias Deo debemus propter occultas, sicut propter manifestas, quia vtrasque ad nostrum commodum direxit. Ideo ait Ecclesiasticus, quòd *stent ad iudicium*, & obediant *verbis sancti*, vt faciant, quæ illis sunt præscripta, quia nunquam dormiunt, *nec deficient in vigilijs suis.* Et Baruch Propheta addit, quòd *vocata* à Deo *dicunt: adsumus, & lucent cum iucunditate*, in obsequium eius, *qui fecit illas.*

f *Eccl.* 43. 11.

Baruc. 3. 33.

HOC totum occaſionem & cauſam mihi præbet, Deum laudandi, vt prorumpam in gratiarum actionem pro hoc beneficio, ſimulque ſtudebo prędictas ſtellarum proprietates imitari, quia ſunt ſymbola animarum iuſtarum, illarum præcipuè quæ vitæ exemplo & verbo doctrinæ alios virtutem docēt. iuxta illud Danielis; *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates fulgebunt.* Gratias tibi, Creator amantiſſime, ob pulchritudinem innumeris ſtellis communicatam, quas in Cœlo admirabili ordine diſpoſuiſti, dans ſingulis proprium locum; proprium ſplendorem, & proprium officium. O quanto erit admirabilior exercitus ſtellarum, quas habes in ſupremo Cœlo, quas eodem ordine, & diſpoſitione collocas, locaque ſua ſingulis diſtribuis, iuxta merita, quæ habuerunt in terra. Concede mihi, Domine, eſſe ſtellam in Eccleſia Militanti, cuſtodientem ſtationem meam, ſicut decet fidelem militem, non deficientem in vigilijs meis, ſed tuis præceptis cum lætitia parentem, vt lucens hic ad tuam gloriam magnum promerear locum in Eccleſia Triumphante, tecum regnans in æternum. Amen.

Dan.12.3.

✠
✠✠✠
✠

PVNCTVM IV.

QVARTÒ est considerandum, quod Deus Dominus noster, postquam erat factum hoc opus, vidit quod esset bonum, & complacuit sibi in eius perfectione.

ET perpendendum, quòd, cùm esset tanta elegantia, & pulchritudo solis, lunæ, & stellarum, homines rudes eò peruenerunt, vt a *existimarent esse Deos, & rectores orbis terrarum*, iudicantes tantam bonitatem, & perfectionem, non nisi in Deo esse posse. Sed hoc ipsum ad duos excellentes effectus, nos permouere debet.

a Sap. 13. 2.

I. PRIMVS est admirationis de omnipotẽtia magni huius Dei nostri. nam qui pulchras adeò efficere potuit creaturas, erit sine dubio incõparabiliter pulchrior, & admirabilior illis: & vt ait Sapiens, *Si harũ species* adeò nos *delectat*, multò magis delectare deberet species, & pulchritudo ipsius Creatoris, si per eas eũ cognosceremus. O Deus supreme, b *speciei generator*, ne permittas ita homines excœcari splẽdore solis, c *cùm eũ vidẽt fulgere; aut lunæ, cùm vident incedẽtem clarè; vt osculentur manũ suam ore suo*; in signum *adorationis, quæ esset iniquitas maxima, & negatio contra* te *Deum altissimũ*. Aperi Domine illorum oculos, vt intelligant: illa omnia esse d *opera manuum tuarum, quæ enarrant, & annuntiant gloriam tuam; & solem esse tabernaculum tuum*, in quo te debeant inuenire,

b Sap. 13. 3.
c Iob. 31. 26.
d Psa. 18 1. 6

vt lau-

vt laudent & glorificent, tanquam DEVM, à quo & sol ipse, & reliquæ processerint.

SECNDVS affectus erit amoris magni ergaeum, qui nobiles adeò & pulcherrimas creaturas in vsum nostrum creauit, quæ opera sua, instar famularum, aut ancillarum, nobis seruirent; ita enim Moses dicebat populo; e *attende ne fortè eleuatis oculis ad Cœlum, videas Solem, & Lunam, & omnia astra Cœli, ab errore deceptus, adores ea, & colas, quæ creauit Dominus* DEVS *tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub Cœlo sunt.* O Deus Omnipotens, & amantissime, quis te non diligat ex toto corde, propterea quòd excellentes adeò creaturas creaueris, & ad obsequium adeo abiectarum gentium destinaueris? neque enim ad Regum tantùm obsequium, sed vilissimorum etiam mancipiorum, & quod maximum est, etiam peccatorum, & hostium tuorum eas addixisti. O Deus altissime, qui quod in firmamento cœli collocasti, ad vsum gentium, quæ sub illo degunt, distinasti: concede mihi, vt propter hoc beneficium adeò seriò te diligam, vt nunquam in tuo seruitio deficiam in æternum. Amen. II.

e Deut. 4. 19

PVNCTVM V.

QVINTO consideranda est, admiranda Dei prouidentia, in creatione elementi ignis, quamuis enim S. Moyses huius elementi mentionem non fecerit, quia solùm res Ignis,

corporeas, quæ sunt spectabiles, retulit; hoc autem elementum in sphęra sua talis non sit; commodè tamen perpendemus hic magnitudinem & magnificentiam beneficij, quod accepimus in hoc igne visibili, quo vtimur, qui Soli est valdè similis.

I. NAM primùm ignis supplet vicem Solis, & Lunæ, noctu intra domos nostras, & in ipsis penetralibus præstat officium Solis, luce sua nos illuminans, qua facere sub nocte possumus, quæ in die lumine solis faceremus.

II. DEINDE etiam supplet solis distantiam in hyeme, quia suo calore ad se accedentes ita calefacit, vt frigus expellat, & corpus, frigore quasi emortuum, viuificet.

III. TERTIÒ communicat se etiam instar solis liberaliter; & facilè, nulla diminutione sui, vt apparet in lumine candelæ quod plures alias accendit, & accedentes etiam calefacit.

IV. QVARTÒ est vniuersale instrumentum, & valdè efficax ad coquendum, & condiendum cibos, quibus vescimur; ad purificanda item, & aptanda metalla. Idem siccitate sua humiditatem consumit; emollit, & liquefacit res duriores, aliosque admirandos effectus producit, in nostrum commodum; propter quæ glorificandus est Creator, & agendæ illi gratiæ ob suam prouidentiam, qua prouidit adeò accomodato medio necessitatibus nostris, cuius misericordiæ infinitæ attribuenda sunt omnia opera quartæ huius

ius diei, ſicut fecit Dauid, dicens: a *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius: qui fecit luminaria magna. Solem in poteſtatem diei; quoniam in æternum miſericordia eius. Lunam, & ſtellas in poteſtatem noctis; quoniam in æternum miſericordia eius*: & ignem vt ſuppleret abſentiam ſolis, & lunæ, & pro eis luceret nobis in nocte, quoniam in æternum miſericordia eius, quæ in ſuis electis eſt ſine fine duratura, Amen.

a *Pſal.* 135 v. 7

HINC pergam conſiderare, quòd etiam ignis, ſicut ſol, ſymbolum ſit diuinitatis, ſicut perpendimus in meditationibus de Aduentu Spiritus S. nunc verò addemus, quàm ſit familiare, & proprium noſtri Creatoris ſupplere defectus creaturarum, & ſubuenire auxilio ſuo diuino, quando recedit, & deficit nobis humanum; & quàm liberaliter communicet ſe ipſe, inſtar ignis, omnibus ad ſe accedentibus. quamobrem dixit Dauid; b *Accedite ad Deum & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.* Gratias tibi, ò ignis infinite, ob duplicem ignem, corporalem, & ſpiritualem, quibus & corpora noſtra, & animas recreas Accende, quæſo, meam igne tui amoris, vt inſtar ignis aſcendat in altum diuinitatis tuæ, cui perfecta vnitione coniungatur in æternum. Amen.

5. p. Med. 21.

b *Pſal.* 33. 6

MEDITATIO XXIII.

DE IIS, QVAE FECIT Deus die quinta.

PVNCTVM I.

2 Gen.1.20. DIXIT DEVS *producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram, sub firmamento cæli.*

Pisces. PERPENDENDVM primò, quod Deus Dominus noster, voluerit hac die 5. maria & flumina exornare magna in eis habitantium copia, multorum & magnorum scilicet piscium, ad ostendendam suam Omnipotentiam & prouidentiam in vtilitatem hominum. In quo PRIMVM perpendam quòd Deus Dominus noster voluerit, aquas habere suam cooperationem in formandis piscibus, qui essent in ea victuri; sicut terra fuit particeps formationis plantarum, propter rationem ibi allatam. Quare in virtute illius verbi, *producant aquæ*; omnia maria & flumina maiora, materiam præbuerunt, ex qua Deus pisces formauit, qui in aquis versarentur.

I.

Medit.21. punct.3.

II. DEINDE ingẽtem fecit copiam piscium, cum magna varietate specierum, figurarum, & proprietatum, & inter alios b *creauit Deus Cete grandia*, & alios ingentis magnitudinis, sine comparatione maiores quam

sint

sint animalia terræ, quibus omnibus dedit suas squamas, pinnas, & alia membra apta ad natandum magnaque facilitate ac celeritate discurrendum per spatiosum mare, & omnes sinus eius.

TERTIÒ *benedixit illis dicens, crescite & multiplicamini, & replete aquas maris.* & quoniã Dei benedictio est efficax, cùm illis benedixit, simul virtutẽ dedit ad generandos sibi similes in maxima copia, quæ superat incõparabiliter aues & animalia terrestria. De illis enim dixit Dauid c *illic reptilia, quorum non est numerus.* & cùm sint tot, omnibus tamen prouidentia sua prouidet alimenta cõuenientia intra ipsum mare, quod instar matris illos alit ac nutrit, & veluti gestat in vtero suo. Ex hac benedictione, (quæ omniũ est prima) qua Deus piscibus benedixit, adeoq; fœcundos illos reddidit, apparet, quàm sit eficax & copiosa Dei benedictio in suis creaturis, præcipuè verò in hominibus. III.

c *Psal.* 103. 23.

DENIQVE hanc piscium multitudinem fecit Deus in bonũ & vtilitatẽ hominis, quẽ fecit vt d *præesset piscibus maris*; cui etiam artem dedit & industriam ad eos piscandos, quos e *omnes subiecit pedibus eius*, non solùm paruos sed etiam magnos, & post diluuium dixit Deus Noe & filijs eius f *omnes pisces maris, manui vestræ traditi sunt, eruntq; vobis in cibum*, & in delicias aliasq; magnas vtilitates. His considerationibus excitabor ad glorificandum Creatorẽ, admirans non so- IV.

d *Gen.* 1. 26

e *Psal.* 8. 9.
e *Iacob.* 3. 7.
f *Gen.* 9. 2.

lum eius Omnipotentiam, quam ostendit faciens in momento & solo verbo tantam creaturarum multitudinem & earum molem; sed etiam paternam prouidentiam, quam erga nos ostendit, replens maria & flumina tot & delicatis adeò piscibus, ad nostrum nutrimentum ac delectationem: vt dicere liceat cum Dauide. g *Quàm magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua*, & rebus quas condidisti. *hoc mare magnum & spatiosum manibus*, plenum est *reptilibus, quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis* illic habitant, *Draco iste* siue Cetus, *quem formasti*, omnes discurrunt ac ludunt per illud in quo maiores capientes minores ad sustentationem & alimẽtum; sed & homines ex diuina tua prouidentia, *nauibus illic pertranseunt*, deambulant, ludunt & piscatione horum & illorum piscium, in escam & solatium suum oblectãtur. O gloria mea, effunde super me copiosam benedictionem tuam, vt te laudem ac tibi seruiam propter innumera bona, quæ cum illa nobis largiris, sint lusus mei, te diligere; ac deliciæ meæ, tibi seruire; solatium meum, piscari in mari huius mundi animas multas, quæ tuo seruitio se addicant & mancipent in secula. Amen.

g *Psal.* 103. 24.

PVNCTVM II.

Aues.

DEINDE cõsiderandum est, quod Deus Dominus noster, hoc ipso die aerẽ exornauerit, producẽs ex aqua magnam

auium

auium multitudinem,& ſpecierum diuerſarum. Vbi *primùm* perpendendum eſt, quod Omnipotentia Dei ad creandas aues, vſa fuerit aqua tanquam materia, præcipuè ſubtiliori, quæ in vaporibus ac nubibus continetur; vt aër quoq; concurreret, ad formationem eorum, quæ ipſi ornamentum erant allatura. Et ita in diuerſis mundi regionibus creauit auium multitudinem; in ſingulis eas, quæ iuxta ſuas qualitates melius poſſent conſeruari: omnibus autem benedixit, ſicut piſcibus, vt multiplicarentur, & ſua prouidentia dedit omnibus conueniens alimentũ, quibuſdam in ipſa terra, alijs in aëre, alijs denique in aqua natantibus. in quem finem, & alas,& roſtra, & vngues apta & proportionata dedit. I.

S. Aug. de Gen. ad literam c. 3. S. Thom. 1. p. q. 71. a. 3.

DEINDE perpendam huius beneficij magnitudinem; diſcurrens per ea bona, quæ illud cõplectitur. nam quædam aues ſuis carnibus delicatè nos nutriunt, aliæ dulci ſuo concentu recreant, aliæ plumis ſuis ornant; aliæ etiam docent, quid facere debeamus, induſtria ſua in conſtruendis nidis, nutriendis pullis, obſeruanda temporum mutatione,& alijs modis; à quibus multas ſimilitudines accipit Deus, ad nos inſtruendos, nam interdum ſe comparat a *Aquilæ prouocanti ad volandum pullos ſuos*, interdum b *gallinæ, ſuos congreganti ſub alas* interdum noſtram ignorantiam condemnat, dicens: c *miluus cognouit in cœlo tempus ſuum, turtur, & hirundo* II.

a Deut. 32. 11.

b Matt. 23. 37.

c Iere. 8. 7.

& Ciconia custodierunt tempus aduentus sui: Populus aũt meus nõ cognouit iudicium Domini.

III. DENIQVE omnis auium opera, cũ suis omnibus propensionibus & industriis dirigitur in oblectationem & vtilitatem nostram. nam aliquibus earum, alias venamur, has dimittendo in aërem, vt illas capiant, nosq́; recreãt, qui obseruamus, qua astutia & sagacitate prædã capiãt; sibiq́; subiiciant: ipsa etiã d *apis breuis* (vt ait Sapiens) *in volatilibus est, & initium dulcoris habet fructus illius* ad delicias hominũ, vnde etiã cera, ex qua fiunt candelæ; & aliæ multæ res magnæ vtilitatis: pro quibus omnibus magnas gratias debemus Creatori & benefactori nostro, agnoscentes in auibus domesticis, in siluestribus, in ouis, calamis, & plumis, & in reliquis earum spolijs paternam Dei prouidentiam, quæ tot delicias & solatia pro suis filijs prouidit. O Pater dulcissime & amantissime, qui tuam charitatem, & misericordiam, & admirandam maximamq́; prouidentiã in auibus adumbrasti, quas hoc die condidisti; eandem quæso in me liberaliter ostende, solicitũ me reddens in tuo obsequio, sicut tu fuisti prouidus in varijs mihi delicijs prouidendis. Sint mihi aues Magistræ, vt ex eis discã summo diluculo laudes tuas cantare; sint & motiua virtutum, vt volem celeriter in rebus tui seruitij & renunciem superfluis corporis delicijs, quas propter earum renuntiationem sentiam in meo spiritu. Amen.

d *Eccl.* 11.3

PVN-

PVNCTVM III.

TERTIO est considerandum, quòd Deus Dominus noster, videns quidquid hoc die fecisset, totum approbauerit, quia totum erat perfectissimum, & fini in quem illud destinauerat, omnino conueniens.

NOMINATIM autem est perpendendum, I. fuisse valde conueniens, vt eodem die aqua exornaretur & aër; quia hæc duo sunt inter se symbola valdeq; affinia, præcipuè aqua & aëris regio illi propinqua, in qua sunt vapores & aqua nubium: quo nobis significatur, Deum Dominum nostrum delectari benefaciendo iis, qui ita sibi inuicem coniungũtur, & mutuò se iuuant, facit enim illos pares in gratiis & fauoribus suis, sicut illi pares sunt & charitate coniuncti. Sed eleuato tamen altiùs spiritu, perpendam quod dicit Ecclesia in hymno vesperarum huius feriæ, *qui ex aquis*, inquit, *ortum genus, partim remittu gurguti, partim leuas in aera*; significans, eos, qui Baptismi aqua sunt regenerati, in duas viuẽdi rationes distribui: quosdam enim manere seculares, alios fieri Religiosos; quosdam sequi vitam actiuam, qui per pisces significantur eò quod in mari huius mundi occupẽtur in operibus virtutum, sed miscendo tamen aliqua negotia & curas seculares: alios verò vitam sequi contemplatiuam, qui significantur per aues, vt qui alis cõtemplationis à

Vita actiua & Contemplatiua.

terrenis volent ad cœlestia, habeantque suam conuersationem in cœlis.

II. PRIMI sequuntur partem Marthæ, cui dixit Christus Dominus, a *solicita es, & turbaris erga plurima*, eò quòd huiusmodi viuât in mari tempestuoso & turbato huius mundi, quia multa in eo sunt, quæ nos turbant, animasque nostras reddunt inquietas. Alij Mariæ sororis eius rationem amplectuntur, quæ melior est pars; quia fruuntur quiete. sicut illi qui eleuantur à terrenis, & super seipsos, vt se Deo coniungant. & hoc est illud *vnum necessarium*, ad quod reliqua omnia dirigi debent, sicut suo loco est dictum. Vtriq; quidem sunt boni, quia vtrumque statum fecit Deus, & vtrumque sanctificauit aqua Baptismi, & lauat aqua pœnitentiæ & lachrymarum; ideoque de vtroq; intelligitur quod scriptura dicit; *vidit Deus quod esset bonum*, sed cum aliquo discrimine. nam pisces producti sunt ex aquis terrestribus, quæ in mari sunt amaræ; ideoque exercitia pœnitentiæ & lachrymarum, in secularibus & actiuis admixtum habent dolorem & amaritudinẽ cordis, ob culpas in quas sunt lapsi, & præ imbecillitate sua labuntur: lachrymæ verò Religiosorum & contemplantium sunt aquę dulces & delicatæ, sicut vapores cœlestes, ex quibus factæ sunt aues. sunt enim lachrymæ amoris & deuotionis, expressæ à desideriis & suspiriis vniendi se cum Deo.

a *Luc.10.40.*

Introduct. 3. & 5. part.

III. PRAETEREA quamuis eodem die facti

sue-

fuerint piſces & aues, prius tamen retertur piſcium formatio, qui ſunt imperfecti; & poſtea auium, quæ in naturali ſuo Eſſe maiorem habent perfectionem. nam hic eſt mos DEI Domini noſtri, vt ab imperfecto aſcendat ad perfectum, ad ſignificandum, actiuam vitam eſſe priorem contemplatiuâ, & prius nos debere exerceri in deflendis amarè noſtris peccatis, quàm aſcendamus ad dulcedinem contemplationis: ſicut b *Lia* prior fuit quàm *Rachel*, & Iacob prius duxit Liam & poſtea Rachelem; nam ab actiua vita, quæ eſt imperfecta, aſcenditur ad contemplatiuam, quæ eſt perfectior & melior. b *Gen.* 29. 16

IV.

DENIQVE benedixit DEVS piſcibus & auibus, dans illis virtutem ad ſe multiplicandum; vt ſignificet ſe vtriq; horum iuſtorum generi copioſam benedictionem impertiri, vt generent ac multiplicent multitudinem bonorum operum, quæ ſunt fructus ventris ipſorum; generent etiam filios ſpirituales, lucrando multas animas Deo. Et ſicut vnumquodque generat ſibi ſimile, ita etiam inclinat illud ad exercitia ſuarum virtutum: quamuis piſces quidem ſint auibus fœcundiores; ad ſignificandum quòd vita actiua eſt ſicut Lia, Rachele fœcundior, gignitque plures filios ſpirituales Chriſto, quàm contemplatiua: ſed hoc de ea vita actiua eſt intelligendum, quæ in ſuo genere eſt perfecta, datq; partem aliquam etiam

con-

contemplationi, ex qua haurit quid debeat alios docere, & quid prædicare: sed & ipsa contemplatiua est fœcunda, sicut aues; & generat filios licet paucos, perfectos tamen, sicut illi Rachelis sunt.

CONSIDERANS hæc omnia, animabo me ipsum ad exercitia vtriusque huius vitæ; coniungendo illa in eodem die, sicut Deus coniunxit creationem duarum istarum rerum in eodem die; petamque demissè gratiam & auxilium ad id præstandum. O Creator rerum omnium, qui in hoc die quinto, has duas creaturas condidisti, quæ has duas vitas referunt, ad vitam & sustentationem hominum; supplex oro, vt quotidie concedas animæ meæ pastum actionis & contemplationis, ad eam ita conseruandam & sustentandam, vt ex tua misericordia obtineam æternam, in qua laudem & glorificem te in æternum, Amen.

(·:·)

MEDITATIO XXIV.

DE IIS, QVAE DEVS FECIT die sexta.

PVNCTVM I.

DIXIT a *quoque Deus, producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta & reptilia, & bestias terræ, secundum species suas; & factum est ita, &c.* a Gen. 1. 24. S. Thom. 1. p. q. 72.

PRIMÒ est considerandum, quòd Deus Dominus noster voluerit, die sexto ornare terrã habitatoribus; animalibus, scilicet variarum specierum iumentis, serpentibus, & aliis bestiis; in quo suam Omnipotẽtiam patefecit, faciens in momento tãtam multitudinem animaliũ in diuersis orbis partibus; & in vnaquaq; ea, quæ ibi possent cõseruari, prębente terrã materiam, ex qua illa fierent, & obediente absque resistentia imperio diuino. Ex qua consideratione eos affectus concipiam, qui suprà sunt indicati. I. Animalia terrestria.

POST hæc perpendam multitudinem & varietatem animalium, quę Deus creauit, & scriptura hic reducit ad tria genera; quædam enim appellat iumẽta, domestica scilicet animalia propterea sic dicta, quòd homini adiuuent: alia, quæ serpunt per terram, quæ II.

gene-

generali nomine reptilia aut ſerpentia vocamus; alia denique vocat beſtias, quæ ſunt ſilueſtria ſiue feræ. Et in ſingulis his generibus, varias fecit ſpecies, cum ſtupendis figuris, proprietatibus, & naturalibus inclinationibus; quibus omnibus admirandâ prouidentiâ proſpicit de alimentis conuenientibus, tribuens vnicuique apta inſtrumenta ad illud ſibi procurandum. Et ſimul dat arma offenſiua & defenſiua, & aſtutias magnas, vt ſe ab aliis tueantur, & alia inuadant, vt ſic aſſequantur quod quærunt. De quibus omnibus gloriatur Deus, loquens cum Iob, referens illi in quatuor capitibus ſtupendas proprietates, quas dedit his animalibus; & prouidentiam, quam de omnibus habet: propter quæ omnia gratias illi agam; confidens, quòd qui talem habet circa animalia prouidentiam, multo maiorem ſit habiturus circa homines, vt poſtea dicemus.

A cap. 38 vſq; ad 41.

III. TERTIÒ perpendam magnum beneficium, quo nos DEVS affecit, dum hæc animalia creauit: nam quædam nos nutriunt delicatè ſuis carnibus, alia lanâ ſuâ nos induunt; alia ex corio ſuo præbent calceamenta, vermes etiam ſericum conficiunt, quo nos ornamus: alia iuuant nos in itinere; alia portant onera; alia cuſtodiunt noſtras domos & nos ipſos; alia nos recreant, & ſua generoſitate etiam nobis adferunt honorem, ſeruiunt nobis in pace & in bello; alia nos docent ſuas aſtutias & ſagacitates; ipſa

etiam

etiam formica est pigrorum Magistra, ad quam eos mittit Spiritus sanctus dicens: b *Vade ad formicam ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam.* Veniq; tot sunt commoda ex his animalibus, vt numerari non possint: sed quoniam illa quotidie experimur, toties deberemus Deum laudare, & infinitas creatori gratias agere, duplici nomine; tum propter bonum quod ipsis creaturis confert, etiam non agnoscentibus authorē, à quo illud accipiunt; quorum ignorantiam ego mea scientia & cognitione supplens, gratias pro illis, agere debeo: tum propter bonum, quod mihi per eadem animalia confert: siquidem quidquid illa habent, est in meum vsum, & plus mihi seruit quam ipsis. O Deus liberalissime, qui tot nobis dedisti subsidia ad hanc vitam commodè transigendam; adiuua nos tua gratia, vt ita transeamus per hæc bona temporalia, vt non amittamus æterna, Amen.

b *Prou. 6. 6.*

PVNCTVM II.

DEINDE considerandum, quod aspiciens DEVS hoc opus suum, *viderit esse bonum*, & approbauerit tria genera animalium, quæ condiderat, non solum domestica & cicura, sed etiam serpentes & feras; quamuis & serpentes si t venenatæ, & feræ magna sæpe damna hominibus adferant, ob rationes superiùs insi- I.

insinuatas; nominatim verò quòd prouidẽtia Diuina, voluerit hic suam misericordiam & iustitiam simul manifestare. *Misericordiam* quidem, quia feras & serpentes ita subiecit homini, vt, si ipse non peccasset, non potuissent illi nocere: *Iustitiam* verò, quia easdem post peccatum, tanquam instrumẽtum adhibet Deus ad corrigendum peccantem, vt se emendet; &, nisi voluerit, castigetur propter peccatum: item etiam propterea illas fecit, vt iusti Deum glorificent, attendentes, se à Dei prouidentia ita protegi, vt huiusmodi animalia ipsos non lædant, nisi cùm ad maius ipsorum bonum, Deus id permittit; quod Sapiens perpendit dicens: a *Creatura tibi factori deseruiens, exardescit in tormentum aduersus iniustos: & lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt.* O Deus æterne, cuius prouidentiâ *omnes creaturæ deseruiunt omnium nutrici gratiæ tuæ*, & obediunt tuis præceptis, ad conseruationem tuorum electorum; suscipe me sub tuam protectionem; & adiuua, vt & ego tibi seruiam & obediam; cùm enim tuæ creaturæ adeò promptè obediant tuæ voluntati, nullæ mihi nocebunt, si ego eidem me totum subiecero.

Medit. 21. punct. 5.

a *Sap 16. 24. 25.*

II. DEINDE perpendendum, quod eadẽ animalia, etiã appellẽtur bona, eò quòd occasioni sint nobis exercendi virtutes, & fugiendi vitia, excitentq; tam mei timorem, quàm de eius misericordia fiduciam; quæ suis quoque naturalibus propensionibus nos monent eo-

rum,

rum, quæ facere debeamus. Et ita Chriſtus Dominus noſter dixit: b *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.* Ex quo diſcam modum quendam, fructum capiendi ex his creaturis in Meditatione. eſt enim in illis aliquid boni & vtile, quod imitari poſſimus ex ea parte, quâ illæ in ſuo genere ſunt perfectæ; eſt tamen in eiſdem aliquid imperfectum quod fugiamus; ex ea parte, qua cum hominibus comparatæ, ſunt imperfectæ. A iumento diſcam ſubiectionem & obedientiam ad Deum, & ad onus legis eius, cum proprij iudicij reſignatione, dicens cum Dauide; c *vt iumentum factus ſum apud te*; ſed non imitabor eius ignorantiam & ruditatem, ne illud de me dicatur, d *homo, cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* O Deus æterne, ne patiaris homines rationis capaces, fieri e *ſicut equum & mulum quibus non eſt intellectus*; refrena illorum paſſiones freno ſancti tui timoris, vt ſeruantes hominum dignitatem, imitentur bonum, quod tu in his beſtiis poſuiſti; & non ſequantur malum aut imperfectum, quod in eis eſt, Amen.

b *Matt.* 10. 15

c *Pſ.* 72. 22.

d *Pſal.* 48. 13. 21.

e *Pſal.* 31. 9

PVNCTVM III.

TERTIÒ conſideranda eſt cauſa, cur Deus Dominus noſter, non benedixerit animalibus terræ; ſicut quinta die benedixerat piſcibus & auibus, dicens; *creſcite & multiplicamini*: neque enim id myſterio caret.

I. Et quãuis huius rei causa fuerit, quòd hoc eodẽ die paulò pòst erat benedicturus homini, in quo virtute benediceret etiam his animalibus, cum quibus homo in corporea & sensitiua natura, locoq; habitationis conueniebat: ascendẽdo tamẽ ex hac litterali causa ad mysticam, voluit Deus noster benedictionem horum animalium, quasi suspensã esse, vt homines intelligeremus, eorũ benedictionẽ aut maledictionẽ, multiplicationẽ aut diminutionẽ, dependere à meritis hominum, quorum causâ Deus illa creauerat: nam in præmium iustorum, qui fideliter ipsi seruirent, promittit benedictionem & multiplicationem animalium hominibus vtiliũ, dicens populo Israel: a *si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias & custodias præcepta eius, benedictus erit fructus ventris tui, fructus terræ tuæ, fructusq́ue iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caulæ ouiũ tuarũ.*

a Deut. 28. 1. &c.

II. Cõtrà verò in pœnã peccatorum eiusdẽ populi, minatur maledictionem eorundẽ animalium, dicens: *si audire nolueris vocẽ Domini Dei tui, vt custodias omnia mãdata eius, maledictus erit fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorũ; & greges ouiũ tuarũ,* & minatur, quòd eadẽ illis auferẽtur & destruentur. & similiter minatur, se multiplicaturũ aduersus eos venenata & fera animalia; quod pertinet nõ ad benedictionem, sed ad maledictionem hominũ, & pœnã, ac

b Deut. 32. 24. & alias sæpè.

ſupplicium eorum ſcelerum, propter quæ ſerpentes multiplicãtur, locuſtæ, leones, & aliæ beſtiæ, vt conſtat ex plagis Aegypti, & aliis pœnis ac ſuppliciis, quæ refert Scriptura. Ex quibus concipiam deſideria feruẽtia, tali Domino ſeruiẽdi, à quo tales benedictiones proueniunt; & timorem eundẽ offendendi; ſiquidẽ tales propter offenſam inferuntur pœnæ & maledictiones. O Pater miſericordiſſime, à quo omnes benedictiones procedunt cæli & terræ; concede fidelibus Eccleſiæ tuæ ſeruis, ita fideliter tibi ſeruire, vt ſicut alter Iacob, mereãtur obtinere conuenientem benedictionẽ bonorum temporalium, & multò copioſiorem æternorum.

HINC pergam ad perpendendum, quòd beſtiales noſtræ carnis paſſiones multiplicentur & creſcant, in pœnam rebellionis noſtræ voluntatis contra Deum; & contrà, debilitentur & minuantur in præmium ſubiectionis, & conformitatis noſtræ voluntatis cum Diuina; ob quam eædem paſſiones rationi & voluntati ipſi ſubiiciuntur, cum quibus pacem colunt: nam in ordinẽ redactæ multiplicantur & creſcunt, ex Dei benedictione; & ipſi appetitionum ſenſuum affectus iuuant ipſam voluntatem, *vt cor & caro*, & ſpiritus, *exultent in Deum viuum*, & ſecundo vento nauigent in eius ſeruitio. O Dilecte cordis mei, opto, vt *anima mea in te ſitiat, & caro mea quàm multipliciter tibi* & obſequio tuo. Effunde ſuper vtramque tuam

III.

Pſal. 83. 3.

Pſal. 62. 2.

benedictionem, vt caro mea multiplicet affectus tibi placentes, quibus anima ipsa vtatur & iuuetur ad tibi seruiendum, magis feruenter in secula, Amen.

MEDITATIO XXV.

DE CREATIONE HOminis.

PVNCTVM I.

a Gen. 1. 26. AIT DEVS *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs vniuersæq; terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra.*

CONSIDERANDVM est primò, quod eodem die sexto, quo Deus fecit animalia terrestria, voluit etiam hominem facere, circa quod tria singularia sunt expendenda.

I. PRIMVM quòd particulari mysterio noluerit integrum diem hominis creationi assignare, sicut formationi lucis cõstituit; sed eodem sexto die illum creauit, quo alia animalia terrestria, quia cũ eis in parte corporis & sentiente conueniebat; vt sic fundamẽtum iaceret humilitatis, agnoscẽs vilitatem, quã hoc nomine haberet. cùm enim Deus esset hominem ad magnas excellẽtias euectu-

rus,

rus, expediebat vilitates aliquas illi admiſcere, quæ illum, ne euaneſceret, continerẽt: quam rationem ſemper Deus Dominus noſter ſeruauit, vt iis quæ extollere poſſunt, admiſceret aliquid, quod ad ima deprimeret, vt fundaremur in humilitate, ſine qua nulla altitudo ſecura conſiſtet.

SECVNDVM eſt, quòd Deus creauerit hominẽ poſt cetera animalia. nã vt in creatióe viuẽtiũ ab imperfectioribus incepit, & aſcẽdit ad perfectiora, primò enim fecit plãtas, deinde piſces, mox aues, poſtea animalia terrena, ac deniq; hominẽ, qui eſt perfectiſſimus; ita vult, ſeruos ſuos, in ſuis actionibus, procedere; à minoribus ſcil. ad maiora, & quotidie creſcere in perfectione; vt ſecunda die agãt perfectiùs quàm prima, & in tertia perfectiùs quàm in ſecũda, & ita quotidie aſcendant de virtute in virtutẽ, donec ad perfectionis culmen perueniãt, cùm ſingulis itẽ horum ſex dierum fecerit Deus res aliquas nouas, aliam aliâ præſtantiorem; aut perfecerit quas antea fecerat: ita cupit vt eius electi ipſi a *cantent* CANTICA NOVA *& ſpiritualia, cantantes & pſallentes in cordibus ſuis Domino, gratias agentes ſemper pro omnibus*, & vt NOVA illi offerãt obſequia, nouo feruore, nouo ſpiritu, & nouitate affectuum interiorum circa eius magnitudinem & maieſtatem, & quoniam aduertis, anima mea, Deum b *nouam* tantùm *creaturam magni facere*, ſtude diligenter, nouâ quotidie pia opera exer-

II.

a *Epheſ.* 5:19

b *Gal.* 6. 15

cere; non tamen tibi illa attribuēs, sed ei, qui
c Eph. 2.10. ea in te c *creat*, per merita *Christi* IESV, *in operibus bonis*, cui debes pro illis gloriam.

III. TERTIVM est, quòd omnium rerum vltimum creauerit Deus hominem; in quo omnia creationis opera sex horum dierum finē habuerint: vt intelligeretur, ipsum esse omnium illarum finem, in quo tanquam in paruo mundo omnia colligerentur; & totum ædificium ornatumque huius mundi visibilis fuisse destinatum, vt esset ipsius domus & habitatio. Quod totum paterna prouidentia præparauit & prouidit antequam hominem ipsum crearet; vt statim atque ipse creatus esset, recreare posset suos oculos pulchritudine rerum quas videret; aures musicâ & cōcentu auium, quas audiret; & gustatum oblectare sapore ciborum, qui appositi erant in mensa, à Deo ipsi præparata: & sic de ceteris.
S Amb ros. Epist. 38. ad Horatium.

O Pater amantissime, si antequam me creares, tot bona mihi præparasti in hoc mundo inuisibili, vbi mea habitatio breuis est futura, quanto maiora præparaueris in mundo inuisibili, in quo habitatio mea est futura æterna! Gratias tibi quantas possum ago pro his & illis, & siquidem, Domine, priora mihi præparasti, quæ me iuuarent ad secunda peruenire, concede mihi, ita viuere in hoc mundo visibili, vt ascendam postea ad inuisibilem, vbi semper te fruar, Amen.

PVN-

PVNTVM II.

CONSIDERANDVM deinde est altissimum sanctissimæ Trinitatis consilium circa hominis creationem; quod insinuatur primis illis verbis; a FACIAMVS HOMINEM. In quibus latent magna mysteria, quæ sunt hic perpendenda.

a Gen. 1.26.

I.

PRIMVM est, quòd non dixerit Deus de homine, quod de aliis rebus; *fiat homo*, aut: *producat terra hominem*; vt significaret hominis excellentiam, qui propter partem eius nobiliorem, scilicet animam, nec potuit produci à terra, neq; ab aqua, sed à solo Deo, cœli & terræ Conditore; vt intelligamus nos teneri ad ipsum super omnia diligendum, tanquam vnicum nostrum principium, à quo nostrum omne bonum procedit, & ei soli seruiendum, & ab eo petendum, vt nos perficiat, cui dicamus, b *O Deus virtutum, respice de cœlo, & vide, & perfice vineam hanc animæ meæ, quam plantauit dextera tua.*

b Psal. 19.15

II.

DEINDE dixit in plurali, FACIAMVS *hominem ad imaginem* NOSTRAM; quo notitiam aliquam mysterij sanctissimæ Trinitatis insinuauit, & quod omnes tres personæ ad hominis creationem concurrerent, cum maiori singularitate, quàm aliarum rerum, vt ei communicarent imaginem & similitudinem suam. Item, vt significaretur,

quòd tres Diuinæ perſonæ, opus hoc aggrederentur matura deliberatione & conſilio; & quaſi inuicem ſe ad eius executionem exhortantes. nam cùm totum rei exitum ante ſe haberent; viderentq;, hominem futurum Creatori ſuo ingratum, & ipſius legem trãſgreſſurum; & porrò caro ſibi conſtiturum remedium ex rigore iuſtitiæ adhibere; & arduum, eundem lapſum iuſtificare, & efficere, vt finem ſuum vltimum, in quem illum creabant, conſequeretur: His tamen difficultatibus nihil obſtantibus, dixit Pater, Filio, & vterque Spiritui S. & omnes tres magna reſolutione dicunt FACIAMVS *hominem ad imaginem & ſimilitudinem* NOSTRAM. O amantiſſime & miſericordiſſime Creator, quid te permouit ad eam creaturam creandam, quæ tuę bonitati adò eſſet ingrata! cur ei dediſti eſſe, qui adeò malè eſſet illud collocaturus? quomodo ad tuam imaginem & ſimilitudinem illum creaſti, qui ſuis peccatis eandem erat obſcuraturus? facilè quidem tibi fuit illum creare; valde tamen laborioſum & carum erit eundem reparare. & nihilominus certo decreto dicis, *faciamus hominem.* O Dilecte animæ meæ, quid tibi reddam pro adeò beneuola tua deliberatione? cupio & ego aliam huic ſimilem facere, ſtatuens, ſtrenuè vincere quamcunque difficultatem, quæ me à tuo ſeruitio retardet; ſiquidem tu adeò beneuolè me creare decreuiſti.

S. Greg. lib. 9 Moral. c. 27

HINC

HINC etiam discam, ad imitationem Creatoris, antequam res arduas & graues aggrediar consultare circa eas, & maturum adhibere consilium, præcogitareq́; , quid illud, sit, quod facere aggredior ne quod postea eueuerit, vt nouũ mihi accidat, & feciſſe me pœniteat, iuxta illud Ecclesiastici ; c *fili sine cõsilio nihil facias. & post factum non pœnitebis*: d *Consiliarius* autem *sit tibi vnus de mille*, Deus ipse videlicet Trinus & Vnus, vt e *consilium meum* semper sint *iustificationes* eius, quas in sua lege nobis proposuit. III.

c Eccl 32. 24.
d Eccl. 6. 6.
e Psal. 118. 24.

DENIQVE perpendam, Deum dixisse verbum illud: FACIAMVS; ad significandum, se creare hominem, cum quo familiariter posset conuersari, eo quod rationis & amicitiæ suæ faceret illum capacem, atque si diceret: inter omnia visibilia quæ creauimus, non est cum quo possimus conuersari, faciamus itaq; hominem, qui nostrę communicationis & conuersationis sit capax. O sapientia æterna, cuius f *delicia* in exordio Creationis mundi, fuerunt, creare *filios hominum*, & *esse cum* [illegible] siquidem me tuæ conuersationis capacem creasti, imple finem huius creationis, familiariter mecum agens. IV.

f Prou. 8. 31.

PVNCTVM II.

TERTIÒ considerandum, quod Deus Trinus & Vnus, ita hominem ad suam imaginem & similitudiné creauerit, s. Thom. 1. p. q. 93.

vt animam (in qua præcipuè hæc imago consistit) dederit, sibi ipsi similem, in supremo gradu Esse intellectualis, & in excellentissimis diuinitatis suæ perfectionibus, quæ possunt creaturis communicari. Quas excellentias reducemus ad sex, & in singulis perpendemus præstantiam huius beneficij.

I. 1. Cor. 11. 5

PRIMA excellentia animæ nostræ, per quam est a *imago Dei & gloria eius*, ea est, quòd sicut Deus est purus spiritus, ac propterea carnis oculis inuisibilis, & in loco, in quo est, indiuisibilis; nam in quacunque eius parte est eminentissimè totus, illum conseruans, dansque esse, vitam, & motum rei, in qua est, eo modo, quo illa eius est capax; ita anima nostra est purus spiritus, & inuisibilis oculis corporis, nisi quod ex effectibus, quos habet in corpore, in eo illa esse deprehenditur: in quo tamen est indiuisibiliter, ita vt tota sit in oculis, tota in auribus, tota in manibus, & in singulis partibus ac membris, dans vnicuique esse, & modum vitæ, ac motus, & officium quod in eo habet. Et ideò b *auferente* DEO (vt ait Dauid) *hunc spiritum hominis, deficit ille, & in puluerem suum* corpus *reuertitur*. Propter quod totum par est, nostrum spiritum, cum omnibus membris, in quibus est, glorificare DEVM, & adhibere illa omnia tanquam linguas, quæ illum benedicant. O Spiritus infinite, qui varios spiri-

S. Thom. 1. p. q. 75. a. 1.

b Psal. 103. 29

tus

tus in cœlo & in terra creasti, c *qui te adorarent in spiritu, & veritate, quia tu,* cùm sis *spiritus, tales quaeris adoratores.* Ego te adoro & glorifico, propter Spiritum quem mihi dedisti, ego cupio tibi seruire, & eo d *spiritu facta carnis mortificare,* vt spiritus meus tibi soli viuat, & tuus in meo in æternum.

c Ioan. 4 23

d Rom. 8. 13.

II.

SECVNDA excellentia est, quod sicut Deus est immortalis; & quamuis in mundo hoc sit, non tamen ab eo dependet; & si mundus & e *cœlum & terra perirent, Deus tamen permaneret* in se ipso, *idemq; ipse esset*; ita anima nostra, etiamsi sit in mortali hoc corpore, eius tamen esse à corpore non dependet: & quando corpus moritur, & f *in pulueremreuertitur ex quo fuerat sumptum,* non tamen moritur *spiritus,* sed permanet, *reditq; ad Deum, qui dedit illum,* vt ab eo designatum locum accipiat, in quo viuat iuxta sua merita. g *O Rex seculorum immortalis, & inuisibilis,* h *qui solus habes immortalitatem,* per tuam essentiam, gratias tibi, quod per participationem etiam dederis animæ meæ immortalitatem, à tua voluntate dependentem, sine qua etiam esse desineret, & cum qua semper illam retinebit; supplico humiliter, vt quando illa ex corpore hoc mortali exiuerit, sicut ei dedisti immortalitatem naturæ, ita concedas immortalitatem gratiæ, vt libera ab immortali morte inferni, vitam viuat immortalem in cœlo in æternum, Amen.

e Psal. 101. 27.

S. Thom 1. p. q. 75. a. 6.

f Eccl. 12. 7.

g 1. Tim. 1. 17.

h c. 6, 16.

TER-

TERTIA animæ excellentia est, quòd cùm sit in vna; tres habeat nobilissimas facultates, cum tribus nobilissimorum actuum generibus, INTELLECTVM videlicet, quo res cognoscit, tam corporales quàm spirituales, & ratiocinatur de omnibus creaturis, cœlestibus & terrenis; & MEMORIAM, qua recordatur rerum, quas intellexit, & præteritas tanquam præsentes habet; ac denique VOLVNTATEM, qua vult, diligit, aut detestatur quod cognouit. Ex quo procedit, vt anima nostra non solũ in se habeat imaginẽ diuinitatis, sed etiã Trinitatis SS. nã vt Pater æternus se intelligens, producit verbũ, scilicet filium; & hi duo se intelligentes, producunt amorem, qui est Spiritus S. ita anima nostra suis potentijs respicere potest Deum; & intellectu producit intra se quoddam verbum, & conceptum ei similẽ qui est Deus; & voluntate producit alium amorem sanctum Dei, qui ipsam faciat sanctam, & in hoc (ait S. Thomas) est præcipua excellentia animæ nostrę, qua est imago sanctissimæ Trinitatis.

S. Thom. 1. p. q. 93. a. 5.

a. 7. & 8.

IV.

QVARTA excellentia, quæ ex proxima oritur est, quod habeat liberum arbitrium, diuino simile, adeò generosum ad volendum aut nolendũ quod illi placet, vt non sit possibile illam cogere contra suam propensionem: nec vllus homo aũt Angelus aliquam illi potest necessitatẽ inferre, quia solùm est subiecta suo Creatori, qui i *reliquit hominem in manu consilij sui, &* in eius voluntate *posuit*

S. Thom. 1. p. q. 83. & 1. 2. q. 6. a. 4. & q. 9. a 6.

i *Eccl.* 15. 14.

i *Deu.* 30 15.

vitam

vitam & mortem, bonum & malum, vt ad quod voluerit, porrigat manum suam. O Creator Omnipotens, qui gloriaris, te habere creaturas aliquas liberas libertate scilicet quam tu illis impertiris, en reddo tibi, quam mihi dedisti, optans semper illa vti ad id solùm amplectendum, quod tu volueris, eò enim perfectius erit liberum meum arbitrium, quò tuo erit conformius.

QVINTA animæ excellentia, quæ ex vtraq; præcedente oritur, est, quòd sit capax sapientiæ, & scientiæ, virtutis, & gratiæ, beatitudinis & gloriæ, & omnium donorum naturalium & supernaturalium, quæ potest illi Deus dare. Habet enim tantam capacitatem, vt solus ipse Deus satiare illam possit; & quam diu non videt & possidet Deum, nõ est possibile illã esse saturam. In qua re valdè eminet, imago Dei in ipsa; siquidem vt Deus non potest satiari vlla re alia, nisi se ipso; sic animæ capacitas & desiderium non potest impleri, nisi ipso Deo. O Deus infinite, siquidem infinitam mihi capacitatem dedisti, ne permittas illam esse in me vacuam, & quia in te solo sunt omnia bona, te ipso imple me, tu enim solus mihi sufficis. V.

SEXTA excellẽtia est, quod sicut Deus est Dominus supremus rerum omnium, quas eminenter in se continet, & habet imperium & potestatem super illas; estq; finis vltimus, in quẽ omnes diriguntur; ita homo, ratione præcipuè animæ suæ, est supremus omnium VI.

creatu-

[illegible] [illegible] [illegible] [

te & in te? num est imago Cæsaris? an mundi? an carnis? an alterius rei creatæ, maioris te aut melioris? Agnosce tuam excellentiam: nam ista imago non alterius est quàm ipsiusmet Dei, qui sua infinita liberalitate creauit te ad imaginem suam: da itaque Deo quod est Dei; agnosce per hanc imaginem subiectionem, quam illi debes; redde ei tributũ, quod tibi imposuit. Et siquidem tu ipsa es denarius huius tributi, in quo tui Regis imago est expressa, trade te totam eius obsequio, quia totam te debes ei, qui tibi dedit quidquid es.

HAC ratione licebit discurrere per sex prædictas excellentias, in quibus huius imaginis ratio elucet, interrogando me ipsum; tuus spiritus cuius imago est? si est imago spiritus Dei, da illum totum Deo, & fac vt sis vnus spiritus cum eo; anima tua cum tribus suis facultatibus cuius est? si est imago Trinitatis sanctissimæ, da Trinitati quod est Trinitatis, vt seruias ei, qui vnus est & Trinus in æternum. Amen.

PVNCTVM IV.

QVARTÒ est considerandum, quòd Deus Dominus noster non solùm creauerit hominem ad imaginem suam, sed etiam ad similitudinem; ita vt imago esset perfectissima, & exemplari similis, ex quo erat deumpta. quare non contentus quod hominem creasset ad suam imaginem, secundum

S. Thom. 1. p. q. 93. a. 9. S. Basil. Amb. & alij.

I.

natu-

naturam, vt dictum est; creauit etiam Adamum ad suam similitudinẽ, dans ei Esse gratiæ & iustitiam originalem. quamobrem dixit Sapiens: l *quod fecerit Deus hominem rectũ* quia opera Dei sunt perfecta, & nunquam inania aut vacua ab illa perfectione, quam pro eo tempore habere possent, iuxta finem in quem creantur. & quoniam Adamus factus ad imaginem Dei, capax erat eius gratiæ & amicitiæ voluit cum hac perfectione creare, incipiens implere illam eius vacuitatem & capacitatem, quam ex natura sua habebat ad dona supernaturalia.

l Eccl. 7.30.
1.p.q.95.a.1

II. HINC etiam prouenit, vt similitudo in Esse gratiæ, quã Deus dedit Adamo, fuerit perfectissima; quia non solum animam sanctificauit, rectificauit, & sibi conformem fecit, sed etiam plenum imperium & potestatem illi dedit super omnes suas passiones, ita vt libera sua voluntate appetentibus facultatibus imperaret; & illæ actus suos elicerent tanto tẽpore, & tanta intensione, sicut ipsa voluntas vellet; nulla contra rationẽ vel tẽtata rebellione, vel pugna & cõtradictione, qualis nunc est m *inter carnem & spiritum*; & ad eiusdem Dei similitudinem, habebat pacem in regno suo interno, ita vt nihil in eo esset, quod eius liberæ voluntati resisteret.

q.95.a.3.

m Gal.5.17.

III. HINC etiã prouenit, vt imago & similitudo Dei, quæ præcipuè est in anima, deriuetur etiam ad corpus, non solùm propter rectitudinẽ quam habet, dum incedit erectum,

& ad cælum eleuatum; ſed etiam propter participationem immortalitatis, quam anima illi communicauit, in cuius poteſtate erat nunquam mori, ſicut reuera nunquam fuiſſet mortuum, niſi ſuperueniſſet peccatum. 1. p. q. 67. a. 1.

HAC ratione Deus creauit Adamum & Euam, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, qui quamuis ſoli hoc vltimum bonum ſupernaturale habuerint, quia ſuâ culpâ illud ſibi & ſuis poſteris perdiderunt; voluntas tamen & propoſitum Dei fuit, illis & eorum poſteris illud dare, ſi ipſius mandatis obedirent. propter hanc ergo eius voluntatẽ, meritò Deo gratias agam, & in meis debitis ponam tria hæc bona & beneficia, quę Deus cõtulit primis parentibus, atque ſi mihi contuliſſet, & ſupplicabo, vt quandoquidem illam ſimilitudinem amiſi, dignetur ipſe illam ſua gratia reparare. O verbum diuinum, n *imago inuiſibilis* æterni Patris, qui in hunc mundum veniſti ad reſarcienda damna hominis, quem ad tuam imaginem creaſti, ad reparandam ſimilitudinem in Eſſe gratiæ, quam ſua culpa ſibi & omnibus amiſit, reſpice oculis miſericordiæ, pauperem animam meam; recognoſce quam feciſti, quamuis defœdatam ijs, quæ ego feci; & ſiquidem ego illi abſtuli ſplendorem gratiæ, quam in baptiſmo ei dediſti, reſtitue illam pœnitenti, deleaturq; malum, quod ego in ea feci, vt ſuum habeat ſplendorem imago, quam tu creaſti. O Pater miſericordiarum, qui tuos o

n *Col.* 1. 15

o *Rom.* 8. 29

Electos prædestinasti conformes fieri imagini
p1. *Ioan.*3.2 *Filij tui*; & me quæso ita illi conforma in sanctitate, vt p *cùm apparuerit*, perfectè simi lis ei sim in gloria, Amen.

PVNCTVM V.

QVINTÒ est considerandum, quòd De
a *Gen.*1.26. us Dominus noster fecerit hominem
S. *Thom.*1. p.q.96. etiam, a *vt præesset piscibus maris & vo latilibus cœli & bestiis vniuersæq; terræ, omnique reptili quod mouetur in terra,*

I. CIRCA quod perpendenda primùm est hominis excellentia, quatenus factus est ad imaginem Dei. Ex quo prouenit, quod vt Deus est omnium creaturarum supremus Dominus, ita homo sit ei similis in eo, quod sit superior omnibus creaturis terræ, habeatq; plenum earum dominiũ, vt eis ad suum obsequium vtatur, & possit absque iniuria illas occidere, suæ recreationis aut sustentationis causa: quare vehementer admirans infinitam Dei erga nos liberalitatem, dicam
b *Psal.*8,5. cum Dauide: b *quid est homo, quòd memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum? minuisti enim eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum; & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues vniuersas, insuper & pecora campi: Volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.*

Domi-

Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra! Admirabile quidem eſt, quod cùm tu ſis, qui es, memor ſis tamen rei adeò abiectæ, atque eſt homo; Eſt quoque admirabile nomen tuum, quòd eundem tanto honore & gloria coronaueris, vt ad imaginem & ſimilitudinem tuam feceris: nec minus admirabile eſt, quod imperium illi & dominium tradideris ſuper omnia opera manuum tuarum. Et quandoquidem tantum mihi bonum contuliſti; æquum eſt, me prædicare admirabile tuum nomen, per vniuerſam terram, & deſiderare, vt omnes illud in ſummo honore habeant, & venerentur.

DEINDE perpendenda eſt prouidentia Dei Domini noſtri, tam erga animalia, quàm erga homines in hac re. nam videns Deus res omnes, quas in terra creauerat, ob defectum rationis indigere aliquo gubernante, creauit hominem ad ſuam imaginem & ſimilitudinem, vt omnibus illis præſideret, proſpiciens ſimul ipſi homini, de ſolatio & delicijs ad vitam tranſigendam neceſſarijs; ſicut ad oculum videmus, quòd qui paſcit oues ſuas; & illis benefacit, & ſibi quoq; ex eis prouidet. Hanc ob cauſam, c *adduxit Deus ad Adamum vniuerſa animantia terræ, & volatilia cæli*, vt illa agnoſceret, *& videret quid vocaret ea*, hoc eſt, nomen illis imponeret, & dominij ſui ſuper omnia, poſſeſſionem acciperet, & omnia illum tanquam ſuum

II.

c *Gen.* 2. 19.

Dominum suo modo recognoscerent, subijcientibus se illi serpentibus, & feris, instar mansuetorum agnorum. Et hic fauor non ipsi soli exhibebatur, sed eius quoq; posteris. Vnde postquam Adamum & Euam creasset,

d Gen. 1:28 dixit d *crescite & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram*; & quod consequens erat, mihi quoque in ipso Adamo idem fauor fuit exhibitus, & eodem iam gauderem, nisi ille peccasset.

III. VERVM adhuc post peccatum Adami, relucet hæc misericordia & prouidentia Dei erga hominem. nam, vt constat ex ijs, quæ ipse dixit Noe, reliquit illi plenum dominiū & vsum omnium animalium, quæ illi poterant esse vsui: & adhuc præsidet piscibus, serpentibus, & feris, quas industria sua & arte piscatur, & sibi subijcit, non solùm paruos pisces, sed cete etiam grandia, & venatur omne genus auium & animalium, etiam sęuissimorum; &, vt ait S. Iacobus,

e Iacob. 3. 7. e *omnis natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cæterorum domantur, & domita sunt à natura humana*. Ex quo duplex mihi oritur causa & ratio laudis & gratitudinis erga Deū, propter hoc beneficium; vt eam gratitudinem ostendam, præsidendo & domando bestiales meæ carnis appetitiones, quas significant quatuor illa genera animalium, quæ Deus nobis subiecit; passiones scilicet appetitionis car-

nis,

nis, per pisces significatas; passiones superbiæ & ambitionis, per volatilia; passiones cupiditatis rerum terrenarum, per serpentes; ac denique iræ & vindictæ perturbationes, significatas per feras & crudeles terræ bestias. O Deus omnipotens, qui dedisti homini dominium & industriam, ad quatuor animalium genera perdomanda; da mihi copiosam tuam gratiam, vt meas passiones & naturæ propensiones, per ea significatas, domare & subijcere possim: f *linguam nullus hominum domare potest* per se ipsum, quia omnes quatuor passiones, ad illam irritandam conueniunt: sed gratia tamen tua facilè fiet, quod nobis est difficilimum: doma tu illam Domine Omnipotentiâ tuâ, vt ex nunc non occupetur in alijs, quàm in tuis laudibus, ob innumera beneficia in æternum. Amen.

f *Jacob*, 3. 8.

(·:·)

MEDITATIONE ARTIS
QUÆ EST DIVINA PISCATORIS
ARTIS PRIMA.

Prædicat. C.

Ego autem mittam retia mea, & capiam pisces multos. Matth. 4. Marc. 1. Luc. 5

infunderet animam, quò facilius cognosceretur, quid illud haberet ex suo; & quam illi esset necessaria anima, quantumq; bonum ex ea illi accederet. Sed ad nostrum institutum satis est, illud imaginari sine anima, sicut nũc manet cadauer post mortem. & in tali exemplari contemplari licet quantum ei debeamus, qui dat nobis animam, qua viuimus.

II. Septuaginta *vertunt* *formauit Deus hominẽ puluerem accipiens è terra.*

DEINDE perpendam, quod Deus Dominus noster, altissima sua sapientia non voluerit corpus Adami ex nihilo creare, sed formare ex terra, & ex eius puluere aquâ permixto, sicut figulus lutum facit, ex quo format vasa; vt sic homo profundiùs in humilitate fundaretur, videns vilem & abiectam ex hac parte originem, & naturæ suæ fragilitatem agnoscens; & porrò mortalitatem, quæ ex hoc principio illi prouenit.

1.

IN hac consideratione, ad reprimendum in me spiritum superbiæ, vtar interdum sententia illa sapientis: b *quid superbis terra & cinis?* O superbe & arrogans, ex quo superbis? num ex terra & puluere, quem ventus aufert: humiliare vsque ad terram, siquidem terra es.

b *Eccl.* 10.9.

2.

INTERDVM verò ad reprimendas querelas, quæ exsurgunt in corde aduersus iudicia Dei, eò quòd mihi non cõcedat, quę peto, dicam illud Apost. c *O homo, tu quis es, vt respondeas,* & conqueraris de Deo? *nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic?*

c *Rom.* 9.20.

an non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? & illud Isaiæ: d *væ qui contradicit fictori suo testa de samijs terræ.* Dedas te ergo, anima mea, factori tuo, qui non faciet tibi iniuriam, si de te pro libitu disposuerit. & cùm sit iustus, nihil faciet in tuum detrimentum, si tu non te subtraxeris eius seruitio.

d *Isai.* 45.6.

3. ALIAS vt spiritum accipiam, & ad fiduciam me ipsum excitem in Deum, qui me de luto formauit, dicam illud Isaiæ: e *& nunc Domine pater noster es tu; nos verò lutum: & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris Domine satis*, vt vas confringas, quod formasti; qui non fecisti illud vt in rigore confringeres, sed vt integro vtereris in rebus obsequij tui.

e *Isai.* 64.8

4. ALIQVANDO etiam, vt me ipsum libenter & cũ voluptate manibus Dei cõmittam, gloriamq; dem ei pro omnibus donis, quę in me sunt, reuocabo in memoriam, quod dixit Iere. f *ecce sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea, dicit Dominus.* O Creator pijssime gaudeo vehementer, me esse in manibus tuis: nam quidquid ab eis prouenerit, iucundum mihi erit: gàudeo quod posueris g *thesauros* gratiæ tuæ *in vasis fictilibus, vt sublimitas* & gloria *sit virtutis tuæ, & non ex nobis.*

f *Iere.* 18.6.

g 2. *Cor.* 4.7

5. DENIQVE ad omnia peccata vitanda cogitabo, illa esse, quæ vas hoc luteum cõfringunt, & in puluerẽ conuertunt, ex quo fuerat

assum

assumptum : quæ est sententia Dei Domini nostri, contra Adamum lata, eò quòd peccasset: h *quia pulvis*, inquit, *es, & in pulverem reverteris*: quasi diceret, propterea te ex terra & pulvere formavi, ut intelligeres, quòd nisi legem meam servares, esses rediturus in terram & pulverem, ex quo te formavi. æquum est enim, ut qui contemnit extrahentem ipsum ex luto, in idem recidat, ex quo fuit extractus. O Pater amantissime, qui tãta providentia corpus meum è terra condidisti, concede mihi, ut ea accipiam documenta quæ hoc tuo facto mihi tradidisti, ut corpore meo in terram reuertente, ascendat anima ad te in cœlum, Amen.

h Gen. 3. 19 Matth. 11 1. Par. 16.

PVNCTVM II.

DEINDE consideranda est Omnipotentia DEI, qua ex vili & crassa materia, rem fecerit adeo pretiosam, atque est corpus hominis: discurrendo autem per huius operis excellentias, ad quatuor illas reducemus.

PRIMA est, quòd tot habeat partes, & membra adeò varia atq; distincta, quæ omnia ex eodem luto fuerunt fabricata; & nunc fiunt etiam ex eadem materia, etiam viliori quàm luto; nisi quòd nunc ea varietas & distinctio fiat paulatim, & vna post alteram: Deus verò tunc oẽs simul, & in magna perfectione confecit. propter quod ingentes ei gratias agam, obstupescens eius Omnipotẽ- I.

tiam,& dicens cum Dauide:Omnia ossa mea
a *Ps.34.10.* dicent: a *Domine quis similis tibi?* O Deus potentissime, ossa mea & caro mea,venæ & arteriæ meę,&omnia mẽbra corporis mei,vocem extollunt & clamant, *Domine quis similis tibi* in potestate?quis nisi tu,formare potuisset in vtero vnius fæminæ corpus tot ossibus compactum? Audi anima mea, excellentissimæ illius matronæ verba, ad filios suos Machabæos: b *nescio qualiter in vtero meo apparuistis: neq; enim ego spiritum & animã donaui*
b 2.*Mach*,7 22. *vobis & vitam,& singulorum membra non* b.c. *ego ipsa compegi: sed enim mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quiq; omnium*
c *Eccle.*11.5. *inuenit* ac dedit *originem.* O si omnia ossa mea luxarentur, & martyrio afficerentur, sicut Sanctorum illorum Machabæorum,pro gloria & honore eius,qui illa mihi dedit?

II. SECVNDA excellentia est pulchritudo & magnitudo,ac delicata huius corporis cõstitutio,cum factum sit ex re quadam turpi& crassa adeoq; exigua,atq; est parua luti portio. Auget verò admirationem, quòd nunc triginta annos tradet corpus, vt perueniat ad debitam magnitudinem & pulchritudinem:cùm in Adamo, totam habuerit in vno momento; quia eum fecit Deus in ætate viri
d *Eccl.*11.13. 23. perfecti,vt appareat,quòd d *oculus Dei,quem respicit,erigit ab humilitate, & exaltat caput eius. & facile est in oculis Dei subito honestare pauperem*, & quod naturæ ordine & cursu multorum annorum tempus requirit,id po-

test

test Deus in vno momento præstare.

TERTIA excellentia est figura eius adeò nobilis & recta, cùm cetera animalia omnia prona incedant in terram; vt ex hoc intelligeremus, quòd quamuis facti fuerimus ex terra, finis tamen noster non sit res terrena, sed cœlestis, vt eò & aspectus & cor nostrum dirigantur. Erubesce anima mea, quòd tuis affectionibus inclines ad terram, existens in corpore ad cœlum erecto. O Saluator mi, e *qui solusti filiam Abrahæ à vinculo quo eam alligauerat Satanas decem & octo annis, & erat inclinata ad terram, nec poterat sursum respicere*: dissolue & animam veram, quam à tot annis Satan alligatam traxit, & inclinauit ad res terrenas, vt ex nunc respiret & erigatur ad res cœlestes. III. S. *Thom.* 1. p. q. 93. a. 3. e *Luc.* 13. 16.

QVARTA excellentia est perfectio omnium rerum quibus indiget, in ordine ad animam, quæ illud informat, supplente ipsa animâ suâ ratione defectus, qui oriuntur ex delicata eius complexione. quamuis enim alia animalia excedant nos in acumine videndi, & olfaciendi, in celeritate motus, & quod vestita & calceata nascantur, imò & armata variis armis offensiuis & defensiuis; hoc tamen totum in illis prouenit ab eorum ruditate & crassitie complexionis & naturæ, quæ delicatæ nostræ constitutioni apta nó erat, anima tamẽ lumine rationis ac prudentiâ, sensus corporis acuit, ac perficit; induit vestes & calceos; & armat suum corpus IV.

melius

melius quàm animalia; prospiciente Diuina prouidentiâ ac supplente in his omnibus defectum nostrum, ne deesset hominibus, quod bestiis non deest. Propter has omnes causas, gratias teneor agere Creatori qui tanta suauitate disposuit fabricam mei corporis, vt esset meæ animæ habitatio. quare illum laudabo, quòd oculos mihi dederit ad videndum, & palpebras ad illos claudendos; & caput in altum erectum, cum capillis quib. ornaretur; & sic de ceteris corporis membris.

PVNCTVM III.

S. Thom. 1. p. q. 90. I.

TERTIÒ est considerandum, quòd Deus Dominus noster animam primi hominis ex nihilo creauerit, cuius creationem verbis illis expressit; a *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, ad significandum, quòd nec ipsa anima, nec vita, quam corpori impertiebat, procederet è terra, ex qua illud erat formatum; sed eam ab extra venire per Omnipotentiam Creatoris. nam vt spiritus procedit ab homine, cùm respirat, est enim aër quidã, ab interiori hominis parte per os procedens; ita anima nostra procedit à Deo, cũ magno eius amore, vtpotè qui ex suis visceribus eam per suum os, hoc est per suũ imperium educit, volens vt ita sit, nullo ei resistẽte. in quo apparet animæ nostræ ingenuitas & similitudo cũ sapiẽtia Diuina, quæ, vt ipsamet dicit, b *ex ore altissimi prodiui*. O ani-

a Gen. 2. 7.

b Eccl. 24. 5.

ma

ma mea, quæ ſolius Dei es opus, lauda & glorifica eũ, qui tibi eſſe, quod habes, adeò amãter dedit. A Deo exiiſti: contende ergo ad eundem redire, & intra eius pectus ingredi, diligendo toto corde tuo eum, qui te dilexit.

II. DEINDE perpendendum, quòd vocet Deus animam ſpiraculum vitæ, ſpiritum ſc. aut reſpirationem, quæ vitam dat rei, in quam ingreditur; ad ſignificandum, quòd vita corporis in eo conſiſtat, vt Deus creet, coniungatq; animam corpori, & vt ſemper ipſum reſpiret, quo poſſit conſeruari, ac propterea dictum eſt, quod inſpirauerit in faciem eius, in qua præcipui ſunt ſenſus vitæ, viſus videlicet, auditus, odoratus, & guſtatus, & ſenſus interni, & aliqua reſpirationis inſtrumenta ad vitæ conſeruationem. Ex quo colligam, quòd Deus vocauerit animam reſpiratiõe vitæ, id dictum eſſe ad me excitandum, vt quoties reſpiro, Creatoris ſim memor, qui animam mihi dedit; & maximi beneficij, quo me, illam dando, affecit; & credam, quod ſicut vita corporis pendet à reſpiratione animæ, ita vita & Eſſe ipſius animæ pendeat ab inſpiratione & virtute Dei: niſi enim ipſe eam conſeruet, ſtatim illa reuertetur in nihilum; ideoq; par eſt interdum ad ſingulas reſpirationes, aliquos elicere actus amoris, aut laudis, aut gratitudinis pro hoc beneficio, vt ſuperiùs fuit dictum.

III. HINC vlterius pergam ad perpendendũ horum verborum myſterium: nã vt corpus

ſine

sine anima, caret vita naturali; ita anima sine gratia Dei, caret vita spirituali; & sicut Deus inspirans in faciem Adami, infudit illi animam, qua dedit illi vitam naturalem; ita inspirans Diuinam & efficacem inspiratione, infundit animæ spiritum gratiæ & charitatis, qua illi dat vitam supernaturalem; & vtramq; hanc vitam infudit Deus simul primo homini, cum illum creauit. Ac propterea forte scriptura, in originali lingua ait: *inspirauit in faciem eius spiraculum vitarum*; quia non solùm dedit animam excellentissimam, à qua procedit vita vegetatiua, vt creseeret, sicut plantæ; & sensitiua, vt sentiret sicut animalia; & intellectiua, vt intelligeret sicut Angeli; sed etiam dedit Spiritum Sanctum, à quo procedit vita gratię; cum variis exercitiis vitæ, quæ sunt in illa. & simile huic est, quod Christus Dominus noster alia c *insufflatione* vel inspiratione *dederit suis Apostolis Spiritum sanctum*, vt suo loco expendimus. O Pater æterne, qui per os filij tui flatum producis Spiritus sancti, cuius præsentia animæ culpâ mortuæ viuificantur, renoua quæso meam eodem afflatu, frequenter me inspirationibus tuis visitans, vt viuam nouam gratiæ tuæ vitam, & in ea permaneam vsque in æternum, Amen.

c Ioan. 20. 22.

5. part. Medit. 9.

PVNCTVM. IV.

QVARTÒ est considerandum, quòd Deus Dominus noster paulò pòst quàm Adamum creasset, eum deduxerit a *in paradisum*

a Genes. 2. 8.

voluptatis, quẽ tertia die *plantauerat a principio*, vt esset eius habitatio. vbi perpendere licet, quàm tenera piaq; sensa habuerit Adamus, quando scientia, à Deo sibi datâ, cognouit tot & tãta beneficia, quç ab eo acceperat. *S. Thom. 1. p. q. 102. a. 4*

I.

PRIMVM, in primo illo temporis momẽto, quo aperiens suos oculos, vidit pulchritudinem cœlorum cum suis stellis & planetis; & terræ elegantiam, cum arboribus, & plantis; auesq; & animalia, quæ in ea versabantur: mãserit procul dubio suspẽso animo ad rerum adeò admirabiliũ nouitatẽ; sicut aliquis homo, qui à tẽpore suæ natiuitatis inclusus fuisset in aliqua profunda specu; in qua nihil vnquã vidisset; & post triginta tãdem annos, ex illa clausura egressus, videret quæ sunt in hoc mundo, fieret extra se præ admiratione, tot mirabilium; & laudaret glorificaretq; eorum Creatorem.

II.

QVID verò fecerit paulò pòst cũ videret se ab ipso Deo, deduci ad hortũ, & paradisũ deliciarũ, eumq; sibi dari in propriã habitationẽ, cũ plena potestate vescendi fructibus innumerabilium arborũ, quæ in eo erãt sitæ, vnicâ tantũ exceptâ? Nimirũ agnoscẽs, hunc esse nouũ erga se fauorẽ, nullis suis meritis præcedentibus, nec naturæ suæ debitum, sed ex mera & sola gratia Creatoris, admirãs eius bonitatẽ & liberalitatem lociq; elegantiam, proruperit sine dubio in nouas laudes, pro singulari hoc beneficio sibi collato.

III.

VIX finem Deum laudandi fecerat, cùm vidit

beneficia naturæ & gratiæ, quibus illum ligasti, & ad te diligendum tibiq; seruiendum obligasti, & iisdem me hodie ligas & obligas; vt ego etiam diligam te, ac tibi seruiam: funiculi sunt Adami cœli cũ suis stellis, mare cum suis piscibus, aër cum auibus, & terra cum plantis & animantibus: funiculi sunt Adami corpus quod mihi dedisti, cum omnibus suis membris ac sensibus; & anima, quam ad tuam imaginem creasti, cum omnibus suis potentiis. Vincula charitatis sunt gratiæ, sacramenta, inspirationes, & ipse paradisus, quem mihi promittis. O si me ardentissimo amore constringerem ei, qui tales funiculos & vincula adinuenit, quibus me ad se amandum attraheret, ita vt nunquam illa rumperem.

PVNCTVM V.

QVINTÒ est considerandum, quòd Christus Dominus noster, quamuis in auibus & animalibus terræ simul creauerit vtrumque sexum; id tamen in homine non fecit, sed prius creauit virum, & postea *costam ædificauit in mulierem*; vt intelligeremus, hominem nõ fuisse præcipuè creatum, vt generationi vacaret, sicut reliqua animãlia: nã licet hoc opus in matrimonio sit bonum, & fuerit tũc necessarium ad multiplicandum genus humanum; est tamẽ opus valde abiectum, & homini cum bestiis commune: ideoque solum ipsum creauit, & post-

a *Gen.* 2, 22 I.

modum mulierem; vt intelligeret, præcipuum ſuum finem eſſe, Deo vacare, illum contemplari ac diligere, & ſeorſim cum eo opera illa exercere, quæ ſunt Angelorum propria: Quin etiam cùm eius coſtã Deus ædificauit in mulierẽ, ipſe dormiebat, raptus magna extaſi contemplationis, vt ex hoc etiam diſceret, nec ipſum Matrimonium debere impedire orationis & cõtemplationis vſum, ſed facere quod poſteà dixit Apoſtolus, vt b *qui habent vxores, tanquam non habentes ſint*, ne negligãt vacare orationi. Et poſtquã mũdus eſt ſatis propagatus, melius eſt ei, qui ad id vocationem à Deo habet, ſine vxore viuere ſolum, quam cum tali comite.

b 1. Cor. 7. 29.

II. ALIA quóque huius rei cauſa fuit, vt nos ad mutuam vnionem per amorem excitaret, videntes quod Creator noſter, vt ait Apoſtolus, c *Ex vno fecit omne genus hominum*; vt qui non habent niſi Patrem vnum in cælo, & alterum in terra, mutuò ſe diligant ſicut fratres, iuxta illud Malachiæ: d *nunquid non Pater vnus omnium noſtrum? nunquid non Deus vnus creauit nos; quare ergo deſpicit vnuſquiſque noſtrum fratrem ſuum?*

c Act. 17. 26.

d Malach. 2 10. Matt. 23. 9.

III. ALIA cauſa myſtica fuit, ad ſignificandum, quòd ſicut vnus homo ſolus fuit caput generis humani, in Eſſe naturali, de cuius coſta dormientis ædificata fuit Eua; ita ſolus vnus homo nouus Chriſtus IESVS, erat futurum caput omnium hominum in Eſſe gratiæ,

è cuius

è cuius latere dormientis somno mortis in cruce, fluxit aqua & sanguis, figura Sacramentorum, quibus ædificatur & conseruatur sponsa eius Ecclesia, quæ est congregatio omnium fidelium. Et hæc ratio multò efficaciùs illos permouere deberet ad colendam vnionem charitatis siquidem habent vnum solum creatorem, & vnum Patrem in natura, & vnicum etiam Patrem in esse gratiæ, qui est vnicus ipsorum Redemptor & Reparator omnium malorum, quæ, propter peccatum naturalis Patris, incurrerunt. O dulcissime Creator & Redemptor noster, qui expensis tui Sanguinis ædificasti e *Ecclesiam, vt exhiberes illam tibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi* imperfectionis: Applica Redemptionem tuam, & misericordiam infinitam iis, quos suprema tua Omnipotentia creasti, vt omnes ea fruantur, & fiat ex iis vna Ecclesia sponsa tua; f *tota pulchra, in qua nulla sit macula*, sed tu in ea regnes in æternum,

Amen.

e Eph. 5. 27.

f Cant. 4. 7.

PRIMUS.

QUANDIU in legem Regiam Sacramenti fidelitatis, quo Regi tenemur, nihil contra, vel in illi, fiet innovatio.

PRIMUS.

durationem, pulchritudinem, & proportionem omnium ſuarum partium; in quibus nihil erat malum, aut noxium, ſicut in præcedentibus Meditationibus perpendimus. Simul tamen perpendam, quod ſolius Dei, ratione infinitæ ſuæ bonitatis, ſit, vt aſpiciens omnia ſua b *opera*, dicere poſſit, ea eſſe valde bona *& perfecta*, ita vt nulla in illis ſit mala aut imperfecta. idem verò etiam conuenit Chriſto Domino noſtro, propterea quod ſit Deus & homo; de quo fuit dictum, c *bene omnia fecit*. Et idem ſpeciali priuilegio fuit cõceſſum Sacratiſſimæ Virgini eius Matri. ceteri omnes homines, etiamſi fuerint ſanctiſſimi, facientes reflexionem ſuprà ſua opera, inuenient ex lege ordinaria culpam aliquã aut imperfectionem in aliquo illorum; ſiquidem, teſte S. Iacobo: d *in multis offendimus omnes*. incumbit tamen nobis, diligenter contendere, vt quantum poterimus, ad Dei perfectionem accedamus, procurantes pro viribus noſtris, vt talia ſint opera noſtra, quę reſpiciens Deus, dicere aliquo modo poſſit, ea eſſe *valde bona*. Ad hanc operum noſtrorum perfectionem obtinendam, conducet multum triplex inſtituere examen operum noſtrorum, facta ſuper illa reflexione.

b *Deut.* 32. 4

c *Mar.* 7. 37

d *Iacob.* 3. 2.

Triplex examen actionum noſtrarum.

PRIMVM examen, eſt faciendum veſperi, reflectendo ſuper omnes actiones noſtras illius diei, & obſeruando, num ita ſint diuinæ voluntati conformes, vt Deus illas bonas iudicet, approbetq́;, delendo interim contri-

I.

Part. 1. *Meditat.* 28.

tione eas, quæ tales non fuerint. ſicut ſuo loco eſt dictum.

II. SECVNDVM examẽ, quod iuuat magis ad comparandã perfectionẽ, fit abſoluto quocunq; opere alicuius momenti, faciendo reflexionẽ ſuper illud, ſicut fecit Deus ſexto & tertio die: nec ad hoc examẽ expectandus eſt finis diei; ſed opere illo abſoluto ſtatim atq; licebit, eſt inſtituendũ. quod ſi deprehẽdero totã illã actionẽ fuiſſe bonã, nulla ad id circumſtantia deficiẽte, gratias Deo propterea agam; ſin actionẽ quidẽ bonam fuiſſe, admixtas tamẽ habuiſſe imperfectiones aliquas, aut incuriã; ſeparabo pretioſum à vili, & aurum ab eius ſcoria, conſumẽdo igne amoris & doloris quidquid malũ eſt & imperfectũ; & ſtatuẽdo eandem actionem aliàs ita facere, vt vidẽs eam Deus, dicere poſſit, quòd ſit bona. Quòd ſi totam actionem malam fuiſſe deprehendam, erubeſcam quòd expẽderim malè diem, quem Deus mihi ad benefaciẽdũ conceſſit. Hoc examen propterea inſtituendum eſſe diximus, abſoluto aliquo opere, aut negotio alicuius momenti, quia vt ait S. Dorotheus, *peccamus multũ & obliuiſcimur citò*; quare *neceſſe*, inquit, *eſt, frequentiſſimè ac ſingulis horis, nos ipſos exquirere, rimari, ac perſcrutari diligẽtiſſime, imo & per quælibet temporum momenta*; aſpicientes quomodo ſingula expenderimus, ſiquidem e *iuſtus* (vt ait Sapiens) *ſepties* in die *cadet*, hoc eſt ſæpius, & *reſurget*, non expectans finem diei, vt ſimul

Serm. 11.

Serm. 19.

e Pro. 24. 14

ab

ab omnib. resurgat. Et sicut homines mundiciei valde studiosi, si sæpè maculãtur, aut inficiuntur, sæpè etiã se purgãt, contractamq; maculã eluunt; ita viri puritatis animæ suæ amantissimi, statim atq; culpa aut imperfectione aliqua se maculatos aduertunt, ita se purgãt ac purificant; vt aspiciẽs Deus illorũ animas, pro eo tempore dicere possit: f *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

f *Cant.* 4: 7.

TERTIVM examẽ, est ad finẽ hebdomadæ faciendum, sicut Deus reflexionẽ fecit super opera sua horum sex dierũ, conferẽdo in die sexta diẽ vnum cum altero; & obseruando, num studuerim, quotidie animam meã nouis virtutum splẽdoribus exornare? num creuerim & profecerim quotidie in earum perfectione? num integrè satis fecerim obligationibus propriis & cõmunis boni; & ex omnibus bonis, quę inuenero, vnũ quasi corpus efficiẽs, Deo illud offerã; gratias ei pro omnib. agens, explẽs illud Dauidis: g *per singulos dies benedicã tibi*: Ex malis verò, quæ depræhẽdero, faciã etiã aliud corpus, vt cũ dolore cordis cõfitear, & hac puritate me præparem ad festum septimo die celebrandum: siquidem quicunque crescere cupit in perfectione, singulis hebdomadis confiteri deberet, & communicare, vt eam posset obtinere.

III.

g *Psa.* 144. 2.

HOC ipsũ examẽ & reflexio fieri deberet in fine cuiusq; anni, faciendo generalẽ confessionẽ omniũ peccatorũ toto illo admissorũ; & conferendo annum vnum cum altero, vt

erubescã, si tardiori & remissiori passu hucusq; perrexerim: vrgeboq́; me ipsũ ad celeriorem progressum. Ac denique in fine totius vitæ quæ hisce sex diebus significatur, (modò per morbum liceat, & speciale aliquod impedimentum non adsit) bonum est aliud examen instituere & confessionem, vt omne malum, quod fecerimus, aboleatur; ita vt Princeps huius mundi tunc veniens h *Ioan. 14.30* h *nihil quod suum sit, in nobis inueniat*; Princeps verò cœlestis, quidquid habuerim⁹ approbet, & iudicãs esse bonũ, deducat nos secũ ad æternã requiẽ, per diẽ septimũ significatam. O summum bonum, & omnis boni principiũ, cuius opera semper fuerũt bona, & vt talia approbasti, quæ his sex dieb. fecisti; concede mihi per tuam gratiã, partẽ aliquã huius bonitatis, quæ propria est tuæ Diuinæ naturæ, vt in vltimo totius vitæ nea examine, quod institues, nihil inuenias nali quod ego fecerim, sed bonum tantum, qiod gratia tua mecum effecit, propter quodme in sanctum tuum regnum admittas, Amen.

PVNCTVM II.

a *Gen. 22.* DEINDE considerandum, quod Deus Dominus noster, a *die septimo*, per fecto opere, *requieuerit ab vniuerso opere quod patrauerat, & benedixit diei septimo.*

I. VBI est perpendendũ *primùm*, quòd Deus Dominus noster, die septimo cessauerit res nouas facere, nõ quod ei deesset ad nouas faciendas omnipotẽtia, si ita voluisset, aut fini

ſuo, noſtroq; cõmodo expediuiſſet; ſed quod eæ, quæ factæ erant, ſufficerẽt ad perfectionẽ huius fabricæ, quam deſignauerat, quare nõ dicit ſcriptura, quod perfecerit Deus quidquid facere poterat, ſed quod *compleuerit opus quod fecerat*, & quidem in omni perfectione; & tunc requieuerit, non in creaturis, quibus ad ſuam requiem & beatitudinem non indigebat; ſed quieuit ceſſando ab opere, ſicut diximus, & in ſe ipſo gaudendo, quod expleuiſſet id, quod ab æterno facere ſtatuiſſet, nunc verò in lætitia eſſet executus. Ad eius imitationẽ quæram ego meam quietem, non in creaturis, ſed in ipſo Creatore, ſicut enim Deus quieſcere non poteſt niſi in ſe ipſo, ſic nec ego potero veram requiem inuenire, niſi in ipſo. Et quamuis gaudendũ ſit mihi de operibus, quæ Deus facit (ſicut ipſemet (teſte Dauide) b *lætatur in operibus ſuis*) iuxta illud: c *quia delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo*: Id tamen ita mihi eſt faciendum, vt non ſiſtam in rebus ipſis creatis, ſed in earũ Creatore. O gloria & requies mea, gaudeo, quod tantam in te ipſo habeas requiẽ, vt neque aliquid facias cum labore; nec in tuis operibus aliquid tibi de tua requie decedat: Id mihi concede, vt eam mihi reputem requiẽ, ſi ſtrenuè laborem in tuum obſequium. nam ſine te omnis requies eſt inanis & peritura; in te autem ſolo plena eſt & ſempiterna.

b *Pſ.* 103.31.
c *Pſal.* 91.5.

II.

DEINDE perpẽdam, quod Deus Dominus noſter

c *Gen.* 2.3.

noster c*benedixerit diei septimo*, & eũ sanctificauerit. Et quoniam benedictio Dei est efficax; quod illi benedixerit, significat, se eodẽ, quamuis à rebus nouis creandis cessaret, incipere nouo alio modo iam creatis benefacere, beneficio scilicet CONSERVATIONIS & GVBERNATIONIS, & ipsas creaturas etiam incipere re ipsa executioni mandare acceptam benedictionem, attendentes suæ multiplicationi; & hoc insinuat scriptura, cùm ait, quia in ipso die cessauerat ab omni opere suo, quod creauit DEUS, *vt faceret*; vt scilicet id quod creauerat, operaretur, & multiplicaretur in mundo: quasi diceret, non illud creauit, vt otiosum permaneret, sed vt vnaquæque res faceret, quod ad ipsam spectaret, vt finem suum assequeretur: & hominem ipsum etiam creauit; *vt faceret*, vt scilicet operaretur, & contenderet consequi sanctitatem & quietem illam ac requiem, quæ habetur in solo DEO, ideoq; ipsi homini præcipuè benedictus est, ac sanctificatus dies septimus. O DEUS æterne, qui creasti me in CHRISTO IESV Filio tuo, vt in bonis operibus ambularem, & tenderem ad tuam æternam beatitudinem; effunde super me copiosam tuam benedictionem, vt ex nunc statim benè operari incipiam, & proficere in iustitia & sanctitate, omnem meam requiem collocando in placendo tibi in æternum.

Amen.

PVNCTVM V.

TERTIÒ est considerandum mysterium, latens in eo, quòd cessauerit Deus à suis operibus, & benedixerit, ac sanctificauerit diem septimum. Perpendendum ergo, quòd Deus Dominus noster præceperit populo Israel, dicens: a *Memento vt diem sabbathi sanctifices*, idque in memoriam & gratitudinem huius beneficij, creationis mundi & rerum, quas hisce sex primis diebus fecit: & in figuram quietis, qua fruuntur iusti tam in hac vita per gratiam, quàm in futura per gloriam. quamobrem Isaias illos appellat b *sabbathum delicatum, & sanctum Domini gloriosum.* Huic Sabbatho successit in lege noua dies Dominicus, non solùm in memoriam & gratitudinem beneficij creationis mundi, sed multò amplius ob memoriam & gratitudinem Redemptionis eius & renouationis, quam attulit Christus in die suæ Resurrectionis; & in memoriam quietis, quam sua gratia nobis attulit; & quam nobis promittit futuram in glorificatione animæ, & Resurrectione corporis. ex quo fit, vt multò pluribus nominibus teneamur diem Dominicum sanctificare, quàm populus Israëliticus teneretur, diem Sabbathi.

Quo spiritu festa sint celebranda.
S. Thom. 2. 2. q. 122. a. 4.
a Exo. 20. 10
b Isai. 58. 13.
S. Thom. vt supra ad 4.

AD hanc obligationem perfectè implendam, reiectâ omni ingratitudinis notâ, quatuor sunt præstanda.

S. Thom. 2. 2. q 107. a. 1.

PRIMVM est, *cessare ab operib⁹ seruilib⁹*, sicut

I.

Deus

Deus ceſſauit ab opere ſuo, modo explicato: vt expediti ab huiuſmodi operibus, Deo in quiete vacare poſſimus: ac porrò etiam eſt ceſſandum à peccatis, quæ ſunt opera magis ſeruilia, quàm hæc externa, quæ præſtant ſerui. nam vt ait S. Ioannes: c *qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati*; quod peccatum maximè nos impedit quò minus Deo vacemus; eſtq; ſupremus gradus qui poteſt eſſe ingratitudinis, benefactorem ipſum noſtrum offendere eo tempore, quod ipſe conſtituiſſet ad gratiarum actionem; & profanare noſtrâ culpâ diem, quem ipſe ſanctificaſſet tanta magnificentia.

c Ioan. 8 35.

II. SECVNDVM eſt, *vacare Deo cum exercitijs orationis* & contemplationis, perpendẽdo præſtantiam beneficiorum, in quorum memoriam dies hic feſtus eſt inſtitutus; eaq; meditando per puncta ſuperiùs diſtinctè poſita. & hac ratione euitatur ſecundus gradus ingratitudinis, qui eſt obliuiſci ipſius benefactoris, & beneficij ab eo accepti.

In Introd. huius ſexta part.

III. TERTIVM eſt, *laudare etiam Deum voce*, cantando hymnos & Pſalmos in gratiarum actionem, ob accepta beneficia; id quod fit in Eccleſia, vt eo conueniant fideles, & audientes muſicam moueantur ad glorificandum Deum; d *cantantes*, vt ait Apoſtolus, *in cordibus ſuis, & gratias agentes Deo & Patri miſericordiarum per Chriſtum*, propter collata nobis beneficia. & ſic euitatur tertius gradus ingratitudinis, qui conſiſtit in eo, quod

d Col. 3. 16.

nec

nec verbo quidem gratiæ aguntur, ob accepta beneficia.

QVARTVM, quod in die festo est præstandum, est *offerre Deo sacrificia*, ad exhibédum cultum ei debitum eo nomine, quòd sit noster Creator & sanctificator; & in gratiarum actionem, ob tot in nos collata beneficia, & ad impetranda alia recentia, quibus magis adhuc illi placeamus. Ad hos tres fines offertur sacrificium Missæ (vt suo loco est dictum) cui interesse debent Christiani omnes diebus omnibus Dominicis & Festis, & offerre illud simul cum ipsis Sacerdotibus, & per ipsorum manus, reddentes quoque e *sacrificium spiritus contribulati & cordu contrici & humiliati*, & f *sacrificium iustitiæ*, exercentes varia opera pietatis & charitatis. neque enim ab operibus seruilibus abstinemus, vt de cætero otiosi simus: sed vt ea opera exerceamus, quæ tunc magis Creatori placent, per quæ quies obtinetur & spiritus solatium. IV. 4 p. Med. 15. e Psal. 50 19. f Ps 4 6.

DENIQVE, vt nos ad hoc totum Deus animaret, voluit benedicere & sanctificare diem septimum, reddens ijs, qui prædicto modo eundem sanctificauerint præmium suæ benedictionis, replendo illos sanctitate: nam propterea dies appellatur sanctus & benedictus, quia eum elegit DEVS, in quo repleret nos benedictionibus cœlestibus; &, quando id expediret, etiam temporalibus, multiplicans bona tẽporalia eorũ,

qui

eas ſunt multiplicatæ ab eo tempore a. pe-
deant in conſeruatione ſui Eſſe ab ipſomet
Deo. nam CONSERVATIO nihil eſt aliud,
quam quædã continuatio operationis; qua
Deus facit rẽ aliquam: quare ſicut res omnes
fecit tribus digitis manus ſuæ, bonitate ſci-
licet, Sapientia, & Omnipotentia, vt ſupra
eſt dictum: ita eiſdem ſuſtentat eas & con-
ſeruat: quod ſignificauit Iſaias dicens a *con-* *Medit. 16.*
ſeruata ſunt & nunc creata ſunt, & non ex a *Iſai. 48.6*
tunc: & Apoſt. fratetur b *Deum portare om-* b *Heb. 1. 3.*
nia verbo virtutis ſuæ. Quid ergo admirabili-
us aut glorioſius eſſe poteſt, quam totius hu-
ius Vniuerſitatis machinam, videre reipſa
pendere à voluntate & potentia Dei, multò
magis quam ipſa lux aëris illuminati depen-
deat à Sole. Sicut enim occidente Sole, lux
hæc omninò deſinit eſſe, ita eo momento,
quo Deus vellet ſubtrahere ſuum concur-
ſum, vniuerſa hæc machina diſſolueretur in
nihilum. quod ipſe poteſt vel in vno mo-
mento facere. Ex quo varios concipiam af-
fectus ad vitam & perfectionem meam ſta-
biliendam, nunc ſcilicet affectus fiduciæ
in eum Deum, qui tantum poſſit, & è cu-
ius nutu omnia dependeant; concipien-
do ac ſuperando timores omnes creatu-
rarum hac Omnipotentia Creatoris. ſicut c *Mac. 8. 18.*
ſtrenuus ille Machabæus, qui dixit: c *nos*
autem in Omnipotenti Domino, qui poteſt &
venientes aduerſum nos, & vniuerſum mun-
dum vno nutu delere, confidimus.

II. ALIOS etiam concipiam affectus magni timoris de iuſtitia Dei, quæ tantæ omnipotentiæ eſt coniuncta; ſupplicans Deo, vt illam dignetur moderari ſua miſericordia; dica mq; cum Ieremia d *corripe me Domine verum tamen in iudicio: & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me*, iuxta merita mea. Sed multò adhuc magis timebo eum Dominum offendere, à quo actu & reipſa totum meum eſſe, & quidquid ego habeo, depẽdet; ſicut timerem eum hominem offendere, qui tribus ſuis digitis me teneret ſuſpenſum ex altiſſima aliqua turri, in cuius voluntate omninò eſſet poſitum, ex manu ſua me dimittere præcipitem.

d *Ier.10.24.*

III. INTERDVM etiam concipiam affectus humilitatis profundiſſimæ, demiſsè agnoſcens intimam hanc mei eſſe à Deo dependentiam, in omnibus, quæ ad eius conſeruationem ſunt neceſſaria: coniungam nihilominus humilitati affectus charitatis; iam aſpiciens, quod hoc meum Eſſe non poſſit ſine Deo conſeruari, debeo me ſubmittere, & pro nihilo in eius conſpectu reputare: attendens verò quod idem Deus me conſeruet, diligere debeo tantum meum benefactorem. & hac ratione humilitas acuit charitatem; & ipſa cognitio mei nihili, magnum gignit amorem erga eum, qui me ex illo nihilo eductum conſeruat ſemper in eo Eſſe, quod mihi dedit.

PVN-

PVNCTVM II.

DEINDE consideranda est supremi huius beneficij CONSERVATIONIS præstantia, ob innumera illius bona, quæ mihi ipsi applicabo, & quisque potest ibijpsi.

NAM PRIMVM res omnes quas Deus in exordio mundi, & sex primis eius diebus creauit, & quæ virtute earum per tot millia annorum fuerunt multiplicatæ, & quæ nunc sunt in hoc mundo, quę sunt quasi infinitę, omnes inquam illæ aliquo modo spectant ad hoc beneficium; quibusdam earum adiuuantibus, vt ego generarer; alijs, vt conseruer in Esse quod habeo; quibus ipse Deus vtitur in hunc finem. Cœli enim cum omnibus suis motibus, Angeli, qui illos mouẽt, cum innumeris influentijs, quas distribuunt per totum Vniuersum, ad res inferiores conseruandas, sunt beneficium meum necessarium, vt ego conseruer. Elementa & viuentia omnia, quæ in eis versantur, & multitudo auium, ouium, vel piscium quæ toto hoc tempore præcesserunt, & successione sua effecerunt, vt produceretur hæc auis, hic agnus, aut piscis, quibus ego nunc vescor: beneficia sunt mea, quia sine eis non fruerer ego his, quibus nũc fruor. Et idẽ est de plantis, ex quibus processit hoc pomum, hic botrus aut vinum, quo nunc nutrior. Et, si vtor vasculo aliquo aut poculo aureo, aut argenteo, cogitabo in eo includi innumera beneficia, propter innumera quæ I.

Deus fecit,& conſeruat ad hoc vſq; momentum, quo ego tali poculo aut vaſculo vtor; influentias videlicet cæleſtes,quæ aurum illud vel argentum produxerunt; terram, quæ in ſuis viſceribus illa concepit; aquam.vel pluuiam,vel glaciem, quæ ad id iuuit;homines, qui in quærendis & inueniendis fodinis laborarunt, & in eruendis eius venis, in purificãda materia,& in ipſo poculo elaborando & formando; inſtrumenta item ferrea & lignea, quibus illi homines fuerunt vſi, & quidquid fecit Deus, vt ferrum illud aut lignum crearet, donec fierent inſtrumenta ad hoc opus apta, & alia innumera, quæ cõcurrerunt, vt ex remotis regionibus in meam poteſtatem poculum illud perueniret; omnia inquam ſunt beneficia Dei, quæ in re adeò exigua continentur, qua ego nunc vtor. Similem diſcurſum licet facere de bolo panis,quo nunc veſcor; de veſte lanea, qua nũc vtor; de calamo,de carta in qua ſcribo,& ſic de reliquis: quia vnaquæque res, etſi in ſe eſt tantùm vna, includit tamen modo prædicto alias plurimas; ac propterea pro ſingulis meritò agendæ mihi eſſent infinitæ gratiæ huic tanto benefactori.

O DEVS infinite, benefactor immenſe, dator & conſeruator omnium bonorum; quas gratias tibi reddam etiam pro minimo bonorum, quod mihi largiris, ſiquidem in eo adeò innumera multitudo beneficiorum includitur! ſi tanta creaturarum multitudo

tecum conuenit, qui communis es omnium Creator, ad me conseruandum; cur ego non me coniungam illis omnibus, ad te glorificandum? ò si ego & illæ omnes conuerteremur in linguas, ad te laudandum & benedicendum, propter bonum quod per earum singulas mihi largiris; vt sic partem aliquam redderem plurimorum, quæ tibi propter illas debeo.

II.

DEINDE in eodem beneficio perpendam infinitam charitatem Dei, quæ in eo elucet; quod cum sua omnipotentia annihilare posset quamcunque ex rebus creatis; nunquam tamen teste S. Thoma, aliquam redegerit in nihilum aut omninò destruxerit: sed quandocunq; vnam destruit, aliam producit, & quandocunque vna corrumpitur, alia generatur. Et quamuis tempore Noë hominum malitia eò peruenerit, vt Deus dixerit, a *pœnitet me fecisse eos*, noluit tamen ad nihilum eos redigere, sicut nec ipsos dœmones, nec alios magnos peccatores. nam potiùs (vt ait Sapiens) multis conseruat vitam, & b *dissimulat peccata eorum*, expectans vt conuertantur *ad pœnitentiam*, idq; solùm, quod velit illis hoc bonum conferre. nam alioquin nox perirent: quia (ait idem Sap.) *quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut, quod à te vocatum non esset, conseruaretur.*

1 *p. q.* 104. *a.* 4.

a *Gen.* 6. 7.

b *Sap.* 11. 24 26.

III.

TERTIÒ perpendenda sunt innumera beneficia occulta, quę in hác cóseruatione continentur. nam me insćio, auertit Deus innu-

S. Chrys. l. 1. *de prouid.*

meras res, quæ illam impedirent; & præseruat etiamnum ab innumeris periculis ignis, aquæ, corrupti aëris, ferarũ, latronum, morborum, & alijs occasionibus mortis. Et quoniam nullum malum aliquis hominum patitur, quod non possit alius æquè pati, ex pluribus incommodis, quibus video alios homines affici, conijciam à quot incommodis Deus me liberet. Et quamuis tot sint adeoq; magna hæc beneficia, vult tamen eadem esse nobis occulta, vt agnoscamus, eum non ob iactantiam nobis benefacere, aut ex desiderio humanę laudis, sed purè & merè propter suam bonitatẽ & misericordiam, non tamẽ propterea negligam ego, ipsum propter illa laudare, quamuis non constet mihi, quot illa sint. O supreme hominum benefactor, quantas possum tibi gratias ago; quia spiritu paterno innumera nobis confers beneficia, manifesta & occulta: manifesta quidem, vt nos prouoces ad ea æstimanda, & gratias agendas propter bonum, quod ex eis nobis prouenit; secreta vero, vt nos doceas occultare bona, quæ obsequij tui causa præstamus, vt non quæramus vanam laudem: vtrisque autem nos allicis ad te amandum tanquam parentem, qui omnia circumspicis in commodum tuorum filiorum: concede mihi, Domine, vt tibi seruiam tanquam filius, mea seruitia eodem spiritu exhibens, quo tu mihi innumera confers beneficia. Amen.

De his vt plura Med. 32. punct. 4.

PVNCTVM III.

TERTIÒ considerandum, quod omnes res creatæ pendeant à Deo Domino nostro, non solum in suo esse, sed etiam in suis actionibus, ita vt ipse Deus eas adiuuet in quacunq; actione, quam etiam conseruat toto tempore, quo illa durat quod si Deus suũ concursum subtraheret nihil prorsus efficere possent, nec vti suis viribus, aut facultatibus. Vnde & quod facere incipiunt Deo adiuuante, eiusdem etiam auxilio perficiunt; quo cessante, actio quoque ipsa cessaret. S. Tho. 1. f. q. [illegible] a. 5.

CIRCA quod perpendenda est infinita Dei Omnipotentia, in assistendo per hunc suum concursum & auxilium tot actionibus creaturarum huius vniuersi, Cælorum, elementorum; hominum, & Angelorum; ita vt nulli eorum desit, nec defatigetur, aut tædio afficiatur, nec plus occupetur, omnibus assistendo, quàm si assisteret vni soli. Laudabo itaque & glorificabo ipsum Deum ob talem eius omnipotentiam, gaudens in meipso de illa, & inuitans omnes creaturas ad ipsum laudandum, ob concursum & auxilium, quod ab eo habent ad omnia, quæ faciunt. I.

SED hoc totum mihi ipsi applicando, perpendam innumera beneficia, quæ in hoc Dei concursu continentur, quibus ego quotidie fruor, omnibus horis & momentis: nam Deus actu concurrit cum meis oculis, quando- II.

cunque vident; cum ipsis coloribus, vt species suas ad eos mittant, quibus videre possint: concurrit cum meis auribus, vt audiant, & cum ipsis rebus, à quibus procedit sonus, musica, aut verba quæ sum auditurus; concurrit cum ore meo & gustatu ad comedendum & gustandum, & cum ipsis cibis, vt suum mihi saporem impertiant: & dum ego dormio, adiuuat, vt sumptus cibus concoquatur & incorporetur, & vt respirem: cum meo etiam intellectu & voluntate concurrit ad omnes eorum actiones: & vniuersim concurrit cum illis omnibus, qui in reliqua
a *Isa.* 26 12. me adiuuant, nam vt ait Isaias a *omnia opera nostra operatus est nobis*; & ipse Christus Do-
b *Joan.* 5. 17. minus dixit, b *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* O Trinitas beatissima, quæ cum rebus omnibus ad earum actiones operaris, gratias tibi pro innumeris beneficijs, quæ singulis earum in ea cooperatione confers. Fac Domine semper in me quod tibi placet, vt concursus tuus cedat semper in meum commodum, & in tuam gloriam in æternum. Amen.

III. PERPENDENDA præterea est lex infallibilis & immutabilis, qua Deus statuit cum suis creaturis concurrere; nam cùm ipse
1. *p. q.* 105. *a.* 6. sit liber, & concurrat sponte, quia ita vult, adeò est tamen certum, illum non defuturum, atque si aliud facere non posset; nisi miraculo aliquando cõcursum huiusmodi subtrahat, ad gratiæ & gloriæ suæ manifestati-

onem,

onem, & in bonum ſuorum Electorum, ſicut fecit in fornace Babylonica, ne tres pueros c *tangeret omninò ignis: nec contriſtaret, nec quicquam moleſtiæ inferret*, & in ſimilibus aliis miraculis. Eſtque tanta ſupremi huius Creatoris bonitas, & fidelitas, vt quando homo peccare decreuit, & iniuriam aliquam ipſi inferre, non tamen ſuum hunc concurſum ſubtrahat; ſed potiùs, vt eius libertatem conſeruet; nec hanc cum eo concurrendi legem, quam ſibi ipſe poſuit, violet, ſed ad illam quoque actionem, in qua eſt peccatum, ſuum præbeat concurſum, toto tempore, quo illa durat. O bonitas immenſa! ô infinita ſupremi noſtri Creatoris profuſio! quæ bonitas hæc maior eſſe poteſt, vt re ipſa, & actu benefaciat ei, qui actu & reipſa abutatur eodem bono, vt iniuria afficiat ipſum benefactorem! ô dilecte mi, ne permittas abuti me tua omnipotentia, ad faciendũ quod tibi diſplicet; ne ſinas me abuti creaturis tuis, cum quibus tu ipſe concurris, vt me oblectent; & mecum, vt ab eis delectationem accipiam. Et quandoquidem d *in te ſum, moueor & viuo*, omnes meæ actiones tibi ſint dicatæ, in quibus ſolam tuã gloriã quæram in æternũ.

c *Dan.* 3. 50

d *Act.* 17. 28

HINC tandem eoſdem deducam affectus, quos in primo puncto, præcipuè humilitatis, perpendens, me nullas habere vires, ad aliquid per me ipſum, abſq; Dei concurſu faciendũ, & quamuis Deus me conſeruaret in meo Eſſe, ſi tamen ad agendũ non concurre-

IV.

Med. 1. *p.* 2.

ret mecum, essem tanquam truncus & res prorsus inutilis; id enim est quod dixit Apostolus e *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed tota nostra sufficientia ex Deo est*, à cuius voluntate sine detrimento tamen nostræ libertatis, dependemus in omnibus actionibus, ita vt f *sine eo nihil* prorsus *facere possimus*, nec propterea de aliqua re gloriari quasi nostra esset propria, & non ab ipsius manu accepta; sicut non potest g *gloriari securis contra eum, qui secat in ea nec serra exaltari contra eum, à quo trahitur*, vt sibi soli secandi actionem tribuat, & non artifici. Quare h *humiliare*, anima mea, vsque ad abyssum huius nihili *sub potenti manu Dei, vt te exaltet in tempore visitationis* generalis, cum venerit ad rationem exigendam operum tuorum, quæ ipso tecum concurrente feceris. O Iudex supreme, qui te adeò nunc liberalem præbes, ad concurrendum cum omnibus hominibus, in omnibus actionibus, quas libera sua voluntate efficere volunt: i *incipias* quæso per gratiam tuam in me omnia *opera*, quæ fecero, & *perfice*, quæ inceperò, *vt in die* Iudicicij, CHRISTI IESV sine pudore compaream coram te, dignusque sim qui tecum exalter in regno tuæ gloriæ. Amen.

e *Ioan. 15. 5.*

f *Isa. 10. 15.*

g *1. Pet. 5. 6.*

h *i Phil. 1. 6. & 2. 13.*

(*)

MEDITATIONES DE PROVIDENTIA DEI.

QVAMVIS *in præcedentibus Meditationibus multa sint dicta, quæ diuinam prouidentiam concernunt, quatenus illa in omnibus operibus elucet, quæ procedunt à bonitate, charitate, misericordia, sapientia, & omnipotentia Dei: & in creatione mundi; nunc tamen magis in particulari de ijs agemus, quæ ipsius diuinæ prouidentiæ sunt propria, circa gubernationem suarum creaturarum, & nominatim hominũ; de quare instituemus aliquot Meditationes, in quibus meritò se exercebunt omnes, qui desiderant assequi perfectionem; & quicunque alij, qui vitam hanc cupiunt transigere cum aliquo profectu & consolatione tam animæ quàm corporis. nam ad hoc totum ita notabiliter hæc res est adiutura, vt ego non possim assequi, quomodo possit in hac vita quietem, & pacem, & verum cordis solatium habere, qui nõ sit in diuina hac prouidentia benè fundatus: nec scio qua ratiõe possit quis dolori nimio, aut turbationi, aut desolationi, quæ diu duret, dare locum, propter rem vllam creatam, nisi propter culpam si fide viua ad secreta prouidentiæ diuinæ profundè penetret, sicut apparebit in ijs quæ de ea subijciemus.* S. Thom. 1 p. q. 22.

MEDITATIO XXIX.

IN QVO CONSISTAT Prouidentia Dei erga ſuas creaturas: & de innumeris beneficiis quæ ab ea nobis proueniunt.

PVNCTVM. I.

S. Thom. 1 ſ. q. 22. a. 1.

PRIMÒ conſiderandum, quid ipſa ſit prouidentia diuina. ex huius enim cognitione proueniet illius æſtimatio, amor, fiducia, veneratio, & ſubiectio, quam illi debemus. Prouidentia, teſte Sancto Thoma, eſt quædam diſpoſitio, & ordo mediorum omnium, quæ Deus conſtituta habet, vt fines ſuos aſſequatur; & ſimiliter mediorum omnium, quæ prouidet ſuis creaturis, vt & illæ fines ſuos aſſequantur, in quos fuerunt creatæ. In qua re tria præcipua ſunt perpendenda, excerpta ex Meditationibus præcedentibus.

1. Medit. 5.

PRIMVM eſt, quod Deus Dominus noſter, diuino ſuo intellectu à diuina ſapientia ſua illuſtrato, ab æterno cognoſcat & comprehendat omnes fines, quos obtinere & quærere poſſunt ipſius creaturæ; & omnia media neceſſaria & conuenientia, quæcunque

que ſunt & eſſe poſſunt ad eos fines conſequendos; & ſimiliter nouerit omnia impedimenta, quæ poſſunt euenire, & media quibus illa tollantur, aut præueniantur, ita vt reipſa DEVS ipſe intentum ſuum finem aſſequatur, & creaturæ eo modo aſſequantur ſuum, quo ipſe DEVS voluerit. Ex quo efficitur, vt prouidentia DEI non poſſit ob alicuius rei ignorantiam deeſſe aut deficere, ſicut euenit prouidentiæ hominum, de quibus ait Sapiens: a *Cogitationes mortalium timidæ* ſunt ac dubiæ, a *& incertæ prouidentiæ noſtræ.* Propter exiguam enim noſtram ſcientiam, magnam verò ignorationem, facilè hæremus, verumne ſit an falſum, quod cogitamus; & num ſit bonum futurum an malum, tutum an periculoſum quod prouidemus.

a *Sap.* 9. 14.

II. SECVNDVM eſt, quòd DEVS Dominus noſter diuina ſua voluntate, plenâ infinitâ bonitate & charitate, ex omnibus finibus ac mediis, quæ diuina ſua ſapientia cognouit; voluit & reipſa elegit altiſſima & ſuprema, ſuiſque creaturis maximè proportionata, iuxta vniuſcuiuſque naturam & capacitatem.

S. Thom. 1. *p. q.* 103. *a.* 1.

1. PRIMVM enim, omnes illas voluit ad ſeipſum dirigere, ob ſuam gloriam, & ad reuelandam bonitatem & perfectionem ſuam; qui ſupremus eſt finis omnium qui eſſe poſſint, iuxta illud Sap. b *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus:*

b *Prou.* 16. 4

PRAE-

2 PRAETEREA vnicuiq; creaturarum ſpeciei proprium aliquẽ conſtituit finem, mediaq́; proportionata, quibus illum cõſequeretur: ſed prę omnibus tamen creaturis exaltare voluit Angelos & homines, ad altiſſimum & ſupremum finem poſſibilẽ, incomparabiliter maiorem, quàm eorũ natura exigebat: vt eſſent videlicet beati, ſicut eſt ipſemet, c *videntes illum* clarè & *ſicuti eſt*; eumq́; diligẽtes ac fruentes eius gloria. Ad quem finem conſequendum, prouidit nobis de omnibus neceſſariis & conuenientibus mediis in magna abundãtia, nã cum eius bonitas & charitas eſſet infinita, non voluit eſſe parca in eligẽdis & prouidendis ſufficientiſſimis mediis, ad finem tanti momenti conſequẽdum.

1. part. Medit. 1.

c Ioan. 3. 2.

III. TERTIVM eſt, quòd Deus Dominus noſter diuina ſua Omnipotentia, ab ipſo mundi exordio cœperit reipſa vti mediis, quæ elegerat, & eadem omnipotentia eiſdem nunc vti pergat, ac in poſterũ ſit vſura; nec poſſit deficere in eorum vſu propter aliquem omnipotentiæ ſuæ defectum, quæ terminum non habet, ſicut noſtra potentia: Vt hinc conſtet, Dei prouidentiam tribus his Attributis prę-cipuè inniti, Sapientię videlicet, Bonitati, & Omnipotentiæ, quę ſunt fons diuinorum beneficiorum, vt ſuprà eſt dictum.

Medit. 16.

HAS tres conſiderationes accommodabo prouidentiæ, quã Deus de me habet, perpendẽs, quòd omnes meæ neceſſitates & miſeriæ ſint illi notæ, & bona, quæ mihi deſunt, tam

corpo-

corporis quàm animæ: noueritq; omnia media, quæ conferre possunt ad eruendum me à malis, & largienda mihi bona; quia est infinitè sapiens. Potest item eadem media, prout voluerit, executioni mandare, & adhibere; quia est omnipotens. Deniq; quia summè bonus & beneuolus Pater est, vult ac desiderat, vt ad vltimum meum finem perueniam: ideoque dat mihi media ad id conuenientia. quare certissimus esse possum, mihi, cum tali prouidentia, nihil defuturum; quandoquidem nec ex ignorãtia, nec imbecillitate, nec ex malitia defectus aliquis in ea inueniri potest. Lætare itaque anima mea, & animo exulta, quòd sub adeò suprema & alta prouidentia vitam tuam ducas, d *omnem solicitudinem tuam proiiciens in eum, quoniam ipsi cura est de te.* Si tua prouidentia est incerta, Deus eius defectus supplebit; sapientia sua tuam ignorantiam; sua omnipotentia, tuam imbecillitatem; sua bonitate, tuam malitiam. Habeas tu curam Dei, & Deus geret curam tui. O Deus animæ meæ, ineamus, quæso, firmissimè hoc pactum, vt mei curam geras, & ego tui: & procul dubio tu eris mihi curæ, si speciali tua prouidentia mei curam gesseris. Ex nunc magno animi gaudio dicam, e *Dilectus meus mihi, & ego illi*: res meæ sunt illi curæ, & res ipsius mihi; ille consulet honori & commodo meo; & ego attendam diligenter gloriæ & obsequio illius, in æternum, Amen.

d 1. Pet. 5. 7.

e Cant. 2. 16

PVNCTVM II.

Ex hoc pergam ad considerandà innumera & infinita bona, quæ in diuinâ prouidentia latent, vt ad eius amorem alliciar, & illi confidã: præmittemus verò quoddã eorũ cõpendium; quæ postea fusiùs expendemus.

I. PRIMVM itaque perpendam, quòd diuina prouidentia sit mater mea, quæ dat mihi
a *Isai.46 3.* Esse quod habeo, & à *portat me in vtero suo, & gestat in vulua*; est mea *nutrix*, quæ me nutrit
b *Osea 11.3.* ac sustentat, & b *portat in brachijs suis*, tanquam infantem; est *pædagogus*, quia semper mihi est à latere, & me in omnibus viis me-
c *Sap. 14. 3.* is comitatur: est *regina* mea & *gubernatrix*,
d *Isa. 48.17* *quæ me gubernat* in toto vitæ meæ decursu; *est* d *magister & consiliarius* meus, quia *docet me*, quæ nescio, consulit in dubijs ac ducit *gubernatq; in via*, & in rebus agendis, ne aberrem; est *protectrix* in meis necessitatibus & periculis; quia in omnibus adest mihi ipsius auxilium; est mea *consolatrix* in afflictionibus & tristitiis, quia ad omnia plurimas mihi adfert causas & rationes. Ac denique quotquot charitatis & misericordiæ officia fingi possunt, omnia sunt in Dei prouidentia, cum eminentia infinita. obit enim officium Patris, Amici, medici, iudicis, pastoris, & reliqua. Ex quo intelligam, debere me erga diuinam prouidentiam omnes affectus elicere, amoris, fiduciæ, gaudij, & laudis, quos talia officia exigunt, eamque vt filium decet diligere, & ad illam tanquam ad matrem re-

currere,

currere, comitemque illi me adhibere directionem ab illa, consilium, auxilium, remedium, & consolationem petere.

II. DEINDE perpendam, quod eadem diuina prouidentia, sit primus fons bonorum omnium corporis & animæ, temporaliũ & terrenorum, quæ hactenus accepi, & accepturũ me spero; & illorum omnium, quibus nunc fruũtur creaturæ reliquæ cæli & terræ. Quapropter dixit S. Dorotheus, Nihil sine diuina prouidẽtia fieri, & *vbi prouidentia, ibi* inquit *omninò bonum est, & omnia ad vtilitatem animæ fiunt*: Omne scil. bonum, honestum, vtile, ac delectabile. Nam diuina prouidentia fons est virtutum & gratiarum cælestium, quæ faciunt nos iustos; & bonorum temporalium, quæ nos iuuant ad vitam ducendam; & omnium deliciarum, quę proueniunt ab vtrisq; Per eandem quoque liberamur à contrariis omnibus malis, vel quia illa nos ab eis præseruat ne incidamus; vel ab eisdem, si incidimus, extrahit. nam in vtroque vult Deus prouidentiam suam varioſq; modos quibus eam nobis applicet, ostẽdere: Quamobrem de diuina prouidentia dicitur, e *quod dignos se ipsa circuit quærens, & in vijs ostendit se illis hilariter, & in omni prouidentia occurrit illis, & illum prior ostendit*, gerens illorum omnem curã possibilẽ, & omnes adhibens modos prouidentiæ, qui erga illos haberi possunt, ad eosdem bonis omnibus replẽdos, vt iam iam aperiemus. Oprouidẽtia suprema, quæ f *aperis*

Serm. 13.

e *Sap.* 6.17.

f *Ps.* 103.28.

manum

manum tuã, vt omnia impleantur bonitate & benedictione tua; ego te adoro, & glorifico tã quã reginam & matrẽ meam; ac ſupplico, vt facias mecũ matris & magiſtræ officiũ, protectricis & conſolatricis meæ, & adiutricis vniuerſalis in rebus omnib. meis. Si enim te propitiam habuero, omne bonũ habebo, &, ſi tũ me deſerueris, omnibus replebor malis.

PVNCTVM III.

TERTIÒ eſt conſiderandum, quòd diuina prouidentia in eo ſit tota, vt ſuarum creaturarum curam gerat.

I. SED perpendenda eſt PRIMVM differẽtia inter Deum & homines. nã horum qui alios gubernant & aliorum curam gerunt, opus habẽt ſui ipſorum curã gerere, & rerũ propriarum; quæ adeò ſolent illos occupare, vt non relinquant illis locum circumſpiciẽdi, quæ aliis eſſent neceſſaria; at Deus Dominus noſter (vt ait S. Thom.) non indiget vlla prouidentia ſui ipſius aut rerum ſuarum, quia intra ſeipſum habet omne bonum, ita vt nihil ſibi deeſſe poſſit, neque aliquid aliunde ſibi acceſſurum ſperare. Tota igitur eius prouidentia reſpicit alios, creaturas videlicet, quas creauit, vt haberet, in quem ſuam prouidentiam exerceret: quæ, quòd ſit infinitè perfecta, magna perfectione prouidet, quidquid ipſi incumbit; quia ipſe voluit in ſe recipere talem prouidentiam.

1. p. q. 22 a. 1

II. HINC eſt, quòd prouidẽtia diuina ad omnes omninò creaturas, ita ſe extedat, vt nul-

S. Thom. ſupra a. 2.

lam

lam excludat; & ad omnes homines, ita vt nullius obliuiſcatur, etiam viliſſimi & abiectiſſimi, nam vt ait Sapiens. h *puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus*. Quare ne deficias, anima mea, aut amittas confidentiam tuam, cùm tuam paruitatem aſpicis. nam qualis qualis es, Deus te effecit; qui nunquam à ſua prouidentia excludit, quem ſua omnipotentia fecit; & qui non eſt dedignatus te creare, neque gubernare dedignabitur.

h Sapi. 6.8

HINC etiam prouenit, vt ipſemet: Deus per ſeipſum ſuæ prouidentiæ ſit executor. Licèt enim per alias creaturas prouideat alijs, ipſe tamen per ſeipſum omnibus aſſiſtit, in omni loco, & in omni tẽpore. nam (vt ſuprà eſt dictum) ipſe eſt in totõ mundo, & in rebus ſingulis per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, ſciens quidquid fit, i *nam ipſe agnoſcit omnẽ operam hominis* & adiuuat, vt fiant, & omnia prouidet admirãda ſua gubernatione, & quamuis k *Deus* qui *hominẽ ab initio conſtituit, reliquerit illum* (vt ait Sapiens) *in manu conſilij ſui & aquam & ignẽ appoſuerit ei, vt ad quodcunq; voluerit, porrigat manũ ſuam*; non propterea deſerit eorum prouidentiam, vel actionum eorum etiam liberarum: nam oẽs eas aut dirigit is, aut permittit, ad fines, quos ipſe habet ſibi propoſitos.

III.
S. Thom. ſuprà a. 3.

Medi. 14.

i Eccl. 15. 20

k 15. 14.

HINC denique prouenit, vt nihil in hoc mundo eueniat caſu, reſpectu Dei Domini noſtri quamuis reſpectu hominum multa

IV.
S. Thom. 1. p. q 116. a 1.

casu eueniant. nam Deus infinita sua sapientia nouit quidquid euenit, antequam eueniat; & sua prouidentia ita rem totam direxit & permisit propter supremum finem suæ gubernationis, propter suam videlicet gloriam & manifestationē suæ misericordiæ iustitiæ, & reliquarum suarum perfectionum; propter bonum quoq; Iustorum & Electorū, quorum prouidētiam modo gerit excellentiori, l *conuertens* (vt ait Apostolus) *omnia quæ* eueniunt, *in bonum diligentium Deum*. Ex quibus omnibus hoc concludo, quòd vt fruar diuina prouidentia, ac diteſcam infinitis thesauris in ipsa inclusis, multùm iuuerit, altè de ea sentire, & tribuere illi omne bonū tanquam fonti & principio, vnde illud procedit; & credere viua ac certissima fide, quòd de ea hactenus diximus, & postea dicemus, eo modo quo Deus illa reuelauit, & varijs experientijs manifestauit. Ex quibus magnā concipiam de prouidentia ista confidentiam, & simul magnam resignationem, eo modo quo dicetur inferiùs.

l *Rom.* 8.28.

Medit. 49.

ET super omnia diligam summè Patrem ipsius prouidētiæ, qui tanto amore suis creaturis consulit; reddamq; illi amorem, & obsequia pro tanta prouidentia, quam de me & rebus omnibus gerit. O Pater beniguissime ac prouidentissime, qui prouidentia adeò admirabili, prospicis omnibus creaturis, & ijs multò magis, qui fide amore accensa confidenter se proijciunt in manus tuas. qui-

bus

bus ego me Domine committo; ſiquidem m *in illis ſunt ſortes meæ*; dirige ergo tua prouidentia omnes actiones meas, vt ita oculis tuis placeant, vt felix mihi ſors contingat æternæ tuæ beatitudinis, Amen. m *Pſal.* 30. 16.

MEDITATIO XXX.

DE PROVIDENTIA DEI in gubernatione mundi & hominum.

PVNCTVM I.

PRIMÒ tanquam fundamentum huius Meditationis, conſideranda eſt altiſſima prouidentia, quam DEVS Dominus noſter in mundi creatione erga homines oſtendit; & breuiter reſumenda ſunt quæ in præcedentibus Meditationibus ſunt poſita.

Nam PRIMÒ Deus fabricauit domum, in qua homines habitarent, iaciens eius fundamenta, muros erigens, & teſtudinem ſupra conſtruens, Cœlum videlicet; Terram, & elementa, quæ inter vtrunique iacent. I.

DEINDE tribus primis diebus fecit diui- II.

siones & separationes, sicut qui in domo sua diuersa facit cubicula, atria, & aulas, pro diuersitate eorum, qui illam incolent. Simul quoque plantauit hortos, & domos recreationis, & loca in quibus arbores consererentur, quarum fructus alimentum essent viuentium: & in occultis terræ cauernis posuit thesauros auri & argenti, quibus homines ditescerent: item luminaria adhibuit, quæ die noctuque lucem suam darent.

III. POSTEA prouidit habitatores maris, aëris, & terræ, singulis communicans facultates & potentiam, vt in specie sua multiplicarentur, vt perpetua esset in ea specie successio, quamdiu mundus staret.

IV. VLTIMÒ tandem creauit hominem, quẽ constituit Dominum huius domûs, & fortunarum eius, cum vsufructu omnium, ac dominio, non quidem absoluto, sed ipsius Dei dominio subiecto; & cum onere reddendi ei rationem, quomodo scilicet reliquis creaturis & fortunis sibi traditis esset vsus, sicut œconomi solent rationem reddere suis Dominis.

HOC totum modo superiùs declarato, est perpendendum; & attendendum, quàm integra fuerit & absoluta prouidentia Dei in hoc opere Creationis; siquidem nullus paterfamilias aut princeps est, qui domum aut palatium ædificare possit cum tanta rerum omnium ad destinatos sibi fines necessariarum prouisione, atque Deus hanc huius mundi

domum

domum pro nobis fabricauit. Quod totum mihi ipsi licebit applicare, expẽdendo quòd DEVS Dominus noster, antequam ego nascerer, designauit mihi sua diuina prouidentia locum, particularem domum, & fortunas, quibus possum vitam meam transigere; & quæ mei maiores suo labore compararunt ijs, nunc ego cum quiete vtor. Propter quæ omnia, ingentes ei gratias agam, studens eius prouidentiam imitari in cura animæ meæ, ita vt antequam illa ex hoc mundo exeat, cõparauerim ego illi bonis operibus domum, fortunas, & diuitias in altero. nam qui me absque meis meritis, mera sua gratia in hoc visibili mundo creauit, non vult me ad inuisibilem transferre, nisi cum ipsius gratia, mea etiam merita coniungantur quod fiet si vtar fideliter bonis & fortunis, quas mihi hic dedit, vt a *facerem mihi amicos, qui, cùm defecero, recipiant me in aeterna tabernacula*. O Creator amantissime, qui admiranda prouidentia, ab ipso mundi exordio bona mihi præparasti, quibus nunc fruor; concede mihi quæso, ita rectè ac fideliter illis vti, vt quando in fine mundi, rationem à me exegeris, bonam reddere possim, Amen.

a *Luc. 16. 9.* 3. *Part. Meditat. 52.*

PVNCTVM II.

DEINDE considerandum, quòd Deus Dominus noster, statim atque mundum creauit, ipsemet ex prouidentia sua, recepit

Ad Ecclesiæ Romanæ Ecclesiæ, ut ipsa Ecclesia Romana
Romanam. Ecclesiæ, ut ipsa Ecclesia Romana
Ecclesiæ Romanæ Ecclesiæ, ut ipsa Ecclesia Romana

1.
Ad Ephesum.

Ecclesiæ Romanæ Ecclesiæ, ut ipsa Ecclesia Romana
Ecclesiæ Romanæ Ecclesiæ, ut ipsa Ecclesia Romana
Ecclesiæ Romanæ Ecclesiæ, ut ipsa Ecclesia Romana

Ad Philadelphiam.

Ecclesiæ Romanæ Ecclesiæ, ut ipsa Ecclesia Romana
Ecclesiæ Romanæ Ecclesiæ, ut ipsa Ecclesia Romana
Ecclesiæ Romanæ Ecclesiæ, ut ipsa Ecclesia Romana

Ad Smyrnæos.

Ecclesiæ Romanæ Ecclesiæ, ut ipsa Ecclesia Romana
Ecclesiæ Romanæ Ecclesiæ, ut ipsa Ecclesia Romana
Ecclesiæ Romanæ Ecclesiæ, ut ipsa Ecclesia Romana

Ad Polycarpum.

Ecclesiæ Romanæ Ecclesiæ, ut ipsa Ecclesia Romana
Ecclesiæ Romanæ Ecclesiæ, ut ipsa Ecclesia Romana
Ecclesiæ Romanæ Ecclesiæ, ut ipsa Ecclesia Romana

Ad Romanos.

Ecclesiæ Romanæ Ecclesiæ, ut ipsa Ecclesia Romana
Ecclesiæ Romanæ Ecclesiæ, ut ipsa Ecclesia Romana
Ecclesiæ Romanæ Ecclesiæ, ut ipsa Ecclesia Romana

Ad Philippenses.

Ecclesiæ Romanæ Ecclesiæ, ut ipsa Ecclesia Romana
Ecclesiæ Romanæ Ecclesiæ, ut ipsa Ecclesia Romana
Ecclesiæ Romanæ Ecclesiæ, ut ipsa Ecclesia Romana

Ad Antiochen

& pacem, moderans earum discordias & dissensiones in cõmune bonum vniuersi; ideoq; omnes homines vniri poterunt, & esse inter se cõformes, si gubernationi legibusq; vnici gubernatoris, qui omniũ est finis vltimus, se se accõmodent. Quamuis, vt eorum consulat libertati, non velit hic gubernator, eos cogere, sed tantùm inuitet, alliciatq; verbis illis dulcissimis, quę dixit per Isaiam, c *Ego Dominus Deus tuus, gubernans te in via qua ambulas*, in ratione scilicet vitæ quã ducis. *Vtinam attendisses mandata mea: facta fuisset sicut flumẽ pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris.* O mundi gubernator vnice ac supreme, cuius nutui & gubernationi creaturæ oẽs rationis expertes, absq; vlla resistentia parent; si quidẽ adeò desideras, vt & nos homines tibi obediamus: da nobis quod iubes, vt impleamus quod desideras; & iustitiam pacemque consequamur, quam nobis promittis, Amen.

c *Isai.* 48 17

TERTIÒ perpendenda est infinita Dei bonitas & liberalitas, quę in hoc ipso apparet, quod ita per seipsũ gubernet singulos, attendẽs quid cuiq; sit necessarium, vt nõ sibi soli totam gubernationem retineat, sed aliquas creaturas eius faciat participes, hunc illis honorẽ deferens ac dignitatẽ, vt alias gubernent ad quod præstandũ sufficienter illas instruit, & ita vult homines esse subiectos ijs, qui talem authoritatem ab ipso acceperunt, & eius loco ac nomine eos gubernant, ita vt d *qui illis resistat, Deo ipsi resistere censeatur*, vt ait

III.

d *Rom.* 13.

vt ait Apoſt. *quia omnis poteſtas* eorum *eſt a Deo* qui ſua infinita prouidentia aſſiſtit ijs, qui eius nomine præſunt & gubernant, eorumq; defectus in gubernando ſupplet ac reparat, educens ex eorum erratis aliquid boni pro ſuis Electis. Gratias tibi, gubernator ſapientiſſime, pro ſingulari hoc tuæ gubernationis modo, ita tibi proprio, vt in alio nullo poſſit inueniri. guberna itaque Domine eos, qui nos tuo nomine gubernant, vt rectè id faciant; & nos quoque guberna, qui ab illis gubernamur, vt propter te illis ſubijciamur; confidentes tuæ prouidentiæ, quæ omnia conuertet in maius noſtrum bonum.

PVNCTVM III.

TERTIÒ conſiderandæ ſunt admirandæ huius gubernationis DEI Domini noſtri excellentiæ.

I. PRIMA eſt: quòd ſit gubernatio paterna. ſic enim Sapiens Deum appellat *Patrẽ*, cùm dicit a *Tua, Pater, prouidentia gubernat*. ideoque gubernat ſuauiſſimè b *diſponens*, vt idem Sapiens dixit, *omnia ſuauiter*; dans vnicuique magnã propenſionẽ ad proprium ſuum finẽ, ad quẽ hęc gubernatio dirigitur. Et quoniam beneuolus hic Pater vidit hominẽ à natura ſua, propter ſpiritũ ſibi inditũ, inclinare ad virtutẽ; ſed à carne, cui ſpiritus erat coniunctus, aliquam ſuſtinere contradictionem; ita in initio diſpoſuit, dando illi donum Iuſtitiæ Originalis, qua efficeretur, vt caro omninò

a p. 14. 3:
b p. 8. 1.

eſſet

esset spiritui subiecta, vt propensio ipsius spiritus præualeret: post peccatum verò originis, dat nobis etiam supernas virtutes, quæ sunt potentes & efficaces propensiones ad reddendum c *iugum legis* valde *suaue*. c *Mat* 11. 30

SECVNDA excellentia est, quod hæc gubernatio sit etiam efficax, vt simul sit suauis & fortis. ita enim Sapiens dixit: d *Sapientia diuina attingit à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*; quia omnia sunt ipsi subiecta, e *nec est qui voluntati eius possit resistere*: estque ideò potens, vt efficere possit, vt velimus quod ipse vult, & quidem ita, vt in eo volendo delectationem & voluptatem sentiamus: Id quod est proprium diuinæ sapientiæ & omnipotentiæ. II. d *Sap.* 8. 1 - *Ester* 13. 9. e *Rom.* 9. 19

TERTIA excellentia est, quod ea gubernatio sit iusta. nam etiamsi ipse sit Dominus absolutus omnium, nec vlli redditurus sit rationem eorum, quæ facit; gubernat tamen cum omni rectitudine & iustitia, dans vnicuiq; rei quod secundum propriam naturam conuenit; & homines gubernat promittēdo præmia, & minando supplicia, in quo etiam seruat iustitiam cum omnibus, quamuis paterna misericordia plenam. minatur enim tanquam Pater, desiderans, vt omnes finem assequantur eius gubernationis. III.

QVARTA excellentia est, quod sit gubernatio vtilissima omnibus, qui gubernantur. nam (teste S. Thom.) gubernatio Dei tres habet in genere affectus, in quib. innumeri alij IV. *q.* 103. *a.* 4.

continentur. PRIMVS est, assimilari summo bono, per participationem infinitæ ipsius bonitatis. SECVNDVS est conseruatio in accepto bono, ne eo priuemur, aut illud imminuatur. TERTIVS est fortiter & suauiter permouere nos ad eiusdem boni augmentum & perfectam possessionem.

PERPENDENS itaque has quatuor diuinæ gubernationis excellentias debeo in vnaquaque earum lætari & exultare, ob infinitam bonitatem, sapientiam, iustitiam, & omnipotentiam supremi huius gubernatoris, & felicem me existimare, quod sim sub eius gubernatione; gratiasq; agere etiam propter istum modum, quo me gubernat, supplicãs demisse, vt me ita adiuuet, ne ab eius directione vnquam discedam. O anima mea, si necesse est te gubernari, quem præstantiorẽ gubernatorem, & commodiorem gubernationem potes desiderare? si tali gubernatori parueris, quid tibi deesse potest? *Dominus regit me*, ait Dauid, *nihil mihi deerit*, nec vita mihi deerit, nec salus, nec honor; nec quies; nec vllum temporale bonum, quod ad æternum consequendum vsui mihi esse possit, vnquam deerit; & multò minus deerit virtus, gratia, sapientia, & cœlestia dona, quæ mihi ad æterna consequenda erunt necessaria. Solum mihi deerit, quod nihil est scil. peccatum, si Dei gubernationi me subiicio. nã quidquid est aliquid, quod ad animæ meæ bonum conferat, id mihi ipse dabit abundã-

f *Psal.* 22. 1.

ter.

ter. O dilecte mi, tu me rege, & benè regar; tu me guberna, & gubernabor benè: ne quæso ego meipsum gubernem, nec me gubernet mundus, nec caro, nec vllus alius, qui extra tuam sit gubernationem, à qua totum meum pendet remedium.

Ex his considerationibus discam imitari hanc Dei gubernationem, cum quatuor his proprietatibus, quæ in ipsa Dei gubernatione relucent, si aliquos Deus mihi commiserit gubernandos. eo enim perfectior erit humana gubernatio, quo erit similior diuinæ. procurando (vt ait S. Petrus) g *ne sit vt dominantis in subditis*, aut tyranni; nec coacta, *sed voluntaria*, paterna & suauis; non remissa aut pusillanimis, sed efficax & fortis; non iniusta sed iusta; non præcipuè ob *lucrum* gubernantis, sed ob commodum eorum qui gubernãtur, & pro gloria supremi gubernatoris & *principis pastorum* ac gubernatorum mundi, & Ecclesiæ; vt *cùm ille venerit* ad rationem exigendam, & iudicium ferendum, digni illi gubernatores inueniantur, qui percipiant immarcessibilem gloriæ coronam.

g 1. Pet. 5.

PVNCTVM IV.

QVARTÒ, alia quoq; excellentia est cõsiderãda gubernationis Dei, quæ se ita extendit à fine vsque ad finem, vt omnes in vniuersum creaturas complectatur cœli & Terræ, à supremo scilicet Seraphino, vs-

S. Thom. 1. p. q. 103. a. 5. ex S. Aug. 6. de Ciu. & q. 82. a. 2.

que

que ad vltimum & despectissimum vermiculum, circumspiciés magna solicitudine omnia, quæ ad illas pertinent; atque si nihil aliud haberet quod ageret; & quod est consequens, solicitiùs adhuc omnes homines, & eorum singulos gubernat. nam & h *capillos capitis ita numeratos habet*, vt i *nec vnus illorum pereat*. & quamuis homines sint plurimi, ita tamen omnes gubernat, atque si vnus esset solus, nec minorem nunc gerit curam innumerabilium hominum, qui nunc sunt in mundo, quàm octo tantum, qui erant in arca Noë, aut solius Adami, cùm ille esset in Paradiso; quia neque multitudo illum occupat aut distrahit, neque paucitas animum illi aufert; quia ipsius bonitas, vt quæ est infinita, extendit se ad omnes k *pusillos & magnos*, multos & paucos: nam etsi omnes ad ipsius magnitudinem comparati sint parui; ad charitatem tamen eius comparati, omnes sunt magni: Infinitæ autem ipsius sapientiæ, plurimi sunt tanquam vnus. *Nam æqualiter cura est illi de omnibus*. quare licebit dicere cum S. August. *ô tu bone omnipotens, qui sic curas vnumquemq; nostrum, tanquam solum cures & sic omnes tanquam singulos.*

h *Mat.* 10 30.
i *Luc* 21.18.
k *Sap.* 6. 8. Nota.
Lib. 3. *Confess. c.* 11.

Ex his colligam, gubernationem Dei erga me, habere omnes prædictas excellentias: est enim mihi gubernatio ista paterna, est suauis, fortis, efficax, iusta, & vtilis, vt non possim meritò de ea conqueri. Et propterea non sine causa in scriptura ponitur in singu-

lari

lari qui gubernatur, ſicut dixit Dauid, l *Dominus regit* ME, per Iſaiam dicit ipſe Dominus m *Ego Dominus gubernans* TE, vt ego intelligam, ſeruare ipſum mecum ſuæ gubernationis perfectionem. Negari tamen non poteſt, quin ſibi chariores & electos maiori prouidentia gubernet, vt infinitam ſuam charitatem magis manifeſtet. Quò verò ego magis me faciam participem eius gubernationis, iuuerint tria media, in fine proximæ meditationis poſita, vt credam, ſperem, ac diligam ſupremum hunc gubernatorem. Gratias tibi Pater amantiſſime, ob curam quam geris de me, atque ſi ſolus eſſem in mundo; qui tamen omnium ſum miſerrimus. Vtinam ego te ex corde laudarem ob ea bona, quæ omnibus largiris, vt omnes etiam te laudarent, ob ea quæ mihi præſtas, vt ego & omnes ſimul te fruamur in æternum. Amen.

l *Pſal.* 22. 1.
m *Iſa.* 48. 18

MEDITATIO XXXI.

DE PROVIDENTIA DEI circa sustentationem creaturarum & præcipuè hominum, in victu, & amictu, honore, & bonis fortunæ.

HAEC meditatio habebit pro argumento admirandam Christi Domini nostri doctrinam de diuina prouidentia; quare per partes illam accipiemus ex verbis sacri textus.

PVNCTVM. I.

a *Mat.* 6.25 *Luc.* 12 22.

DIXIT a IESVS *discipulis suis: ne solliciti sitis anima vestra, quid manducetis, neq; corpori vestro, quid induamini.*

I. Nimia solicitudo. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 55. *a.* 6. & 7. & 1. 2. *q.* 108. *a.* 3. *ad.* 5.

CONSIDERANDVM primò, quam solicitudinem Christus Dominus noster his verbis prohibeat, quatuor sunt enim, ob quę illa potest esse vitiosa.

PRIMVM, si non sit de rebus ad vitã necessariis; aut statui eius, qui est solicitus, conuenientibus; sed de nimiis aut superfluis; vt si quis cupidè terrena bona thesaurizet.

SECVNDVM, si sit ante tempus & opportunitatem, vt cùm quis tales curas sibi nunc

sumit,

ſumit, quæ non ad hoc tempus pertinent, ſed poſt multos dies:

TERTIVM, quia eſt ſolicitudo inordinata aut in intentione, aut in ordine, cùm temporalia bona priùs quęruntur, quàm ſpiritualia, aut cum horum detrimento, aut cùm per mala media, aut ob malos fines, aut in eis collocando vltimum finem & quietem.

QVARTVM, ſi ſit nimium anxia, etiam in rebus alioquin neceſſariis. talis enim anxietas ſemper prouenit à nimio affectu ad rem ipſam temporalem, & à parua fiducia de prouidentia diuina, quaſi Deo nulla eſſet eius cura, ſed ego ſolus illam eſſem acquiſiturus. Immò propter eandem cauſam vitio tribuitur anxia ſolicitudo, etiam de bonis ſpiritualibus, qualis fuit Marthæ, quando Chriſto miniſtrabat cum turbatione; & aliquorum ſcrupuloſorum aut indiſcretorum, qui ſunt nimium timidi, & puſillanimes in negotio ſuæ ſalutis.

REFLECTENDO itaq; me circa hęc quatuor, ob quæ ſolicitudo reprobatur, examinabo diligenter, num & ego in ea impingã, vt repellere ſtudeã; ne fortè dicat mihi Deus, quod illi diuiti nimiùm cupido, qui in eadem impingebat: b *ſtulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt*? quaſi diceret, quid tibi tanta ſolicitudo prodeſt, & theſauri quos congregas, ſi ſtatim animam tuam repetunt, vt tua vita finiatur, cuius gratia illos congregabas? b *Luc.12.20*

Ex

Ex quo Christus Dominus noster doctrinam de sua prouidentia intulit. *Ideo dico vobis, nolite soliciti esse*, &c. quia Deo cura est, vobis de omnibus prouidere. Sume, anima mea, in diuitis illius cupidi capite experimentum, detestans nimiam in his rebus solicitudinem, nisi velis pœnam etiam subire eius stultitiæ. Audi potiùs supremi tui Magistri lectionem dicentis, c *Omnem solicitudinem vestram proijcientes in Deum, quoniam ipsi est cura de vobis.*

c 1. Pet. 5. 7.

II. DEINDE perpendenda est Christi Domini nostri charitas, qua nimiam solicitudinē nobis prohibuit in nostrum emolumentum; vt nos scil. ab ea molestia & labore expediret, qui illi est coniunctus: & ideo dixit: d *nolite ergo soliciti esse in crastinum, Crastinus enim dies solicitus erit sibiipsi. Sufficit diei malitia*, & molestia *sua*: atq; si diceret: nolite hodie subire labores & curas, quæ pro hoc die non sunt necessarię; sed eas tantum hodie assumite, quæ hodierni diei sunt propriæ; & cras suscipietis eas, quæ erunt crastinæ diei, cùm enim non constet vobis quid sit cras futurum, nec num sit futurum vobis cras, nolite superfluam hanc curam de futuris suscipere quæ fortè non erit ad rem, committite hoc diuinæ prouidentiæ, quæ complectitur omnia tempora, & in singulis prouidebit, quod singulis expediet.

d Mat. 6. 34

SED his omnibus non prohibet Christus Dominus noster studiosam solicitudinem,

quæ procurat res præſétes, & moderata cura etiã præuenit futuras ; quæ vocatur aliàs diligẽtia; quæ quatuor quoq; cõplectitur cõditiones ſuperiùs poſitis contrarias: quia eſt in primis de rebus neceſſariis, aut conueniẽtibus corpori aut animę & ſuo tẽpore, & cũ ordinata intentione & modo in illis quærẽdis; cũ affectione etiam moderata, ſine turbatione & anxietate. Vbi enim hæ ſunt conditiones, nõ aduerſatur ſolicitudo prouidẽtiæ Dei, ſed eius potius eſt effectus, & mediũ ſiue inſtrumentũ, quo vtitur ipſa prouidẽtia ad ſuum finem obtinendũ. Et ita eã ſolicitudinem ac diligentiã commendat nobis ſcriptura ſacra, dicẽs, vt e *ſolicitè ambulemus cũ Deo noſtro*; & vt f *ſoliciti ſimus ſeruare vnitatẽ ſpiritus in vinculo pacis*: & vt g *ſolicitudine ſimus nõ pigri*, ſed ignauiã excutiamus, quę omnia bona opera inficit. O Deus æterne, cuius prouidẽtia ſolicita eſt ſine anxietate, & curã ſuſcipit ſine turbatione, aufer à me ſolicitudinẽ, quã mihi prohibes, & concede quam iubes, vt ſequens ordinẽ pacificæ tuæ plenæq; prouidẽtiæ, ſolicitus ſim de tuo ſeruitio, ſicut tu es de meo cõmodo. Curæ meæ in hoc die totæ in eo ſint, vt de meis præteritis peccatis doleam, & modum quæram, quo nunc tibi placeam, & quo declinem impoſterùm peccata: nam omnis hæc cura & ſollicitudo pertinet ad hodiernum diem: confido autem in tua prouidentia, quòd ſis mihi gratia tua præſto adfuturus, vt idem cras faciam

e *Mich.* 6. 8
f *Epheſ.* 4. 3.
g *Rõ.* 12. 10.

PVNCTVM II.

PERPENDENDA est deinde efficaciſſima illa ratio, qua Chriſtus Dominus noſter exhortatur nos ad confidẽdũ ipſius prouidentiæ. Ait enim; a *Nonne anima plus eſt, quàm eſca! & corpus plus, quàm veſtimentum?*

a *Mat.* 6. 25. *Luc.* 12. 23.

I.

IN hac ſententia tres admirandæ. & vtiliſſimæ veritates proponuntur. PRIMA eſt, quod anima ſit melior & maioris multò valoris & æſtimationis quam eſca! & corpus ſit multò pretioſius, quàm veſtimẽtum. Sub his autem duabus rebus complectitur omnes diuitias, & res pretioſas huius mundi deſtinatas ad ſuſtentandam vitam, & exornandũ corpus ad habitationem, recreationem, & pompam externam: SECVNDA veritas, quòd Deus Dominus nòſter ex mera ſua gratia, nullis noſtris meritis, aut induſtria dederit nobis animã & corpus; ex quo efficitur, vt ex eiuſdem Dei decreto, & diſpoſitione indigeamus eſca ad vitam ſuſtentandam, & veſtimento ad operiendam nuditatẽ, poſtquam Adamus veſtem amiſit innocẽtiæ. TERTIA veritas eſt, quòd qui dedit nobis quod plus eſt & præſtantius, poterit, voletq; etiam adiicere quod eſt multò minus. Et qui animam & corpus ſubiecit neceſſitati alicuius rei minoris momenti, vt conſeruari poſſint, manifeſtè indicat, ſe ſcire, poſſe ac velle etiam illud minus dare, quo melioris neceſſitati ſuccurratur. nam eadem ipſius bonitas, quæ impulit ad primum, permouebit etiã ad ſecun-

dum.

dum. Ex hac itaq; ſententia infert Chriſtus Dominus noſter, debere nos deponere nimiam ſolicitudinem circa eſcam & veſtimentum, & confidere diuinæ prouidentiæ, quæ cùm immeritis dederit res adeò pretioſas, animam ſcil. & corpus, datura ſit etiam eſcam & veſtimentum neceſſarium, quę multò ſunt vilioris pretij: O Creator liberaliſſime, & Magiſter ſapientiſſime, quas tibi reddã gratias, pro excellẽti adeò liberalitate? & quomodo pro tã alta doctrina me gratum exhibebo? credo, Domine, quod dicis, & ſpero à te quod mihi offers: & cõfidẽs tuæ prouidẽtiæ, faciã quidquid mihi iubes, vt gratum me oſtendam propter ea, quæ mihi promittis.

II.

Ex hac Chriſti Domini noſtri doctrina illud etiã colligã, quod quãdoquidẽ anima eſt plus quàm eſca, & corpus plus quã veſtimentum; id tantum ex vtroq; ſumere debeã, quod animæ & corpori erit conueniens, iis reiectis, quæ in eorum cederent detrimẽtum. Eſſet enim nõ tolerandus error, perdere quod plus eſt, pro eo quod eſt minus, animam ſcil. meã aut proximi, vt acquirere poſſim, quod eius reſpectu multò minus valet: quamobrẽ Apoſtolus admirandam illam edidit ſententiam: b *Noli propter eſcam deſtruere opus Dei*, c *perdendo* ſcilicet *cibo tuo animam fratris tui, pro qua Chriſtus mortuus eſt.* O Redemptor dulciſſime, quandoquidẽ dixiſti, d *quid prodeſt homini ſi mundũ vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur*, concede

b *Rom.* 14. 20.
c & 14.16.
d *Matt.* 16 26.

mihi, pluris facere animā meam, quàm totius mundi dominium, & possessionem; & libenter me offerre ad iacturam faciendam omnium, quæ sunt in mundo, ne illa pereat.

III. Ex eadē altissima doctrina colligā vniuersalē regulā confidētiæ in diuina prouidētia, quod scilicet quādo donū aliquod grāde mihi largitur, sit etiā daturus, quod minus est, si ad cōseruandum illud maius hoc fuerit necessariū aut conueniens: & huic regulę innititur, quod ait Apost. e *Qui pro nobis omnibus filium suum tradidit, quomodo non etiam cū illo omnia nobis donauit?* quia, s. omnia sunt minus quā ipse Filius, & dirigūtur ad eiusdē honorē & seruitium. Et qui cælū, & regnū suū nobis obtulit, media etiam necessaria ad illud obtinēdū pręstabit. Et qui ad statū perfectionis, aut Ecclesiæ suę aliquā dignitatē vocauit, etiā ea dabit quę necessaria sunt, ad satisfaciendū status, aut dignitatis obligationi. Deniq; qui propriū corpus, & sanguinē suū in cibū tradit, ad animæ vitā sustentādā, habebit quoq; prouidētiā, vt reliquos det cibos sine cōparatione minores, & ad vitā corporis sustētandā necessarios. O dator liberalissime, qui dans nobis, quod est plus, offers te ad dandum, quod est minus vt illud cōseruetur: das autē mihi immensa tua beneficia, da itaque lucē & perfectā intelligentiam ad illa cognoscēda, & vt par est æstimanda, & simul da gratiam ad tibi seruiēdum, & te propter illa diligēdum, vt hac gratiarū actione

e *Rom. 8. 32.*

id

id promerear, vt tua beneficia semper in me maneant. Amen.

VLTIMÒ perpendã, quod Deus Dominus noster, cùm significat se habere prouidentiã de esca & vestimẽtis nobis necessariis, simul indicat eãdẽ prouidẽtiã se habere de nostris agris, vineis, oliuetis, pratis, gregibus, lino, lana, serico, & vermibus, qui illud conficiũt ac de rebus omnibus, quę ad hanc sustẽtationẽ sunt necessariæ & quod cõsequens est, ab eiusdẽ prouidẽtia descendunt pluuiæ, niues, veniunt vẽti, & bona temporis constitutio, quæ ad hoc iuuãt, quare omnia sunt Domini nostri beneficia, & effectus illius curæ, quam de nobis gerit; quod si illi fidamus, & seruiamus, omnia illa nobis dabit, qui dedit, quòd illis omnib. maius est. Hac itaq; confidentia deponẽda est anxia illa solicitudo, quam adfert nobis pluuiarũ defectus, aut vẽtorũ, aut aliarũ rerũ, & conijcienda tota hæc cura, & solicitudo in ipsum Deũ, ad quẽ res tota hęc tanquã propria spectat: ac dicemus Deus, & Domine noster, qui nobis animã, & corpus dedisti cum onere escæ, & vestimenti; largire nobis hæc bona temporalia, vt maiori confidentia æterna procuremus, Amen. IV.

PVNCTVM III.

RESPICITE a *volatilia cæli*, b *& considerate coruos*, a b *quia non seminant neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cælestis, pascit illa: nonne vos magis pluris estis illis?*

a *Mat.* 6. 26
b *Luc.* 12. 7.

I.

Gen 1.29. Vt sint vobis in escã, &c.

CONSIDERANDA hic primum est stupenda Dei Domini nostri erga aues prouidẽtia, quib. conueniẽs alimentum semper prouidet nõ magnis tantũ, sed etiã paruulis, nec solũ cicuribus, & quæ sunt hominib. vtiles; sed feris etiã, & inutilibus, & quas homines horrent, quales sunt corui, adeoq; gloriatur de hac prouidentia, vt dixerit Iob; a *quis præparat coruo escã suã quãdo pulli eius clamãt ad Deum vagantes eò quòd nõ habeant cibos.* quasi diceret: ego sum, qui prouidentia mea sufficiẽs alimentum præparo coruo, etiã voraci, & in speciẽ parũ vtili, & quãdo is suorũ pullorum obliuiscitur, ego tanquã Pater illos alo, audiẽs clamorẽ, quẽ eorum necessitas ab eis exprimit. Si ergo Pater vester cęlestis, ait Christus, pascit aues, quarum nõ est aliàs Pater sed Dominus, quia illę nõ sunt capaces, vt sint filiæ; quãtò ergo magis vos, qui filij eius estis, & quos multò pluris, quàm illas facit, vos sustentabit? & si Pater vester crocitantes ad se coruos exaudit, & eorũ necessitati quasi cõdolet; quantò magis vestros audiet clamores, famiq; vestræ cõdolebit, quæ vel sola erit instar orationis & clamoris, qui illum ad subueniendum, & præbẽdum alimẽtum permoueat. Laudent te, Pater amantissime, aues cæli, & homines terræ, ob hanc prouidentiã, qua illis de esca prospicis. Aues ipsæ suis cõceptibus, & homines verbis laudum promulgẽt tuas misericordias, propter curam, quam habes in subleuandis eorum miseriis.

a Iob 38.41. a Ps. 146.9.

DEIN-

DEINDE ipſe quoq; modus, ſiue ratio eſt perpendenda, quâ diuina prouidẽtia aues alit, quæ nullam habent ſolicitudinem ſeminandi, aut metendi; nec horrea habent, nec cellaria, quia ipſemet Deus eſcam præparat vnicuique earum neceſſariam, datque ingenium, & induſtriam, vt eam quærant, ac deferant ad ſuos pullos. Nam b *Aquila*, (vt ipſemet Dominus dicit,) *contemplatur eſcam, quam de longè oculi eius proſpiciunt*, quam vbi ad ſuos pullos detulerit, *pulli eius lambunt ſanguinem*, ex ea eſca affluẽtem, quo aluntur. Hirundines ſuſtentat cyniphibus, aut culicibus, quos per aëra volantes capiunt, & hoc cibo pingueſcunt, ſimul comedentes & ludentes, hilaritate magna vtentes eo alimento, quod author naturæ illis ſubminiſtrat. II.

b Iob 39.29.

HINC colligit Chriſtus Dominus noſter, & exhortatur nos, vt nimiam illã ſolicitudiné deponamus ſeminandi, & metẽdi, & nimias prouiſiones in horrea, & cellaria, ac diſpẽſas cõgregãdi: nã idé, qui auib. nihil tale vel cogitantib. prouidet, multò melius nobis filiis ſuis prouidebit; ſi vel moderatã curã, quã ipſe approbat, adhibeamus. Ceſsẽt itaq; anima mea, ex nũc anxiæ illæ curæ, quib. patris tui cæleſtis prouidẽtiã offendis; ſiquidẽ ipſe alit aues nihil ſolicitas, ac propterea etiã te nutriet maiori propenſione, ſi & tũ illi cofidẽs eam ſolicitudinem depoſueris. O Pater amãtiſſ. ex nunc tua prouidentia erit mihi præcipua ſeminatio & meſſis, meum horreũ, meũ

cellariũ. nã sine ea, omnis mea cura & solicitudo erit inanis, cũ ea verò solicitudo moderata ad rẽ erit, valdeq; vtilis, quia prouidẽtia tua supplebit meę solicitudinis defect⁹.

III. TERTIO est perpendendum, quod eadem Deus prouidentia prouideat piscibus maris, & animalibus terræ, conueniẽs alimentũ in magna abundantia; ita vt suo tẽpore nunquã illis desit, & propterea dixit Dauid; c *Oculi omniũ in te sperant Domine & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuã, & imples omne animal benedictione*: d *qui das iumentis escã ipsorum*: e *& catuli leonũ* exeunt de nocte *rugientes, vt rapiant, & quærãt à Deo escam sibi.* O Saluator dulcissime, qui ore tuo sanctissimo dixisti; f *non esse bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*; Si tanta cura canibus alimentum præbes, quantò maiori illud præbebis filiis? si ferarum famem exples, quomodo nó satiabis homines? g *Confiteantur tibi Domine misericordiæ tuæ, & mirabilia tua, quæ fecisti, filijs hominum, quia satiauit animam esurientem, & inanem replet bonis.* h *Tu das escam omni carni, quoniã in æternum durabit misericordia tua* i *Iacta*, anima mea, iuxta consilium Dauidis, *super Dominum curam tuã, & ipse te enutriet*: nec dabit *in æternum, vt fluctues* ab vna in alteram partẽ, eius enim prouidentia erit nutrix tua, quæ te alet; erit clypeus, qui te proteget; anchora, quæ te stabiliet; & corona, quæ te præmio afficiet in fecula, Amen.

c Ps 144. 15.
d Ps 146. 9
e Ps. 103. 21
e Iob 38 39.
f Mat. 15. 26
g Ps. 106. 8
h Ps. 135. 25.
i Ps. 54. 23.

PVN-

PVNCTVM IV.

3 QVIS *vestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum?* b *Si ergo, neque quod minimum est, potestis, quid de cæteris solliciti estis?* Circa hanc sententiam considerandum est, quòd prouidentia diuina ita de nostri corporis statura decreuerit, vt sit impossibile, aliqua solicitudine, aut cura etiam maxima aliquid addere ei, quod Deus constitutum habet, iuxta cuiusque complexionem.

a Matt. 6. 27.
b Luc. 12. 26.

EX quo infert ipse CHRISTVS Dominus, PRIMVM, quòd sicut prouidentia Diuina occultè noctu, dieque efficit, vt corpora nostra crescant, & perueniant ad sibi debitam, & constitutam staturam, nobis non scientibus, quomodo id fiat: ita etiam daturus sit nobis nutrimentum ad id necessarium, & vestimentum aptum illius mensuræ, siquidem qui dat quod plus est, dabit etiam, quod est minus; si hoc sit necessarium ad conseruandum illud. Sæpè verò hæc largitur Deus medijs adeò occultis, vt nos illa non aduertamus, quò manifestiùs agnoscamus eius erga nos curam; & discamus ipsius prouidentiæ fidere, eique diligentiùs seruire. I.

DEINDE infert idem Christus Dominus siquidē nostra solicitudo non potest corpori nostro cubitum vnum, imò nec digitum adijcere, ac propterea conatus esset inanis, id II.

attentare, quod est impossibile; etiam esse iustum, nimiam solicitudinem deponere cibi, & vestimenti, quasi per nosipsos tantùm illa acquirere possemus, quia & hæc erit inanis solicitudo, quæ sine Dei prouidentia id assequi non valebit; *Si*, inquit, *neq; quod minimum est potestis, quid de cæteris soliciti estis*: Siquidē sine me vos assequi non potestis, & ego in me recipio vobis prouidere. O Pater cœlestis, gratias supremæ tuæ prouidentiæ ago, quòd non solùm corpus mihi dederis, sed augmētum quoq; eius & perfectionem; & quamuis ego dormiam, aut vigilans alijs rebus occuper, tu semper huius curam geris; supplex ergo te oro Domine, vt eodem modo profectum cures, & perfectionem spiritualē animæ meę, quæ multò plus valet quam corpus: siquidem c *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed tu qui incrementum das Deus.*

c 1. Cor. 3. 7. Marc. 4. 27.

III.

Ex eadem hac veritate licet etiam cognoscere, quàm deceat me esse contentum, quòd talem habeam staturam, & membrorū proportionem, quæ mihi bona sorte obtigit; siquidem hoc etiam à diuina prouidentia ob cōmodum meum prouenit, & ob eius gloriam, qui illam mihi dedit, qui æquè glorificatur paruo, ac magno, macro ac pingui; & quisq; gratias illi debet pro ea statura, quam habet; nec qui magnam habet, debet se propterea inaniter efferre; nec qui habet, paruam, animum abijcere; verissimum est enim, quod dixit Dauid; d *ipse fecit nos, & non*

d Psal. 99. 3.

ipſinos. Quod ſi ita eſt, quòd ipſe fecerit, e *quis dicere ei poterit, cur ita facis?* Sufficit mihi, Domine, quòd tu feceris vt eo ſim ego cõtentus: &, ſi in me eſſet poſitum, diſſoluere quod tu ſtatuiſti, id tamen tuæ omninò volũtati remitterem: nihil enim rectius mihi eſſe poteſt, quàm tuæ fidere gubernationi. e Iob. 9. 12.

PVNCTVM V.

DE *veſtimento quid ſolliciti eſtis?* a *conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt: non laborant, nec nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis. Si autem fœnum agri; quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit: quanto magis vos, modicæ fidei?* a Matt. 6. 28. Luc. 12. 27.

CIRCA cœleſtem hanc doctrinam conſiderandum primò, quòd prouidentia diuina omnibus rebus viuentibus prouiderit veſtimenta naturæ ipſorũ accommodata. Nam piſcibus dedit ſquamas, auibus plumas, reliquis animantibus aut lanas, aut dura coria, arboribus aſperos & duros cortices. Sed cũ homine vlterius progreſſa eſt diuina prouidentia. nam cum his omnibus natura ſua careret, mirabiliter illum induit gratia ſua, exornans illum in ſtatu innocentiæ Originali Iuſtitia, cuius virtute poterat vitam ducere abſque vlla veſte corporis; nec tamen vllum detrimentum pati, aut b *pudore* aliquo affici, propter *nuditatem.* Sed poſtquam Adamus, & Eua peccato ſuo hac veſte fuerunt ſpoliati, c *conſuerunt* quidem ſibijpſi aliam veſtem, I. b Gen. 2. 25. c Gen. 3. 7.

veſtem, *ex foliis ficus*, vt nuditatem ſuam tegerent; ſed prouidentia diuina videns genus illud veſtimenti accõmodatum non eſſe, ſtatim illis aliud melius prouidit, ex pellibus ſcilicet animalium, quod vel ipſe per ſe, vel per miniſtros Angelos adaptauit, tũ vt præſenti eorum neceſſitati conſuleret, tum vt modum & formam ſe veſtiendi in futurum doceret, & potiſſimum, vt illi, & nos intelligeremus, culpam illã, non ſuffeciſſe ad hoc, vt omninò à Diuina prouidentia excluderemur, & ipſe Deus curã abijceret, nobis proſpiciendi de veſtimento, ſtatui noſtro peccatorũ conuenienti, ſicut proſpexerat de alio cõuenienti ſtatui iuſtorũ. O Pater amantiſſime, & benigniſſime quis te nõ diliget, laudabitq; pro adeo benenola prouidentia, quam habes erga nos! non mirũ erat, quòd qui omnibus animantibus apta veſtimẽta prouidiſſes, etiam hominibus prouideres; ſed illud ſtuporẽ adfert, quòd cum homines culpâ ſuâ reddidiſſent ſe animantibus deteriores, eoſdẽ tamen diuina tua prouidentia non deſeruerit Qui pretioſiſſimam Originalis Iuſtitię veſtẽ lacerauerat, dignus erat, qui nudus perpetuò remaneret, cum perpetuo tum corporis, tũ animæ pudore; ſed infinita tua miſericordia induit eorum corpora pellibus animalium de mortuorũ, deſiderans gratia tua induere eorum animas per pænitentiã. Laudent te Domine, corpus meũ & anima mea, ob ſolicitudinem qua illis proſpicis de con-

uenienti veſtimento, & vtrumq; omnino ſe mancipet tuo obſequio, ſi enim tantam geris curam peccatorum, qui te offendunt, multò geres maiorem iuſtorum, qui tibi ſeruiunt.

II. DEINDE conſiderandum, quòd Chriſtus Dominus noſter vt nobis perſuaderet, deponere nimiam ſolicitudinem de veſtimentis, adferat exemplum ſuæ prouidentiæ in veſtiendis lilijs, & quidem non ijs quæ in hortis hominum induſtriâ & arte creſcunt; ſed ijs quæ naſcuntur in agris, quæ, vt Chriſtus dixit, *nec laborant, neq; nent*; vt vel ſibi nendo, quemadmodũ fœminæ, veſtem faciant; vel laborando ſicut viri veſtem ſibi comparent; ſed ſola prouidentia Creatoris naſcuntur veſtita, tanta iucunditate & pulchritudine, vt *nec Salomon in omni gloria ſua coopertus fuerit, ſicut vnum ex his.* Qui igitur tantam curã gerit veſtiendi lilia, & fœnum, quod hodie eſt, & cras marceſcit, & in clibanum mittitur; quanto maiorem geret hominis, cuius vita diuturnior eſt, qui non fuit conditus, vt mitteretur in clibanum, ſed vt transferretur in Cœlum? O anima mea, ſi huius mundi principes, quamuis Salomone ſapientiores, & potentiores, non poſſunt tam gloriosa veſtimenta ſibi comparare, ſicut Deus lilijs largitur, d *bonum eſt ſperare in Domino, quam ſperare in principibus*: ſiquidẽ à Deo accipere poſſum, quod illi non poſſunt mihi dare.

d Pſal 117. 8

III. TERTIÒ perpẽdam duplicem cauſam, ob quam Chriſtus Dominus noſter nó attulerit

pro

pro exemplo ſuæ prouidentiæ veſtimenta, quæ dederit piſcibus, auibus, & animantibus; ſed quæ dederit lilijs, quę hodie ſunt, & cras in clibanum mittuntur. PRIMA enim cauſa fuit, ad oſtendendam ſuæ prouidentiæ liberalitatẽ, prouidendo nobis de neceſſario veſtimento, quod ſuffeciſſet etiam craſſum, & rude ex pellibus animalium; ſed etiam pretioſum, & ſplendidum proſpexit ad ornatũ noſtrarũ perſonarum, iuxta decentiã noſtri ſtatus. nã dedit nobis aureas telas, ſericas, & alias pretioſas, quibus tamen non ad vanitatem ſed ad gloriam dantis eſſet vtendum. SECVNDA cauſa fuit myſtica, ad manifeſtandam largitatẽ eius prouidentiæ in diſtribuẽdis huiuſmodi pretioſis veſtimentis, non ſolùm iuſtis & electis ad cœlũ; ſed etiã prophanis hominibus, qui ſunt tanquã fœnũ: & quãuis hodiè ſplendeant in ſuis veſtimentis, cras tamen mittuntur in clibanũ, & ignẽ Inferni. Vt hinc etiam appareat, quòd qui adeo eſt liberalis in reprobos, multò erit in electos liberalior; & qui tanta gloria eos veſtit, qui futuri ſunt fomentũ ignis ſempiterni, quãto maiori gloria, & ſplẽdore veſtiet futuros ciues ipſius regni? O gloria mea, gratias tibi, ob adeò pretioſa veſtimenta quę tuis creaturis largiris, ad oſtendendã prouidentiã, quã de illis habes. Lubenti omninò animo & tui amore renuncio veſtimentis gloriæ tẽporalis, optans à te indui pretioſa veſte tuę gratię, & poſtea etiam veſte æternæ gloriæ, Amen.

PVN-

PVNCTVM VI.

NOLITE a *soliciti esse dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur*: b *& nolite in sublime tolli*, a.b. *hæc enim omnia gentes* b *mundi quærunt; Patet autem vester scit, quia his omnibus indigetis.*

a *Matt.* 6. 31

b *Luc.* 12. 29

PRIMVM est considerandũ ingens desiderium Christi Domini nostri, vt eius discipuli deponant nimiam solicitudinẽ harum rerum temporalium, fidantq; Deo, illorum, curam gerenti: hoc enim desiderium aperit, cùm toties repetit, ne simus soliciti de cibo, nec de potu, qui adhuc est minus. Et S. Lucas addit *nolite in sublime tolli*; quo prohibet etiam nimiam solicitudinẽ de rebus aliquibus, quæ ipsius incũbunt prouidentiæ. PRIMVM ne soliciti simus de gloria, honore, & fama; nec de dignitatibus, officijs, & eminentiori loco in mũdo. DEINDE ne extollamur de bonis, quæ Deus nobis est largitus, vt alijs præferri velimus, & c *sublime sapere*, & inflari. TERTIÒ ne altiora nobis quæramus, & quæ facultatem nostram, & merita excedunt, quærentes propterea locum altiorem, aut rem aliquam excelsiorem, quam nostra paruitas mereatur, in quacunque materia id sit. QVARTÒ ne elatis oculis incedamus, curiosè aspicientes signa Cœli, & planetarum, tanquam ab eis exspectantes euentum rerum, quas desideramus: d *nec ea timeamus, quia nec malè possunt facere, nec benè*; sed à diuina prouidentia

I.

c 1. *Tim.* 6. 17.

d *Ier.* 10. 5.

illa

illa ſunt expectãda, ad quam hæc omnia ſpectant, & euentus cuiuſcunq; rei magnę, quàm quærimus; ſiue hominum ſuffragijs res ſit decernẽda, ſiue ſorte, ſiue voluntate Regum, quia nihil horũ caſu euenit, ſed à prouidentia Dei, e *in manibus manu ſunt ſortes noſtræ, quæ*, vt Sapiẽs ait, f *mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur*: & g *cor Regis* etiam ſuis affectibus indulgentis, *in manu eſt Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud.* Et ipſe eſt, qui largitur Imperia, Pontificatum, dignitates, Cathedras, Beneficia, & Officia honorata vtriuſq; Reipublicæ Eccleſiaſticæ, & Secularis. Et quamuis in huiuſmodi prouiſionibus miſceãtur ambitiones, prenſationes, iniuſtitiæ, & alia peccata, quæ diuina prouidentia ob occultos fines permittit, ipſa tamen euentus dirigit ad ſuos ſupremos fines. Ex quo efficitur, vt magnam diuinę prouidentiæ iniuriam irrogare cenſeatur is, qui in huiuſmodi rebus anxiè eſt ſolicitus, peruigil, & totus effuſus in excogitãdis medijs quibus talia poſſit obtinere: erit verò iniuria grauior, cùm mala media contra diuinam voluntatẽ adhibentur, nam (vt paulò pòſt dicemus) quatenus huiuſmodi euentus mihi expediunt, poterit diuina prouidentia efficere, & volet etiam vt abſq; huiuſmodi medijs mihi accidãt ijdẽ, alijs licitis à me adhibitis medijs, aut ab eadẽ prouidẽtia, me quoq; inſcio eò directis. Et ob hanc cauſam etiam, dixit Chriſtus Dñs noſter: *Nolite in ſublime tolli*, ſollicitè vide-

e *Pſal.* 30. 16
f *Prou* 33.
g c. 21. 1.

Ex Theophilact.

licet,

licet, & anxiè oculos in altum eleuantes, ſuſpirantes, gementes, vagantes ab vna in alteram partem, & quærentes vias, & modos, quibus voti compotes, efficiamini. O Deus altiſſime, qui in altis habitans prouidentia tua rebus his inferioribus proſpicis, me totum, Domine, diuinæ tuæ diſpoſitioni ſubiicio, magnaq; fiducia oculos in altum, vbi tu es, attollens, ſperabo inde mihi euenturum, quod maximè expedit, vt vitam meam ita in terra tranſigam, vt poſtea aſcendam ad te fruendum in cœlo.

CONSIDERABO deinde duplicem rationem à Chriſto Domino noſtro allatam ad remouendam à nobis nimiam ſolicitudinẽ. II.

I.

PRIMA eſt, h *quia hæc omnia*, inquit, *gentes mundi quærunt*; quaſi diceret, res huiuſmodi tanta ſolicitudine, & per talia media quærere, eſt proprium gentium negantium (vt eſt apud Iob) diuinam prouidentiam, ac dicentium: i *quid enim nouit Deus? nec noſtra conſiderat*; aut etiam hominum huius ſeculi, qui eandem prouidentiam ſuis operibus negãt, k *ac dicunt; quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo?* aut etiam hominum imperfectorum, qui ob ſuam exiguã fiduciã de Dei prouidẽtia anxij ſunt ſicut infideles. O Magiſter ſupreme, cuius doctrinam l *gentiles reputant ſtultitiam*, & huius mundi ſapientes m *eandem ignorantes blaſphemant*, non intelligentes altiſſimæ tuæ prouidentiæ ſecreta, Illuſtra, Domine, illos cœleſti luce tua, vt eam

h *Luc.* 12.30

i *Iob.* 22.13

k *Pſal.* 72.11

l 1. *Cor.* 1.23

m *Iudæ epiſtol.* 10.

cognoscant, & venerentur; & quandoquidem ego illam ex tua misericordia credo, concede mihi, vt vitam meam ita illi conformem, vt admirandis effectibus, qui ab ea procedunt, frui possim.

2. SECVNDA ratio, eaq; indulgētissima est: *scit enim Pater vester cælestis, quia his omnibus indigetis.* In quibus verbis describit Christus Dominus noster tria diuina attributa, quib. fiducia nostra, quam de eius prouidentia habere debemus, innititur; *Sapientiam*, videlicet, cui omnes nostræ necessitates sunt notæ; *Bonitatem*, qua vult illis subuenire, quia Pater est; & *Omnipotentiam*, ad exhibendum remedium, quia & Pater est cælestis, & rerum omnium creatarum Dominus. Si igitur hoc totum ita se habet, certissimum est, Deum paterna sua prouidentia prospecturum nobis de omnibus, quantum conueniet.

Nota. EX his licebit inferre efficacissimam rationem ad pacem, & consolationem habendā in rebus omnibus, quas obtinere desidero, ita mecum ipse loquens: Aut res hæc, quam desidero & quæro, est mihi expediens, aut non est: Si mihi nō expedit, quia erit mihi occasioni maiorum incommodorum corporis & animę, nolo illam habere, & ita spero Deum prouidentia sua impediturum, ne eam obtineam; quod si mihi expedit illam habere, certus sum quoque, eundem Dominum eadem sua prouidentia effecturum, vt illam habeam, quia ipse tāquam *Pater* cupit

mihi

mihi bonum, & nouit tanquam *Sapiens* media, per quæ mihi det illud, poteſtque id reipſa præſtare, tanquam *Potens*. Qua conſideratione contentus omninò ero, quocunq; euentu rei, quam deſiderabam, & locum habebit in me illud Salomonis: n *Non contriſtabit iuſtum, quidquid ei acciderit*. quia nouit id prouenire à prouidentia Patris ſui cœleſtis. O Pater amantiſſime, ex nunc cupio tibi ſeruire magna pace, & lætitia, quæ tuæ diuinæ prouidentiæ innitatur: ſatis enim mihi eſt credere notas tibi eſſe omnes meas neceſſitates, vt certò ſperem earum remediũ.

n *Pro.* 12. 21.

PVNCTVM VII.

DE PROVIDENTIA DEI erga quærentes primùm Regnum Dei.

QVAERITE *ergo primùm Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis*. Admiranda hac ſententia exprimitur ordo quem in quærendis rebus noſtris ſeruare debemus, vt ſimus digni, quorum diuina prouidentia curam habeat, & eas obtineamus. Et quoniam ſingula huius ſententiæ verba proprium habent myſterium, ſingula ſeorſim expendemus.

a *Mat.* 6. 33 *Luc.* 12. 31.

I.

PRIMVM ergo verbum eſt, *primùm* quærite Regnum Dei, hoc eſt, ante omnia, præ omnibus, & primo loco collocantes primam, &

præcipuã veſtram curam in quærẽdo regno Dei, conſtituẽdo illud tanquam vltimum intentionis veſtræ finem, ita vt nullam aliam rem pluris, nectanti faciatis atq; illud Regnum; ſed nec tali intentioni aliquam aliam adiungatis, quæ ſit aliena ab eius præſtantia.

II. ET nõ dicit: eſtote ſoliciti, ſed QVAERITE, nam anxia ſolicitudo etiam in eo regno quærendo non placet Deo, vt ſuprà dictum eſt, propterea quod talis anxietas plena ſit dubiis, & diffidentiis de eius prouidentia.

III. TERTIVM verbum eſt, REGNVM DEI, cæleſte ſcilicet & æternum, in quo Deum videatis, & cum eo æternùm regnetis. Idq; ſit primum, non ſolum quia eſt veſtrum bonum ſed vt idem Deus in vobis regnet, eiuſq; regnum dilatetur per totum mundum, & eius nomen ſanctificetur ab omnibus.

Medit. 15. 3. Part.

IV. VERVM etiã quærite IVSTITIAM eius, iuſtitiã videlicet Dei, aut eius regni, quæ facit vos iuſtos, & complectitur omnes virtutes, & opera, quæ tituli ſunt, & media ad regnum illud, & coronam iuſtitiæ conſequendam. Magno aũt myſterio Chriſtus Dominus noſter non dixit, *quærite primùm regnum Dei*, ac deinde *iuſtitiam eius*; ſed ſimul, inquit, & primo loco vtrumque eſſe quærendum, quia non poteſt vnum abſque altero quæri. Et qui dicit ſe quærere regnum Dei, niſi etiam quærat iuſtitiam, & ſanctitatẽ, ſeipſum decipit; parum enim prodeſt deſiderare ire ad cælũ, niſi ad id apta media adhibeantur. Nam vt

pro-

prouidentia diuina nó vult nos esse omnium solicitos, & anxios; ita etiam nó vult esse remissos, ac torpentes. O Rex æterne, si quidem iubes, vt quęram tuum regnum, tuamq; iustitiam, præueniat, quæso, me tua misericordia, adiuuans me exercere illa media, quibus regnum tuum, & iustitia obtinentur.

V.

VLTIMVM verbũ est, & HAEC OMNIA ADIICIENTVR VOBIS: quibus verbis Christus Dominus noster per modũ promissionis securos facit quærẽtes eius regnũ, & iustitiã, quod specialẽ sit ipsorum prouidentiã habiturus, ac prospecturus de rebus omnibus ad vitam hanc transigendã necessariis, idq; maiori suauitate, quàm gentibus huius mundi, qui adeò anxiè illas quærunt, iuxta illud Dauidis; b *Diuites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*: quasi diceret: quamuis illi, qui in suis diuitiis confidunt, eò deueniant, vt multis tandem indigeant; at qui quærunt Deum, & spem suam in eo collocant, illis nõ deerit vllum bonum spirituale, aut corporale, modo ipsis sit bonum. Quod si quando cibus, aut vestimentum corporis illis deerit, id cedet in maius bonum animæ eorum.

b *Psal.* 33.11

LATET tamen aliquod mysterium in eo, quòd Christus Dominus noster non dixerit, *quærite postea* huiusmodi bona temporalia. nam quamuis licitum sit moderata solicitudine illa quærere, id tamen vt facerẽt dicere noluit, vt remotiores nos à nimia solicitudi-

ne faceret, quæ facilè etiã moderatæ se inserit: ideoq; qui illa quærit, meritò sequetur Apostoli cõsiliũ dicẽtis, vt c *qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtentes sint*. remouendo scilicet omnem turbationem, & occasionem peccandi. nã illa hoc modò quærere, est quærere iustitiã, & regnum Dei; quia Deus iubet nos adhibere media apta ad quęrẽdum, quod ad mortẽ vitandam est necessarium. Nec dixit Christus Dominus noster: hæc omnia vobis dabũtur, sed: *adijcientur*; vt intelligamus Deum nõ dare iustis huiusmodi tẽporalia in præmium principale operum ipsorũ, sed tãquam additamẽta, quatenus scilicet ad vitã ducendã tanquã media requiruntur. Ideoq; in die, quo est præmia redditurus, non vult hæc magis poni in rationibus, quã si illa non dedisset: non enim honori sibi ducit, tam abiectis præmiis seruitia nostra compẽsare; & eadem ratione debeo ego abiectissimum reputare Deo propter illa seruire, aut illa quęrere pro mercede præcipua meorum operũ; sed generosè quærere gloriã huius Domini, & regni eius, ipsius prouidentiæ committẽs, vt ex tẽporalibus ipse adiiciat, quod voluerit, parum, aut multũ, statuens apud me, fideliter illi seruire quocunq; tandem modo me velit tractare. Qua via non solum non perdam temporalia, sed potius, si ita mihi expedit, eadem augebo, qui enim Deo seruit, eò magis emolumentum consequitur, quo ipse minus quærebat proprium.

c 2. Cor. 7. 31

PVNCTVM VIII.

AD præcedentium confirmationem est vltimò considerandum, quod DEVS prouidentiâ erga suos electos adeò sit beneuolâ, vt quando humana, & ordinaria media non sunt possibilia, ad illis prospiciendum de cibo, & vestimento, & aliis ad vitam necessariis, adinueniat ipse media extraordinaria & prodigiosa, vt hæc omnia illis prouideat, sicut fecit cum filiis Israel, a *qui comederunt manna quadraginta annis in deserto*, mittens illud de Cœlo, & b *aquam deducens ex petra* prodigiosè. quo toto tempore c *non sunt attrita vestimenta eorum, nec calceamenta pedum eorum vetustate consumpta sunt.*

a *Exo.* 16.35
b *c.* 17.6.
c *Deut.* 29.5

NOMINATIM aût perpendam tria media prodigiosa, quę prouidentia diuina ostẽdit in sustentando Elia. PRIMVM fuit, quod mandauerit coruis, d *adferre illi panẽ, & carnes manè, & panem, & carnes vesperi*, qui etiãsi voraces essent, Dei tamen mandato parẽtes, ex ore suo dimittebãt, vt Prophetæ traderẽt. in quo nobis proponitur, quod magni peccatores per coruos significati, quamuis sint cupidissimi, solent tamen ex diuina inspiratione suis facultatibus Dei seruos sustentare. O Pater amantissime, quis tibi non obediat relinquendo amore tui etiam quod sibi valdè placet, si quidem corui tibi parent, relinquentes palati sui naturalem appetitionem, vt tuis amicis satisfaciant, quid-

I.

d 3. *Reg.* 17.6

quid mihi placet, exponam, Domine, tãtùm vt tibi cum amore seruiam, firmiter fidẽs tuæ prouidentiæ, quòd vbi opus fuerit, si me homines deseruerint, ipsæ feræ mihi ministrabunt.

II. SECVNDVS modus fuit per quandã pauperẽ viduam, quæ nihil habebat, quo vel seipsam sustentaret, e *nisi quantum pugillus capere poterat farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho*, cui præcepit Dominus, vt Eliam sustẽtaret, multiplicando prodigiosè, quæ illa habebat, ita vt sufficerent ad Prophetam, & seipsam, ac filium sustẽtandos, vt sic manifestaret prouidẽtiam, quam gerit de suis seruis per alios homines pios, & qui eleemosynas libenter largiuntur, multiplicans illis bona, quæ habent in præmium eleemosynæ, quam faciunt. Quamuis enim prouidentia diuina reuera prouideat omnibus, maiori tamen cura attendit iis, quos accipit tanquam instrumenta ad ea præstanda, quæ ipse vult fieri, dans illis, quia & ipsi dant; & etiam vt plura dent seruis ipsius.

3. Reg. 17.

III. TERTIVS modus fuit per d *Angelũ, qui illi apposuit panem & aquam*, cùm ipse dormiret, & omninò nihil ea de re cogitaret. Angeli enim sunt prouidentiæ diuinæ ministri ad eius electos alendos tempore necessitatis, quando videlicet humanum subsidium illis deest: sicut alter e *Angelus apprehendit Habacuc, & portauit eum capillo capitis sui, posuitq; in Babylone supra lacum Leonum*, in

d 3. Reg. 19. 6.

e Dan. 4. 35.

quo

quo erat Daniel, *& clamauit Habacuc dicens: Daniel, ſerue Dei, tolle prandium, quod miſit tibi* Deus, *qui Daniel* admirans infinitam hanc Dei charitatem, & prouidentiam, *dixit; recordatus es mei Deus, & non dereliquiſti diligentes te.* O Deus animæ meæ, infinitas gratias ago tibi, ob memoriam, quam retines tuorum ſeruorum, protegens, & ſuſtentans ſperantes in tua miſericordia, nec fuiſti contentus obturare ora famelicorum leonum; ne ſeruum tuum deuorarent, ſed etiam aufers prandium meſſoribus eſurientibus, vt illud mitteres ſeruo tuo. Benedicta ſit adeò benigna prouidentia tua, & laudent te propter illam & Angeli, & homines. Auge Domine in corde meo eiuſdem prouidentiæ fidem, atque fiduciam, vt hac diſpoſitione faciens quod mihi iubes, re ipſa experiar quod mihi promittis.

HAC doctrina conſolari ſe ipſos poſſunt religioſi, qui teſte Caſſiano, res omnes à ſe abijcientes, vt à curis anxijs ſint expediti, ſe ipſos diuinæ prouodentiæ committunt, vt perfectius Chriſtum ſequantur. Collat. 19. c. 5. 9. & 8.

✠
✠✠✠
✠

MEDITATIO XXXII.

DE PROVIDENTIA DEI circa res huius mundi aduersas, ac de omnibus malis culpæ, & pœnæ.

PVNCTVM I.

S. Thom. 1. p. q. 22. a 2. ad 3. & 4. & q. 103. a. 7

CONSIDERANDVM primò, quòd prouidentia diuina complectatur sub sua gubernatione res omnes aduersas, quæ in hac vita eueniunt, & miserias omnes, quas homines sustinent in corpore & anima, disponens & ordinans omnia mala quæ non sunt peccata; permittens verò ipsa peccata ob altos, & secretos suæ gubernationis fines in bonum suarum creaturarum, & nominatim hominum ad cælum electorum. Quamobrem dixit S. Aug. Deum omnipotentem nullatenus concessurum aliquod malum in suis operibus, nisi adeò ipse potens & bonus esset, vt benefaceret etiam de malo, imò de vno solo malo multa bona, quæ ad tria genera reuocari possunt.

Ench. c. 11. 103.

I.

PRIMVM est ad manifestandū *bonitatem & omnipotentiam* suam, *iustitiam*, & *misericordiam*, aliaque attributa, & perfectiones suas, quarum opera in his miserijs exercentur, & elucent valdè in ijs, quæ fiunt ad eas auertendas & remedium eis adferendum.

SE-

SECVNDVM bonum est, *conseruatio totius vniuersi*, quod ita est constitutum, & talibus rebus constat, vt conseruari non possit, nisi aliquæ destruantur, & corrumpantur, vt aliæ generentur, ac sustententur, ex quo oritur naturale odium, & inimicitia, quam animaduertimus inter aliqua animalia, pisces, & aues aduersus alia, quia illorum quædam cedunt in aliorum nutrimentum. II.

TERTIVM bonum est *cõmodum ipsorum hominum* tam naturale quàm supernaturale, quia vtrumq; horum commiscentur multis miserijs, quibus ipsa tamen perficiuntur. nã virtutes exercent suas actiones cum magno sui splendore circa miserias corporis, & animæ proprias, vel alienas. III.

SVB his tribus bonorum generibus innumera alia cõtinentur, quæ diuina prouidentia eruit ex nostris malis, vt apparebit in sequẽtibus punctis, in quibus discurremus per omnia genera malorũ, & laborũ, quos patimur. Obseruandum tamẽ mihi erit pro mea consolatione, vt semper oculos conijciam non tam in malum ipsum quod patior, quàm in bonum illud quod prouidentia diuina ex illo malo deducere intẽdit, & gaudeã, quod habeam tam bonũ & potẽtem Deum, qui ex malis meis eliciat bona; nec permissurus esset malũ, nisi sciret, vellet ac posset aliquod bonũ ex eo elicere. O bonũ infinitũ, gratias tibi ago ob eã bonitatẽ, quã ostendis deducẽdo bona ex nostris malis, & permittẽdo nostram

ſtram miſeriam, vt emineat magis infinita tua miſericordia, oſtende, quæſo in me huiuſmodi prouidentiam, vt omnino intercludam malum culpæ, conuertam verò in bonum quodcunque malum pœnæ.

PVNCTVM II.

Dæmonis tentationes,

DEINDE eſt conſideranda mirabilis illa prouidentia, quam Deus habet circa afflictiones & tentationes, quæ nobis à Dæmone proueniunt. Circa quod tria præcipuè ſunt perpendenda.

I.

PRIMVM quod Deus Dominus noſter prouidentia ſua poteſtatem facit Dæmoni, vt nos vexet, ſine qua nec pilum quidem veſtis tangere poſſet, a *nec in porcos intrare*, etiamſi ſint vilia animalia; ſemper tamen Deus eam poteſtatem concedit cum certo limite, & termino, ac deſignatis certis rebus, in quibus nos vexet, & numero & intenſione tentationis ac tempore, quo illa ſit duratura; ita vt nec punctum, nec momentum amplius poſſit, quàm Deus permiſerit.

a Mat. 8. 31.

II.

SECVNDVM eſt, quod quamuis eius voluntas adeò ſit peruerſa, vt tentandi poteſtatem petat ad noſtram ruinam, diuina tamen prouidentia non annuit, ſed eius malitia vtitur in noſtrum cõmodum, intendens his tentationibus, & afflictionibus exercere nos in mortificatione, humilitate, oratione, ac cæteris virtutibus, tentatoris voluntati contrarijs. Nam ſi Dæmon tentatione obiecta con-

ten

tendit me impellere in luxuriam, eadem tẽtatione Deus vtitur, vt magis perficiar in virtute castitatis; & si vult, calamitatibus mihi inflictis, ad impatientiã me permouere ac desperationem, eisdem calamitatibus Deus vult me magis consolidare in virtute patientiæ, & confidentiæ. 6

TERTIVM est, quod prouidentia diuina metiatur semper, & attemperet nostras afflictiones, & tentationes viribus nostris tam naturæ, quàm gratiæ, quam nobis concedere statuit, ita vt b *non patiatur*, sicut ait Apostolus, *nos tentari*, aut vexari *supra id, quod possumus: sed faciet etiam cum tentatione prouentum*, & profectum, ad quod præstandum nobis multa, & accommodata media offert; siue per Confessarios; & bonos Consiliarios, siue per sanctos Angelos, qui Dœmonibus resistunt, siue etiam per occultas inspirationes assistens ipsemet, vt nobis subueniat, ita vt possimus consequi finem ipsius prouidentiæ, nisi ipsi velimus nobis deesse. III.

b 1. Cor. 10. 13.

5. p. Med. 27.

EX his considerationibus duo magni momenti documenta accipiam, vt in huiusmodi calamitatibus, & afflictionibus consolationem habeam.

PRIMVM documentum est, vt non conijciam oculos in Dœmonem, qui me vexat, sed in Deum, qui id permittit, ipsamque afflictionem aspiciam, tanquam ab eius manu venientem, siquidem cùm illam posset impedire, nõ impedit; quare dicam cum sancto 1.

Iob: *Si tot c bona accepi de manu Domini, quare non fuſt meam hæc mala?* Deus prouidentia ſua dedit mihi ſanitatem, facultates, honorem, pacem, & lætitiam: quæ eadem prouidentia mihi abſtulit dans Dæmoni ad id licentiam. ſatis mihi eſt, quod ipſe eam dederit, vt ego eam approbem & bonam iudicem, ſit nomen eius benedictum, quia dedit; & ſit benedictum, quia abſtulit in æternum. Amen

c Iob. 2. 10.

2. SECVNDVM documentum eſt, vt oculos conijciam, non in ea mala, quæ Dæmon mihi minatur, ſed in bona, quæ Deus per meam illam exercitationem intendit, confidens in eius prouidentia, quod ſit futura potentior in obtinendo eo, quod intendit, quàm Dæmon, quod ipſe deſiderat, ideoque oculos auertam à mea imbecillitate, ne deficiam; & à Dæmonis feritate, ne eum timeam; conijciam verò eos in Dei omnipotentiam, & gratiæ eius efficacitatem demiſsè ſupplicans, vt prouidentia ſua adeò efficacia mihi applicet media, vt finem illum conſequar, quem ipſe amanter intendit.

PVNCTVM III.

Perſecutiones ab hominibus.

TERTIÒ eſt conſideranda Dei prouidentia circa perſecutiones, quæ nobis ab alijs hominibus excitãtur, ſiue tyranni illi ſint publici, ſiue hoſtes priuati, ſiue amici ficti, ſiue falſi fratres. Circa quod eſt

1. PRIMÒ perpẽ-

dendum

lendum, quòd pouidentia diuina omnium iorum hostium manus ita ligatas habeat, vt ine ipsius facultate nec pilum vnum capitis uferre nobis possint: sicut Christus Dñs noter dixit suis discipulis: a b *Nonne* b *quinq; asseres vaneunt* b *dipondio: & vnus ex illis nō cadet super terrā, sine Patre vestro* b *nec est in oblatione coram Deo, sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus* a *meliores, &* b *pluris estis vos.* Quibus verbis duplicem rationem iucundissimam, & suauissimam diuinæ prouidentiæ insinuat Christus Dominus noster.

a *Matt.* 10. 29.
b *Luc.* 12. 6.

PRIMA ratio est, quòd Pater noster cælestis curam habeat vitæ passerum, etiamsi vilissimorum, & nec minimi illorum obliuiscatur, adeò vt nullus eorum capiatur, aut mortuus in terram cadat absq; ipsius prouidentia; multò igitur maiorem curam nostri habebit, quia passerum non Pater est, sed Dominus; nostri verò & Dominus est & Pater, & Pater ille, cui cùm curæ sit salus, & vita seruorum, multò magis erit filiorum. Et qui non obliuiscitur vilissimi passerculi, aut auiculæ, non obliuiscetur vnius hominis, maximè amici sui, quia pluris est vnus homo innitis auiculis; quòd si venator nec venari potest, nec occidere vnam auiculam sine voluntate Dei qui id ita permittat, multò minus tyrannus vexare poterit, aut interficere istum absque licentia, & permissione cœlestis eius Patris.

1.

SE-

SECVNDA ratio est, quia Deus omnes ca-
2. pillos nostri capitis numeratos habet, & curam illorum gerit, sicut homines magnā rationem habent rerum, quas habent in numerato, quare nullus absque Patris cœlestis licentia potest vel vnicum capillum ex hoc numero nobis auferre; qui igitur tantam habet meorum capillorum prouidentiam, quæ res est hominis viliſſima, minimiq; momenti, quòd sit vnus plus, aut minus, quantò maiorem prouidentiam habebit meæ salutis, vitæ, & honoris, rerumq; aliarum grauiorū; quæ me concernunt? quod si hostes mei nec vnicum capillum sine cœlestis Patris licentia auferre mihi possunt, multò minus poterunt auferre salutem, honorem, aut vitam.

HAC confidentia decet me viuere valdè contentum, ac securum, tanquam sub protectione Domini adeò potentis, ac beneuoli constitutum, qui ait; c *qui tetigerit vos*, vel in vno pilo capitis, *tangit pupillam oculi mei*. O dilecte mi, d *custodi me sicut* homines custodiunt *pupillas oculorum* suorum, *sub vmbra alarum tuarum protege me*, vt solent aues pullos suos sub alis suis collocare; & tuere me à facie impiorum, qui me afflixerunt, sicut illæ suos defendunt à miluis.

c *Zac.* 2. 8.
d *Psal.* 16. 8.

II. EX his ascendam ad considerandum secundò, quòd prouidentia diuina permittit, vt mali homines nos persequātur, quia magna nobis ex hoc bona proueniunt; nō enim eam licentiam nostris hostibus dedisset, nisi per

eos-

eosdem tanquam per instrumenta quædam illa bona nostra ipse intenderet; sicut permittit tyrannos; vt sint aliqui clarissimi Martyres, in quo duo facit præclarissima.

PRIMVM est, quod ex huiusmodi persecutionibus eliciat ipse bonum, è diametro contrarium malo, quod hostes nostri per illas intendebant, adeò vt interdum eadem media, quæ illi adhibent, vt nos pessundent, accipiat Deus, vt nos exaltet. 1.

SECVNDVM est, quod ipsam persecutionem conuertat Deus in bonum nostrorum hostium, benè scilicet eis faciendo, eadem via, qua ipsi nobis nocere voluerunt. Vtrumque hoc emicuit in persecutione Ioseph, quem Deus eò eleuauit, vt esset Prorex AEgypti, per eadem media; quæ fratres eius ad illum perdendum adhibuerant: & per eadé omninò media ipsis fratribus Deus in necessitate constitutis subuenit, vt ipsemet Ioseph declarauit dicens illis; e *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me*, veniq; in Aegyptum, non tam vestro consilio, quàm Dei voluntate f *qui pro salute vestra misit me ante vos in Aegyptum, vt saluos faceret multos populos.* Hac consideratione me ipsum solabor, cùm aliquis me persequetur dicens cum Dauide: g *obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti*, & tua ordinatione, ac permissione euenit mihi hęc calamitas: quia ergo tu fecisti, non decet, vt ego conquerar. Et ipsemet Dauid, cùm ei 2.

e Gen. 50.20

f c. 45. 5.

g Psal. 38.10

pheta dixit: a *non est malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.*

a *Amos* 3.6

SED in particulari perpēdam, quòd prouidentia diuina minutissimè decretas habeat oēs infirmitates & morbos, qui mihi eueniunt, meis viribus eos accōmodans, quoad numerum, qualitatem, intensionem, & durationē eorum, ita vt humor, qui vexat caput, non possit ad alteram partē transire, nec crescere, aut plures horas durare, quàm decreuerit Deus. Et similiter eadē prouidentia diuina euētus curationis disponit, & vt medici, quid sit faciendū, intelligant; aut non satis assequātur, & errēt: & quod pharmaca apta, aut inepta exhibeātur, & opportunè, aut importunè, ita vt horū nihil à casu fiat respectu Dei, qui his omnibus rebus, & circūstantijs vtitur, vt quod intēdit assequatur. nam vt ait Sap. b *à Deo est omnis medela*, & eius euentus; & c *vita, & mors à Deo sunt*, & sanitas, & infirmitas, qui & sua prouidētia d *percutit & sanat; mortificat, & viuificat, deducit ad sepulchrū, & reducit*. Ex quibus discā, quòd quāuis in similibus casibus possim, ac porrò debeā, humana media adhibere apta, & accōmodata, vt ab his miserijs eripiar; sed præcipua tamen mea fiducia non sit in illis collocanda, sed in Deo, ad quē sit confugiendum per orationes. nam eius prouidentiæ est felicem exitum medijs à me adhibitis dare, aut meliora adhibere.

I. Morbi.

b *Eccl.* 38.2.
c & c.11.14.
d *Osea.* 6.2.
e 1. *Reg.* 2.6.

DEINDE perpendam, quod prouiden-

II.

tia diuina dirigit, aut permittit huiusmodi morbos & alias corporis miserias in bonum animæ, vt per eas purificetur à culpis; vincat suas passiones; exerceat virtutes, & earum consequatur perfectionem: f *nam virtus* (dixit ipse Dominus Apostolo) *in infirmitate perficitur*. Quare eam aspiciens, non quà corpus affligit, sed quà à Deo destinatur in meum commodum, debeo ex ea gaudere, dicens cum eodem Apostolo: *libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi*. Quod si caro tales refugiat labores dicam illi in feruore spiritus illud Christi ad Petrum: g *calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Hæc infirmitas, & labor hic cum omnibus amaritudinibus illi adiunctis calix, & potio est, à prouidentia Patris cœlestis præscripta, ac porrò valdè vtilis. Satis itaque est quòd ipse præscripserit, vt ego illam acceptem, & amplectar. Si itaque ipse præscripsit, vt hauriam, volo omninò bibere, vt faciam, quod ipse vult; nec recedam ab eo, quod ipse præscribit, ac mandat.

f 2. Cor. 12. 9

g Ioan. 18. 12

PVNCTVM V.

Animi miseriæ. 1.

QVINTÒ consideranda est prouidentia Dei Domini nostri circa miserias nostræ animæ, quę sunt duplices. Aliæ inuoluntariæ, quæ nos etiam inuitos, & volentes vexant, & affligunt, quales sunt rebellantis a *carnis aduersus spiritum pugnæ*, & perturbationes; imaginationes, vagationes, & distra-

a Gal. 5. 17.

ctiones,

ctiones, & similes alij defectus, qui ex originis peccato prouenerunt, quos diuina prouidentia in nobis reliquit, non in detrimentum, sed in exercitationẽ, ob ingentia bona, quæ ex *hac pugna* sequuntur ijs, qui strenuè in ea se gerunt. ideoq; Deus Dominus noster paterna sua prouidentia vim, & violentiam tentationũ internarũ ita moderatur, vt nos non suffocent, datq; nobis sufficientẽ gratiam, vt in eo conflictu victores euadamus. b *Rom.* 5. 2. & 8. 13.

ALIAE sunt miseriæ voluntariæ, ab inordinata videlicet libera nostra voluntate venientes, quales sunt culpæ, & peccata, quæ nullo modo à diuina prouidentia intenduntur. potiùs enim extra ipsius ordinẽ veniunt, & aduersantur præcipuo ipsius gubernationis fini, quæ est salus nostra, ad ipsius gloriã. Permittit ea tamen, vt hominis libertas cõstet, & sarta tecta seruetur, ex quibus nihilominus bonitate sua infinita, & altissima prouidentia magna elicit bona, nunc ipsius, qui illa cõmisit, quem ex ea occasione reddit humiliorẽ, sibi diffidentem, in posterum cautiorem, & in seruitio diuino feruentiorẽ; nunc aliorum, quia crudelitate, & malitia impiorũ exercet, perpolit, ac perficit bonos; semper verò ex ipsis peccatis manifestat suã bonitatem, aut quia expectat peccatorẽ, & benignè redeuntem excipit eaq; remittit, aut quia seuerè sua iustitia illa, castigat, c *omnia* autem (teste Apost.) *diligentibus Deum* conuertuntur, *& cooperantur in bonum.* Qui, ex c *Rom.* 8. 28

II.

diuina prouidenti, etiam ex proprijs peccatis humilitatem hauriunt, & ex alienis cautelam, & ex obtenta venia amorem, & gratitudinem erga diuinam misericordiam, & ex supplicio, & pœna illata, timorem, & reuerentiam erga diuinam iustitiam. O Deus æterne, cuius prouidentia, Adami culpã conuertit in bonum vniuersi; occasionem ex ea accipiẽs dandi nobis Filium tuum in Redemptorem. Conuerte, ex tua misericordia in bonum meum, quod ego miser feci in malum meum. O Redemptor mundi, qui redimis à peccatis, ea remittens, & ab eis præseruans; remitte quæso, quæ hactenus commisi, & præserua me ab ijs, quæ imposterùm committere possum, applicans mihi benigna tua prouidentia omnes hos copiosæ tuæ redemptionis effectus. Amen.

III. VLTIMÒ perpendam innumera occulta beneficia, quæ ab eadem prouidentia diuina in prædictis omnibus rebus proueniunt, intercludit enim & auertit innumera corporis, & animæ mala particularia & generalia, quæ euenirent in hoc mundo, & quorum ego nominatim, nisi Deus præueniret, particeps essem. Propter quæ (vt supra est dictum) debeo illum laudare; & vt orans peto d *ab occultis meis munda me Domine*, (nam etsi mihi occulta nunc sunt Deo tamen non sunt, & aliquando etiam mihi erunt manifesta,) ita debeo illi gratias agere pro beneficijs occultis, etsi enim occulta sint, nõ propterea

Medit. 28. punct. 2:
d *Psal. 18.13*

pterea desinunt esse grandia, & aliquando mihi patefient, & valdè erubescerem, nisi gratias etiam pro illis egissem. Gratias tibi benefactor supreme, propter bonum quod mihi confers, occultè me liberans à malis, quæ facerem, & miseriis, in quas inciderem, nisi ea auerteres. Perge Domine in supremo hoc beneficio, vt tali prouidentia, certa sit mea perseuerantia in gratia tua, & coronam obtineam gloriæ, Amen.

MEDITATIO XXXIII.

DE PROVIDENTIA DEI, in exaudiendis nostris Orationibus, & tempore expediendis: & quantum hoc sit beneficium.

PVNCTVM. I.

CONSIDERANDVM primò, quod prouidentia diuina acceperit ORATIONEM tanquam instrumentum & medium præstantissimum, ad ea exequenda, quæ ipse circa hominum gubernationem designauit, tã in rebus de quib. hactenus diximus, quã in aliis de quibus postea dicemus. Nam vidés ipse quã multa dona nobis desint corporalia & spiritualia, tẽporalia & æterna, & multitudinẽ malorũ, quib. subiicimur in corpore & aĩa; nec nobis suppetere vires

I.

S. Thom. 2. 2. q. 38. a. 2. & 1. p. q. 23. a. 8.

ad consequenda bona, & nos expediendos à malis; statuit ORATIONEM esse mediũ ad vtrumq; impetrandum aptissimum, promittens nobis se daturum quidquid peteremus, si tamen adsint circumstantiæ, quas adesse oportet. & ita dixit Christus Dominus noster, a *petite & dabitur vobis*, *petite* scilicet quod vobis deest, *& dabitur vobis*. *Omnis enim qui petit accipit*. circa quod illud perpendã, quod ORATIO sit ad hoc totũ, efficacissimũ mediũ, suauissimũ, & vniuersalissimũ. *Efficacissimũ* est, quia vt aliàs dictum est, innititur verbo & promissioni Dei, qui non potest deesse, quia est summè fidelis in implendo quod dicit; & simul omnipotens, ad præstandũ, quod promittit. Est mediũ *suauissimum*, quia nihil suauius aut facilius est, quàm quod mihi deest, petere ab eo, qui me amat, & iubet vt petam: magisq; optat ipse dare mihi quod peto quàm ego cupiam illud accipere. Est etiã *vniuersalissimum*, quia valet ad impetranda omnia bona, quæ mihi expediunt; & liberandũ me ab omnibus malis, quæ mihi nocent.

a *Mat.* 7. 7. a *Luc.* 11 10.

Part. 4. *Me.* 18. & 19

II. DEINDE est mediũ diuinæ prouidentiæ, ad exequenda opera, quæ proueniunt ab attributis & perfectionibus diuinis superius positis. Est enim mediũ, per quod bonitas diuina se nobis cõmunicat; eius charitas nos amat; eius misericordia nobis subuenit; iustitia præmium reddit & mercedem; & omnipotentia eius exequitur quidquid eius sapientia designauit, & intendit: imò, si id opus

erit

erit, etiam mutabit & inuertet ordinem rerum naturalium, editis videlicet prodigiis & miraculis. ORATIO enim impetrat à diuina omnipotentia lumen cęcis, vitam mortuis; cœlosque à suo cursu cessare facit, & res has in alias conuerti.

III. DENIQVE ORATIO est prouidentiæ diuinæ medium, ad ornandum & perficiendum creaturas, quas fecit in exordio mundi, in vtilitatem hominum. Nam mediante oratione fœcundat terram, pluuiam de Cælo mittit, pecora multiplicat & animalia vtilia; destruit verò noxia, cicurat fera, aufert pestes, aëres purificat, multaque alia pręstat, quæ sunt propria omnipotentiæ Dei, qui hoc medio & via communicat, eo modo quo fieri potest, ipsam suam potentiam iis, qui sine eo nihil possent. O DEVS omnipotens, gratias tibi maximas, propter omnipotentiam ORATIONI communicatam, ad impetrandum à tua bonitate & misericordia quidquid suprema tua prouidentia disposuit. Allice me, Domine, ad hanc sanctam exercitationem: certus sum enim, si ego non b *mouero à me* feruentem *orationem*, nec te *misericordiam tuam amoturum.*

b *Psa.* 65.20

PVNCTVM II.

Dei liberalitas in exaudiendis Orationibus.

DEINDE considerandum, quòd prouidentia diuina liberalissimè nobis concedat quod petimus, si nobis sit vtile; magna verò charitate neget, quod nobis est

noxiũ: quia vult, Orationẽ eſſe mediũ nobis vtile, nõ perniciosũ. Hanc veritatẽ patefecit ChriſtusDominus noſter ſuis Diſcipulis, hac Parabola: a.b. *Quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, nunquid lapidẽ porriget ei? aut ſi piſcem petierit, nunquid ſerpentem porriget ei? aut ſi petierit ouũ, nũquid porriget ei ſcorpionem?* a.b. *ſi ergo vos, cũ ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris, quantò magis Pater veſter qui in cœlis eſt,* a *dabit bona,* b *& de Cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?*

a *Matt.* 7. 9
b *Luc.* 11. 13.

I. In qua Parabola, Chriſtus Dominus noſter nos docet, quod ſicut Pater petenti filio aliquid ad comedendũ, nõ dat ei lapidẽ, quia nõ poteſt comedi, nec ſerpentẽ aut ſcorpionẽ, quia ſunt noxia: Ita quãdo ego à Deo peto ſanitatẽ, bona fortunæ, honorẽ, delicias aut rẽ aliã temporalẽ, ſi ipſe nouit, id nõ fore animæ meæ vtile, ſed potiùs noxium, nõ mihi dabit illud; quia, ſicut Pater, me diligit, & paterno more denegat filio, quod eſſet illi futurum lapis ſcandali, in quem offenderet; & ſerpens qui malitiâ illum inficeret; & ſcorpio qui eius conſcientiam aliquo peccato morderet. Et talia mihi petenti denegare, eſt orationem meam exaudire. par eſt enim, quando tale quid peto, eam adhibere in petendo conditionem: ſi illud ſit mihi futurum vtile & non pernicioſum.

II. Et eadem ratione, ſicut parens petenti filio aliquid ad comedendum, dat illi quod eſt

neceſſa-

necessarium & conueniens, panem videlicet oua, pisces, & similia: ita DEVS Dominus noster dabit nobis quod petiuerimus; nec solum quod est necessarium sicut est panis, sed etiam quod est decens & conueniens, sicut sunt pisces & oua. Si enim, inquit, vos à natura in malũ propẽsi, in hoc tamẽ bonũ inclinatis, vt filiis vestris cõmunicetis bona, quæ à Deo recepistis; quantò magis Pater vester cælestis, qui natura sua bonus est, & ad benefaciendum omnibus propẽsus, dabit sua bona, ea petentibus; præcipuè verò suum *spiritum bonum*, eum scilicet, quo nos reddimur boni & ad Spiritum sanctum recipiendum disponimur, à quo bonitas omnis procedit, & cum quo vniuersa, quæ nobis sunt bona, adueniunt. Gratias tibi, Pater amantissime, ob eam prouidentiã, qua mihi petenti denegas quod nocet; cõcedis verò quod est vtile: & æquè te laudo pro vtroq;, siquidẽ vtrumq; ab æquali tuo procedit amore. concede ergo mihi, Domine, semper à te petere, quod tibi placet; vt mihi semper des quod peto, pro tua gloria & meo commodo, Amen.

III.

DENIQVE perpendam infinitã supremæ huius prouidentiæ liberalitatẽ, quæ in eo deprehenditur, quòd non dimittat orationẽ filiorũ suorum vacuã, quãdo ex ignorãtia petunt, quod ipsis esset noxium. nã ita denegat quod petitur, vt ei° loco det aliud, ipsis multò vtili°; sicut Apostolo ter petẽti, vt c *stimulus carnis, qui ipsũ colaphizabat, à se discederet* c 2. Cor. 12. 8

quam-

quamuis id denegauerit, dedit illi tamen rem multò meliorem, *ſuam* videlicet *gratiam*; ne ille ſtimulus illi noceret, ſed potiùs prodeſſet, ipſum impellendo ad ſuam quærendam ſalutem. quamobrem S. Bernardus dixit: Nemo ſuam orationem contemnat; quia Deus ipſe non contemnit; & antequam prodeat ex ore noſtro, ſcriptam ille habet in libro ſuo, & indubitanter alterum è duobus poſſumus ſperare: aut enim dabit, quod petimus, aut quod nobis nouerit eſſe vtilius. O Deus animæ meæ, non volo meam orationem, vili pendere, quam tanti tu facis. Et quamuis parum valeat, quatenus à me prodit, valebit multum quatenus tibi innititur: in quo confido, quod nunquam à tua præſentia diſcedet inanis; ſed aut dabis quod peto, aut quòd meritò fuiſſet petendum.

Serm. 6. in Quadrag.

PVNCTVM III.

1. TERTIÒ eſt conſideranda Dei prouidentiâ, quoad opportunitatem largiendi, quòd petitur, quando ſcilicet magis expedit ad ipſius gloriam & ad noſtrum bonum; quã opportunitatem neque præuenit, neque differt, ſed omninò tunc quando oportet: propter quod fortè dixit ipſemet Deus: a *in tempore accepto exaudiuite*, quando videlicet res mihi accepta magis erat & placebat. Et Sancti, qui aliquid de tali opportunitate nouerunt, petunt à Deo, ſuarum neceſſitatum remedium: b *Orabit* (ait Dauid) ad *te omnis San-*

Iſai. 49 8. 2. Cor. 6. 2.

Pſal. 31. 6.

Au-

ctus in tempore opportuno. Et quando premi se vident, supplicant Deo, sicut idem Dauid, vt tempus illud quo orant, opportunum sit in quo exaudiantur; *ego* inquit c *orationem meam ad te* dirigo, *Domine*, sit, quæso, hoc *tempus beneplaciti tui, in multitudine misericordiæ tuæ; exaudi me in veritate tuæ salutis*, quam seruare soles in tuis promissis. Ex quo intelligam, Deum statim dare quod petitur, si ita expedit; & si petatur sicut decet; & nisi obicem ponat qui accepturus est. Et hoc præcipuè nobis euenit, quando petimus ab eo veniam peccatorum; ad quam obtinendam omne tempus est opportunum. & in his occasionibus locum habet quod dixit Isaias: d *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: ecce adsum.* & vlteriùs adhuc dicit: e *antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Aliàs verò, etiãsi audiat, nostrasque petitiones intelligat, & statuat petitioni annuere, differt tamen executionem in aliud tempus magis conueniens; aut quòd alius iusto nomine contrarium petat; sicut euenit Danieli petenti liberationem sui populi; quem etsi audiuit statim Deus, distulit tamen *viginti vno diebus* illi respondere, eò quòd alter Angelus contrarium peteret in bonum Persarum, qui populum captiuum habebat; aut etiam differt, propter aliquod ex parte nostra impedimẽtum. culpæ v. g. ingratitudinis, aut tepiditatis in petendo, aut remissioris desiderij:

c Psa. 68 14.

d Isaiæ. 58. 9

e & c. 65. 24

Dan. 10 13.

qua

qua dilatione remouetur noſtrum impedimentum, quia augetur deſiderium, & reddimur digni, qui accipiamus, quod petimus: ex quo apparet id totum in bonum noſtrum dirigi. Laudetur, Pater mi, paterna tua prouidentia, tam quòd petita concedas, quàm quòd concedere differas. Certus ſum Domine, te etſi audire differas, non tamen tardare: nam etſi g *moram facias* iuxta meum deſiderium, *non* tamen *tardas*, iuxta id quod mea exigit neceſſitas.

g *Habac.* 2. 3

II. DEINDE perpendam magni huius Domini liberalitatem, etiam cùm prouidentia ſua differt dare nobis quod petimus. nã perſeuerantibus in petendo compenſat illam moram, largiendo multò plus, quàm petamus. Hoc monuit nos Chriſtus Dominus, in parabola hominis h *media nocte accedentis ad amicum ſuum, vt peteret ac commodari ſibi tres panes*, qui etſi ſatis ſiccè, primùm à ſe repulit petentem; perſeueranti tamen ad eius portam, amicus victus eius importunitate, *dedit illi* non ſolum tres panes, quos petebat, ſed etiam *quotquot habuit neceſſarios*, eoſque non accommodatos, ſed donatos. Ita qui ad portas Dei, qui eſt verus noſter amicus, accedit, quocunque tempore & hora id faciat, eius oratio auditur; quia Deus nunquam dormit; quamuis interdum inſipidum det reſpõſum, ſicut i *Cananeæ*, vt fidem noſtram & perſeuerantiam probet. quod ſi conſtãter perſeueremus, dabit nobis multo plus, quã petiue-

h *Luc.* 11. 5.

i *Mat.* 15. 26

rimus,

rimus. Dat enim nobis tres panes, Fidem videlicet, Spem, & Charitatem, addens reliquas virtutes neceſſarias & conuenientes noſtræ perfectioni; dat etiam tres panes quotidianos, Corporalem, quo nutritur corpus; Spiritualem gratiæ ſuæ, & ſanctiſſimi Sacramenti, ad animæ contritionem. Accede, anima mea, confidenter ad portas Dei, qui cuius eſt verus amicus; pulſa inſtanter & perſeueranter. non enim defatigatur ab eo, qui petit importunè, ſed ab eo qui languidè ac tepidè petit. quòd ſi fingat interdum, ſe dormire, id facit, quia delectatur audire te pulſantem cum maiori feruore, k *quod petis, det tibi ſuperabundanter.*

k *Eph.* 3. 20.

PVNCTVM IV.

I.

QVARTÒ conſiderandum, quòd prouidentia Dei, hoc medio ORATIONIS, ad vniuerſos homines ſe extendat, nemine excluſo. generalis eſt enim, & ad omnes pertinet illa ſententia Chriſti Domini noſtri, a *petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis. omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulſanti aperitur.* in qua promiſſione, mirum in modum relucet immenſa largitas, & omnipotentia magni noſtri DEI, nam cùm in hoc vniuerſo, innumeri ſint homines, qui habeant innumera deſideria, & innumeris premantur neceſſitatibus; accedentibus tamen etiam continuè pro remedio ad eius portas, omnibus attendit, omnium

a *Mat.* 7. 7. *Luc.* 11 9.

audit

audit petitiones, atq; si solus vnus esset, qui peteret; nec defatigatur vnquã, aut afficitur tędio, propter multitudinem petentium, aut rerum etiam interdum in specie cõtrariarũ, & quæ cum magna importunitate petuntur, quin potius hac vtraq; multitudine delectatur. Manifestat aũt hanc suam delectationẽ, repetitione horum trium verborum, quæ aliàs idem ferè significant; *Petite*, *Quærite*, *Pulsate*: quasi diceret, attendite quàm ego vehementer cupiam, vt à me petatis, *Petite*, *Petite*, *Petite*. O Charitas immensa! ô largitas infinita! quid tua refert Deus meus, vt homines aliquid à te petant, quòd tanto affectu eos exhorteris vt petant? Principes huius mũdi defatigantur & ægrè ferunt, quod aliquid ab ipsis petatur: tibi grauè est quod non petatur: illi non admittunt ad se nisi Primates aliquos, aut nobiles regni sui; tu etiam vilissimos & abiectissimos totius mundi ad petẽdum admittis: illi sæpè nolunt, aut non possunt dare, quod ab eis petitur; tu semper vis dare quod conuenit, quia bonus es; & semper dare potes, quia es omnipotens. Et quandoquidem omnes gaudent copiosa hac tua liberalitate, laudent omnes te propterea & glorificent in æternum, Amen.

S. Aug. lib. 1. Retract. c. 19.

II. DEINDE considerandum est desiderium, quo tenetur Deus D.N. vt nos magno desiderio & feruore ab ipso petamus; ita vt nostrũ desiderium, & feruor in petendo, sit simili ei, quo ipse tenetur ad nobis dandum; ideoq;

repe

repetitione eorundē trium verborum Petite, Pulsate,& Quærite, docet nos petere instanter & feruenter: atq; si diceret, petite in fide & fiducia; quærite valde diligenter; & pulsate perseueranter, nec à petendo desistite, donec accipiatis quod petitis: quia b *oportet semper orare, & non deficere.*

b *Luc.* 18. 1.

III.

TERTIÒ est perpendendum, quòd nō solùm iusti, sed etiā peccatores hac prouidētia gaudeant, & exaudiātur in suis orationibus; modò quod bonum est, & in finē bonum, & bono etiam modo adhibito, & cum perseuerantia petant, obicēq; remouent impedientem accipere quæ petuntur; nisi audire velint illud Iacobi Apostoli; *Petitis & non accipitis, eò quod malè petatis.* Et Christus Dominus respondebit quod aliquando filiis Zebedæi: c *Nescitis quid petatis.* O Deus misericordissime, qui magna tua voluptate, d *voluntatem timentium te facis, & deprecationem eorum exaudis*; concede mihi, ita semper tuam facere vt efficiar dignus, cuius tu voluntate annuas, quatenus illa tuæ erit consona procura, anima mea, e *ne cor tuum te reprehendat*, ob aliquam culpam, vt tua fiducia crescat, & digna sis exaudiri: f *ne declines aures tuas ab audienda lege*, & g *ab audiendo clamore pauperis*: ne Deus obturet aurem suam, *vt non audiat orationem tuam.*

c *Matt.* 20. 22.
3. *Part. Medit* 23.
d *Ps.*144.19
e 1. *Ioan.*3.21
f *Prou.*28.9.
g & *c*:21.18.

IV.

DENIQVE perpendam Diuinæ prouidentiæ suauitatem, in hoc medio *adhibendo*: non enim contentus est exhortari omnes ad

orandum, & præscribere ipsam orationem orandi; sed hoc ipsum facit in particulari cum vnoquoque, occultis suis inspirationibus nos impellendo ad id, quòd petere debeamus; imprimens nobis desiderium obtinendi, & feruorem petendi, & ipsas rationes & titulos, quos possimus allegare ad id obtinendum; iuxta illud Apostoli, h *Quid oremus sicut oportet, nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Et quando hoc modo oramus, indicium est, quod velit nobis Deus dare quod petimus. nam à desiderio, quod ille habet illud nobis dandi, orta est inspiratio, quæ suggerit, vt tali modo petamus. Ideoque diuina prædestinatio (ait S. Gregor.) vt ea, quæ intendit, eueniant, vtitur medio perfectæ orationis. O Spiritus diuine, cuius prouidentia me gubernat, gratias tibi, ob curam quam de me geris, ne orationem prætermittam. Si non scio quid petere debeam, tu me doces; si obliuiscor, tu mihi suggeris; si laxor, tu me excitas; si deficio, animum addis; si desistere cogito, tu me perseuerare facis, vt petam, quæram, & pulsem, donec accipiam & inueniam quod desidero. O Pater amantissime, ostende erga me supremam hanc tuam prouidentiam, dans mihi talem in oratione spiritum, vt possim te vocare Patrem, & à te obtinere quidquid mihi est necessarium, vt sim tuus perfectus filius in æternum, Amen.

h *Rom.* 8 26

Lib. 1. *Dialog. c.* 8.

MEDI-

MEDITATIO XXXIV.

DE PROVIDENTIA DEI, qua nobis Custodes Angelos assignat: & quanta bona hoc beneficium complectatur.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM primò, prouidentiam diuinam statuisse, vt omnes homines haberent suos Angelos custodes, qui ipsos custodirent, & ad finem æternæ saluationis dirigerent: perpendendæ verò causæ, quæ Deum ad hoc faciendum induxerint. Causæ huius Prouidentiæ.

PRIMA causa fuit vt magnum suum amorem erga homines ostenderet, quantique faceret, ac desideraret eorum salutem: siquidem statuit: a *omnes illos esse administratorios spiritus, in ministerium missos* è Cœlo *propter eos, qui hæreditatem caperent salutis.* Ita vt nõ solùm omnes creaturæ cœli & terræ homini seruirent, sed etiã quæ sunt super Cœlũ & maiores in sua natura, quàm sit homo, illi tamen ministrarent, illumque adiuua- I.

a *Heb.* 1. 14.

rent. & ob eam causam dixit Christus Dominus noster: b *ne contemnatis vnum ex his pusillis, quia Angeli eorum in cælis, semper vident faciem Patris mei.* Quasi diceret: tanti illos Pater meus facit; vt Angelos eis destinauerit, qui semper sibi assistunt in cælis. Gratias tibi, Pater æterne, ob amorem hunc & æstimationem, qua nos tanti facis, vt familiares & domesticos tuos, custodes nostros adhibeas. Iam non miror Domine, sicut Dauid, quòd c *omnia subiecerit sub pedibus* meis, ac *minueris paulo minus ab Angelis*; siquidem eosdem Angelos constituis, vt mihi, amore tui ministrent. Seruiam ego tibi, Domine, sicut illi seruiunt, in gratiarum actionem, ob illa bona, quæ mihi propter te faciunt.

b *Mat.* 18. 10

c *Psal.* 8. 8

11. SECVNDA causa, cur Angelos custodes diuina prouidentia nobis adhibuerit, ea est, quòd videret nostrã imbecillitatẽ, & magnas necessitates ac pericula, quib. in hac vita subiecti sumus, & quãuis potuisset per seipsum hoc fauore erga nos vti; voluit tamen Angelorum operã ad id vti, commendans illis, vt diligentem curam nostri gererẽt, iuxta illud Dauidis; d *Nõ accedet ad te malum: & flagellũ non appropinquabit tabernaculo tuo: quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus suis portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Quibus verbis insinuat Dauid tres Dei magnos in me fauores. PRIMVS est, quòd Deus nõ vni soli ũ, sed pluribus Angelis mei curam demã-

d *Psa.* 90. 13.

dane-

dauerit, quò insinuat multos esse, qui curam mei gerant, vt mox videbimus. SECVNDVS fauor est, quod me custodiant *in omnibus vijs meis* & gressibus, in quacunque mundi parte versor, terra mariqúe, & in omnibus negotiis quæ tracto, & operib. quæ facio. TERTIVS est, quod me portẽt in manib. suis, ne offendam; & præseruant ab occasionibus, in quibus offendere, & periclitari possem; ita vt eius manus, instar mihi sint vehiculi aut lecticæ, quæ me portat, protegit, & à terra eleuat, defendens me ab iniuriis aeris & ab offendiculis terræ. O prouidentia, amore & suauitate pleniſſima, Patris nostri cælestis! quas tibi gratias reddere potero, ob hanc tuam curã, qua tali via meæ imbecillitati subueniſti! vtinam tam esset mihi curæ tibi seruire, quàm est Angelis me protegere; vtinam in meis omnibus viis & gressibus, illis parerem, vt etiam placerem tibi: vtinam sinerem me portari manibus eorum, vt nunquam tu me à tuis dimitteres. O Angeli beatiſſimi, semper mei curam gerite, vt nec malum mihi appropinquet, nec pœna prosternat, nec desistam ab eius obsequio, qui nunquam desistit à mea protectione.

III.

TERTIA causa fuit, quòd videret DEUS DOMINUS noster, malos angelos, qui è cælo repulsi erant, tẽtaturos & persecuturos homines, ingenti rabie & inuidia, ideoque benigna sua prouidentia de bonis Angelis, qui in cælo remanserunt, nobis prospexit, qui à

malis Angelis defenderent; & haberent homines ſpiritus, inuiſibiles protectores, ſicut habebant inuiſibiles impugnatores. Et ita in ipſo quoque ſtatu Innocentiæ, ſicut fuit vnus Dæmon, qui primos noſtros Parentes tentaret; ita etiam fuit Angelus, qui eos cuſtodiret ac protegeret: & ſi Eua attendiſſet ad inſpirationes Angeli boni, non adhibuiſſet fidem verbis Angeli mali. Et ob eandem cauſam, hoc ipſum ſtatuit diuina prouidẽtia, vt ſic defenderemur ab aliis hoſtibus viſibilibus quidem, ſed tamen occultis: neceſſe enim erat, habere etiam aliquem amicum occultum, qui eos agnoſcens nos ab eis liberaret. Ex quibus omnibus magnam concipiam fiduciam depugnandi aduerſus Dæmones, & cæteros occultos hoſtes: ſiquidẽ pro me ſunt Angeli, illis omnibus potentiores. O ſi tibi, anima mea, Deus aperiret oculos, ſicut *aperuit puero Eliſei* vt videres, quàm multi & meliores tecum ſint, & pro te pugnent, quam cõtra te, magnum proculdubio animum acciperes ad pugnandum, & vincendi fiduciã. Lauda ergo & glorifica prouidentiam tui ſupremi Capitanei, qui tot adeoque ſtrenuos tibi dedit defenſores, contra tot & adeò potentes aduerſarios.

S. *Thom.* 1. *p. q.* 113. *a.* 4. *ad* 2.

c 4. *Reg.* 6 17.

PVNCTVM II.

DEINDE conſiderandum, quod hæc ſuprema prouidentia, ad omnes in vniuerſum homines huius mundi, admirando quodam modo ſe extendat.

1. *p. q.* 113. *a.* 4.

PERPENDENDO primùm, quod non ſolùm qui ſunt ad cœlum prædeſtinati, habeant ſuos Angelos, ſed etiam reprobi; nec ſolum iuſti, ſed etiam peccatores; nec ſolum Chriſtiani, ſed etiam Gentiles, & omne genus infidelium, nemine prorſus excluſo vſque ad ipſum Antichriſtum; qui etiam habebit ſuum. quia enim a *Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, ita hoc medium adhibet ad eorum ſalutem; & ne quis ſuis meritis hoc attribuat, Angeli aſſignantur ſingulis ab eo tempore, quo anima creatur, & corpori vnitur, aut certè ab ipſo puncto natiuitatis. I.

a 1. Tim. 2. 4

SED maiorem adfert admirationem, quòd cùm vel vnicus Angelus, abundè ſufficéret ad multos homines, qui in eadem ciuitate vel regno habitant, cuſtodiendos; nihilominus ſtatuerit prouidentia diuina, vnum ſolum Angelum deſtinare cuſtodiæ vnius ſolius hominis, in quacunque parte & loco mundi ille eſſet; & vt huic ſoli tanquam ſocius & pædagogus perpetuò attenderet, omnibus diebus vitæ eius, nec illum vnquam omninò deſereret, etiamſi omninò rebellem ſe exhibentem. O Pater amantiſſime, quas gratias tibi referam, pro tam excelſo beneficio, quo afficis homines, mandans Angelis amicis tuis, vt ſint pædagogi tuorum hoſtium. A ventre matris meæ, & b *natura eram filius iræ*; & tamen II.

S. Thom. ſupra a. 6.

b Ephe. 2. 3.

ex tunc mei curam commisisti ei, qui erat vas misericordiæ, vt contenderet facere me sibi similem: seruiam ego tibi DOMINE sicut ille seruit, vt perueniam ad fruendum te, sicut ille fruitur, Amen.

HINC magnum concipiam amorẽ & opinionẽ de quocunq; proximo, etiamsi vilissimo; siquidẽ etiam vilissimo Deus constituit Angelum omninò eius custodiæ addictum: & ideo Christus D.N. dixit: c *Ne contemnatis vnum ex his pusillis*, quia Angelus maximus & potentissimus, etiam pusillum custodit.

c *Mat.* 18. 6.

QVOD si ego nõ auderem murmurare, aut detrahere alicui absenti corã magno aliquo eius amico, nec præsentem afficere iniuria, corã eius pædagogo, aut strenuo eius custode; consentaneum quoq; est rationi, vt nihil tale ego faciam in proximum meum, attẽdẽs quòd is Angelum habeat pædagogum & custodem, qui meas audiat murmurationes, & videat iniurias, sitque potens ad petendam à DEO iustitiam & vltionem de me, eamque exsequi sine mea resistentia.

III. TERTIÒ perpendam, quòd prouidentia diuina non satis habuerit, vnicuique homini assignare custodẽ Angelum ex vltimo Choro infimæ Hierarchiæ; sed voluerit præterea Archangelos & Principatus destinare, qui Reges & Principes, Regna, & Ciuitates gubernent ac tueantur, Ecclesiam item vniuersalem, eius Metropolitanas, Religiones, Prouincias, & Monasteria earumque Prælatos,

tos,& perſonas in dignitate conſtitutos,quo per excelſos huiuſmodi ſpiritus mandentur executioni, cum maiori ſuauitate, diſpoſitiones ac decreta diuinæ gubernationis. Ex quo intelligam, me non habere vnum tantùm Angelũ qui me cuſtodiat, ſed etiã adeſſe mihi Angelũ illum aut Principatum, qui regnum cuſtodit, & ciuitatem, in qua habito; & eum qui vniuerſalem Eccleſiam tuetur;& qui particularem,in qua ego maneo; & eum qui religionem & monaſterium, in quo dego; & eum qui ratione meæ dignitatis aut officij,mihi eſt aſſignatus. Præterea Angeli ſecundæ Hierarchiæ, Virtutes, & poteſtates, qui poteſtatem habent Dœmones reprimẽdi, adiuuant me in tentationibus. Eſt etiam adeò ſuauis prouidentia diuina, vt intuitu hominis conſtituerit Angelos,qui attendant conſeruationi ſpecierum rerum corruptibilium, ne vnquam illæ deficiant, & homo fraudetur bono,quod ex eis percipit, nec illæ fruſtrentur fine, in quem Deus illas creauit. Quod totum mihi debet eſſe motiuum ad nouas laudes,vt gaudeam de amore quem Deus nobis oſtendit in adeò beneuola prouidentia; & prouocem meum Angelum cuſtodem,& Archangelum,& Principatum,& Poteſtatem,ſub quorum gubernatione dego, vt gratias pro me agant, & pro bono quod infidelibus largitur qui ipſum nec agnoſcunt, nec gratias agere ſciunt.

PVNCTVM III.

TERTIÒ est considerandũ, quanta animi voluptate & lætitia, Angeli accedant ad officium hoc custodiæ nostræ sibi commissæ exsequendum; quos neq; propria excellentia & nobilitas, nec paruitas & abiectiò nostra, ab eo præstando remoratur: perpendam verò causas, cur illi in hoc munere exequendo adeò delectentur, easque causas mihi accommodans, studebo eos in illis imitari.

I. PRIMA & præcipua causa est, quod ita Deus illis mandauerit, quæ vel sola sufficit. cùm enim adeo illum diligant ex intimo corde cupiunt opere exsequi, quidquid ipse illis mandat; nec aliquid reputant vile aut abiectũ, quod Deus mandauerit; cui seruire regnare est. Ideoque cum tanta voluptate a *Raphaël Angelus*, etiamsi esset *vnus ex septem* præcipuis, *qui astant ante Dominum*, seruiebat Tobiæ, in itinere & in hospitijs, atque si Regnum aliquod gubernaret, aut stellatum cœlum moueret: quia non tam aspiciebat rem sibi commissam, quàm eum qui illam committebat: & ita oblectatur in suo munere Angelus mancipij custos, atq; Cæsaris custos aut Pontificis. Ob *Angeli Dei, potentes virtute ad faciendum verbum illius, & audiendam vocẽ sermonum eius*, promptissimè exsequẽtes quidquid ille vult: benedicite illi pro

a *Tob.* 12.15

b *Ps.* 102.20

bono

bono hoc affectu, quem vobis dedit; & orate eum, me vt iuuet ad vos imitandos, vt glorier in obediendo ei in omnibus, quæ mihi voluerit iniungere.

SECVNDA causa est insignis Charitas, quam habent erga homines, tanquam erga suos proximos. Nam videntes quod Deus illos diligat, non possunt ipsi illos non diligere, aduertentes etiam, Deum adeò illos dilexisse, vt fieret homo pro eis; & ipsi quoque adeò gaudent, eos diligendo, vt libenter fiant, tanquam serui, eorum causa: ideoq; volens S. Ioannes vnum illorum adorare, ob insignem eius excellentiam, c *Angelus* id prohibuit dicens: *Vide ne feceris: conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium* IESV. Quasi diceret, non tanti æstimo, quòd sim Angelus, atque quòd sim seruus IESV; cuius & tu & fratres tui serui estis, & propter quem gaudeo ego seruire, sicut seruus; non adorari sicut Dominus. Et eousq; amor iste progreditur, vt non solùm Dei seruos diligant, sed etiam eius inimicos, cupientes scilicet bene illis faciendo, eos conuertere in amicos, ideoque magna eos voluptate custodiunt. II.

c Apoc. 19. 10. & 22. 9.

EX PRAEDICTIS duabus causis oritur TERTIA, Desiderium scilicet ingens, quo tenentur, vt cœli Sedes, quas eorum socij vacuas reliquerunt, nouis colonis repleantur; ideoque magnum studium ponunt in procuranda nostra salute, vt ad eas nos III.

secum deducant. Ex quo prouenit, vt quando d *peccator* quispiam *pœnitentiam agit, gaudium sit illis magnum in Cœlo.* Et si capaces essent tristitiæ, e *Angeli pacis amarè flerent* in ruina iustorum, nihil enim æquè eos ad lachrymas permoueret atque hoc. Et sic tristantur de nostro torpore, & exultarent de feruore; cupiuntque nos in omni virtute crescere etiam supra illam, quam ipsi habēt, tantum enim absunt ab inuidia, vt exultent potius Angeli custodes nostri, si homines in cœlo ad altiorem locum, inter Cherubinos & Seraphinos euehantur. Quare agnosce, anima mea; ardentissimam horum spirituum charitatem, & contende eam absque inuidia æmulari; dolens vicem peccatorum, & exultans de bono eorum qui iustificantur; gaudensque de ijs, qui ad maiorem altitudinem quam tua sit, peruenerunt. Et siquidem tuus Angelus suam consolationem in tuo profectu ponit, ne quid feceris, quo ille offendatur; aut prætermiseris, quo ille lætetur, offerens gaudij materiam ei, qui tanta animi voluptate tuum procurat commodum.

d *Luc.* 15. 10.

e *Isai.* 33. 7.

PVNCTVM IV.

1. QVARTÒ est consideranda prouidentia & vigilantia custodum Angelorum erga nos, & ingentia bona spiritualia, quæ per illos nobis proueniunt: & PRIMVM, perpendenda est causa huius tantæ eorum prouiden-

uidentiæ, quam tetigit Christus Dominus noster, cùm dixit: a *Quoniam Angeli eorum semper vident faciem Patris vestri qui in cœlis est.* Ex hoc enim aspectu tres illis proueniũt proprietates, necessariæ ad perfectam prouidentiam, quas superius tetigimus, *Sapientia* scilicet, *Bonitas*, & *Potentia* vt nimirum sciant quid erga nos facere debeant, idque magna charitate velint, & ad exequendum habeant potestatem. Et quando illis non cõstat, quid Deus velit, quisq; eorum facit quod indicat esse conueniens bono eius, cuius est custos, licet id aduersetur ei, quod alter intendit; sicut euenit b *Angelis custodibus populi Iudæorum & Persarum*: quamuis statim atque Deus voluntatem suam illis reuelat, & prouidentiæ suæ ordinem ac dispositionem, statim ipsi ad eam exsequendam conueniant. Et in hac fide curare debeo me benè radicare, reuocans mihi in memoriam quod dixit Ecclesiastes, c *Ne dicas coram Angelo: non est prouidentia: ne fortè iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum.* Quasi dicat; attende, te esse corã Angelo tuo: caue itaque in eius præsentia dicere, neque Deum, neque ipsum prouidentiam habere. id enim esset in causa, cur nullum ex ea fructum percipias, sed potius pœnam tua blasphemia dignam.

a Mat. 18. 10

b Dan. 10. 13 S. Thom. 1. p. q. 113. a. 8.

c Eccl. 5. 5.

HINC ascendam ad perpendendos admirandos Angelicæ huius prouidentiæ affectus spirituales; eos reducens ad tres actus Hierarchi-

Dioni. tom. 4. cœlest. Hierarch.

rarchicos, quos S. Dionisius appellat PVRGARE, ILLVSTRARE, & PERFICERE, quos exercet suprema Hierarchia cum media, & media cum infima, & hæc cum hominibus, quamuis interdum extraordinariè etiam illi qui sunt supremæ Hierarchiæ, eos exerceant cum hominibus.

I. IVXTA hoc itaque Angeli PRIMVM nos PVRIFICANT ab erroribus & peccatis, iuuantes nos ea deserere, & suggerentes exercitia viæ PVRGATIVAE, sicut d *Seraphin, qui calculo* siue pruna, *tangens labia Isaiæ Prophetæ dixit: Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.*

d Isai. 6. 6.

II. IIDEM etiam illustrant animas nostras veritatibus, & exornant virtutibus, quia internis suis illustrationibus manifestant, quæ non scimus, & alliciunt ad faciendum quod debemus: & hoc medio proficimus in via, quæ dicitur ILLVMINATIVA. Aliàs nobis inspirant & inducunt, vt accedamus Magistros qui docere nos & iuuare possint; & ipsis quoque Magistris inspirant, vt nos doceant & iuuent, sicut accidit Cornelio, eo modo quo suprà diximus.

III. TERTIO PERFICIVNT nos Angeli in omni virtute & exercitijs coniunctionis cum DEO; & ita nominatim curam habent nostrorum exercitiorum, Orationis, Meditationis, & Contemplationis, per quæ præ-

dicti

dicti effectus obtinentur, & vt ait Dauid, *præuenunt* nos, vt oremus, ad id nos impellentes, & e *psallentibus coniunguntur*, quietem nobis in oratione adferentes, quam magno feruore exacuunt. Et (vt ait Sanctus Ioannes in Apocalypsi) statim atque illa finita est, eam DEO *offerunt*, & expeditionem eius procurant. quare cùm aliqua desideria orandi repentè mihi incidere aduerto; existimare licet, à meo Angelo illa prouenire, qui me inuitat ad orandum: quare par est, me illi obedire, & g *orare* (vt ait Dauid) *in conspectu Angelorum*, *psallendo* DEO, *& adorando ad templum sanctum eius*, *& confitendo nomini eius*, adhibens illos tanquam testes orationis meæ, ne in eorum conspectu tale quid cogitem, quod erubescerem, coram hominibus cogitare. Nam alioquin non offerent orationem illam coram DEO. O supreme Princeps, qui meæ assistis custodiæ, *purifica* me à vitijs, *illustra* virtutibus, & *perfice* vnione charitatis; impelle me ad orandum; comitare, dum oro; accende ipsam orationem igne feruoris, vt per manum tuam ascendat illa ad conspectum Creatoris, vnde redeat benè expedita, iuxta meum desiderium, quo teneor, ipsi me coniungendi in æternum, Amen.

e *Ps.* 67. 26.

f *Apoc.* 8 3.

g *Psal.* 137. 1

AB HAC denique prouidentia oritur vt Angeli, singulari studio nobis assistant, ad impedimenta nostræ salutis remouenda, qui

IV.

h *Apoc.* 12.7

qui (vt ait S. Ioan. in Apoc.) h *præliantur* pro nobis *cum Dracone, & Angelis eius*; noſtriſque pugnis & tentationibus aſſiſtunt, vt nos propugnent. Et ſi voluerimus illorum ſtrenuitatem & conſilia in pugnis noſtris ſequi, certa erit de noſtris hoſtibus victoria. Et eadem ratione nos defendunt à cæteris noſtris hoſtibus, idcircò enim dixit Dauid i *immittet Angelus Domini in circuitu*, ad omnes ſcilicet partes *timentium eum*, *& eripiet eos* ab omnibus tribulationibus eorum, adducens ſecum militum cœleſtium exercitum integrum; qui Deum timentes in medio ſui accipient, & eos à ſuis hoſtibus defendent, vt accidit k *Eliſæo* Prophetæ. Gratias vobis, Spiritus beati, ob iſtam veſtram diligentiam, qua ad meam defenſionem accurritis. Certus ſum enim, vos non minus vigilantes in mea defenſione futuros, quàm ſint Dœmones in mea impugnatione; nec minùs ſolicitam futuram veſtram charitatem in meum bonum, quàm ſit malitia illorum in meam perniciem. & ſiquidem l *aduerſarius meus Diabolus, tanquam Leo rugiens, circuit quærens* opportunitatem, qua me *deuoret*: Venite & vos tanquam generoſi leones, & ex omni parte me circumdate, vt defendatis: in veſtrum ſiquidem honorem cedet, ſi veſtro auxilio ego victor euaſero.

i *Pſal.* 33.8:

k 4. *Reg.* 6. 17.

l 1. *Pet.* 5.8.

(·.·)

PVNCTVM V.

QVINTO est consideranda prouidentia Angelorum circa bona corporalia in ordine ad spiritualia nostræ salutis; cuius intuitu etiam attendunt vitæ nostræ, sanitati, honori, fortunis, escis, vestibus & reliquis nostræ conseruationi, iuxta status nostri rationem necessarijs; & ipsimet statui nostro consulunt, quē amplecti nobis expedit, iuxta dispositionem prouidentię diuinę. Similiter nos adiuuant in morbis nostris, tristitijs, periculis, & miserijs, quas patimur, aut nos ab eis liberando, aut illis moderando, & nos consolando: aut inspirando alijs, qui nos liberare & consolari possint, & intercedendo pro nobis apud Deum: nihil prætermittentes eorum, quæ ad ipsorum munus pertinent, sed magna charitate & solicitudine omnia præstantes. sicut fecit Angelus a *Raphael cum Tobia*, quem *liberauit ab immani pisce eum inuadente*, ad deuorandum; & animum illi fecit, vt piscem *apprehenderet, & ad se traheret*; cuius carnes pro sustentatione in sua profectione adhibuerunt, & eiusdem corde super carbones posito vsus est ad fugandum Dæmonem Asmodæum, qui eum quærebat suffocare; ex felle verò medicinā parauit, qua Patri suo cœco lumen restituit: & idem Raphaël ita rem direxit, vt vxorem cum magno honore & diuitijs duceret, cre-

I.

a *Tob.* 6. 4. & 6.

ditum pecuniæ pro ipso recepit, bonis tem
poralibus ipsum repleuit, & insignia consi
lia dedit; ante & postquam vxorem duxit
donec diuitem illum, contentum, & prospe
rum in paterna domo reliquit. Et quod S. il
le Angelus fecit visibiliter coram Tobia, fa
cit inuisibiliter cum omnibus, ideoq; possu
b *Tob.* 9. 2. dicere meo, quod illi dixit Tobias: b *si me
ipsum tradam tibi in seruum, non ero cond:gn
prouidentia tua:* ecce me nihilominus tib
in seruum trado, perge porrò, quod in m
cœpisti, curam gerere tam corporis quàm a
nimæ meæ, donec me constituas in dom
Patris mei cœlestis, diuitem & beatum in æ
ternum. Amen.

II. HINC pergam vlterius ad perpendem
dum, quid ego facere debeam erga sanctum
Angelum meum custodem, in gratiarum a
ctionem, ob eius erga me solicitudinem
Nam primùm par est, frequentem me recen
temque eius memoriam habere, & mihi pr
sentem tanquam vitæ meæ testem aspicere
& cauere, ne quid seorsim & in secreto au
seperato domus meæ loco, faciam, quod o
culos tam boni amici offendat. Et vt ait A
c 1. *Cor.* 11. 10. 13. postolus, c *mulier potestatem* & velamen *ha
bere debet supra caput* in Ecclesia *propter An
gelos*: sic ego studebo semper esse castus, mo
destus, temperans, & omninò compositus i
omnibus meis actionibus publicis & priua
tis, propter Angelum, qui adstat mihi ad la
tus; cum quo familiarem & frequentem in

itiquam conuersationem. nam vt ipse erga me prestat officium pædagogi, magistri, consiliarij, gubernatoris, protectoris, amici, & socij; ita par est me illi correspondere, & familiariter cum eo loqui; nunc tanquam à Magistro petendo lucem contra meas ignorantias; nunc tanquam à consiliario petendo in meis dubijs consilium; tanquam à protectore, auxilium in meis periculis; nunc deniq; tanquam ab amico, solatium in meis calamitatibus petendo; interdũ gratias agam pro beneficijs, quæ mihi confert; interdum etiam congaudebo & congratulabor illi de bonis, quę ipse possidet; & aliàs Deũ laudabo ob bona, quibus illũ ornauit. Et quoniam interdum à me discedens, in cœlũ conscendit, quamuis inde me etiã aspiciat, magnamque mei curam gerat, ego tamen eũ aduocabo, vt veniat maneatq; mecum ad latus meum qui, quòd adeò sit comis ac beneuolus, annuet meæ petitioni, imò internum dabit mihi indicium præsentiæ suæ; iubilos scilicet consolationis, quos tunc experiar in corde. Præ omnibus autẽ, conabor illũ mihi facere addictum & amicum, ad horam meæ mortis: nam cùm ipse sit exsecutor mediorũ nostræ prædestinationis, quæ dependet ex nostra perseuerantia vsq; ad bonam mortem; in ea hora maiorem omninò adhibet diligentiam, vt ego consequar salutem; sicut Dæmon etiam est diligentior, vt ego peream.

S. Thom. 1. p. q. 113. a. 6. ad 3.

III.

ET si quis custodi suo ANGELO in

vita obediuerit & seruuerit, magis propitium sibique fauentem habebit in morte; ita vt nec ad momentum illum deserat, donec deducat animam, sicut Lazari illius, in sinum & æternam requiem gloriæ. Ad hoc totum conducet, aliquale obsequium, aut oratione specialem quotidie, illi offerre: verbi gratia: salue Angele Dei, Princeps nobilissime, mi custos, & pœdagoge amantissime, salue: gaudeo, quod tantam tibi dederit Deus excellentiam, & sua gratia sanctificauerit, in qua donec gloriam obtineres, perseueraſti: Gratias ago omnipotenti Deo, propter beneficia in te collata, tibi vero propter ea, quæ mihi confers, & propter amorem & voluptatem, qua me custodis: Ego tibi commendo hodie corpus meum & animam meam, memoriam, intellectum, & voluntatem, appetitiones meas & sensus omnes, vt me custodias, dirigas, protegas, & gubernes, ac simul purifices, illumines, & perficias; ita vt omnibus bonis per te plenus, perseuerem semper in gratia, donec simul tecum Deum videam, & eo fruar in gloria. Amen.

(·,·)

✠
✠✠✠
✠

Imprimatur,
Guil. Wake, S. T. P.
Præpositus Collegii Exon.
Oxon. Vicecancellarius.
Jul. 29. 1697.

Ad Lectorem.

Ecce tibi, Lector, Opus Tertium, Tertiumque Volumen, Tertiæ Editionis, Tertio Recognitum, Tertio Auctum, Tertio Emendatum. Quod ut Tertio Tibi Commendem, Tertio Tibi Dicendum est, Quod Tertio Dicendum est, Tertio Dicam. Quod Tertio Dicam, Tertio Dicam. Quod Tertio Dicam, Tertio Dicam. Quod Tertio Dicam

carnis contra spiritum, & passionum contrarionem; Deinde mortalis corporis miserias, quæ pauperem animam grauant; Persecutiones denique & contradictiones malorum, qui bonos inficiunt ac perturbant. Si enim tunc aliquis fuisset malus, mox illum Deus à cæteris separasset. Et quamuis tantatorem vnum illis permiserit, scilicet Dœmonem, facilè potuissent illum superare, quia non potuisset tunc illos tentare, sicut nunc; humores scilicet commouendo; passiones inordinatas excitando, aut imaginationes; sed exteriùs tantùm proponendo quod volebat, vt eos deciperet: cuius fraudes facilè fuisset cognoscere, si vti voluissent scientia, & gratia sibi à Deo infusis. Ex quo facilè intelligitur, quantoperè Deus desideraret, Adamum & eius successores perseuerare in ipsius gratia; & gloriæ coronam obtinere. Et propterea debeo illi magnas gratias: quamuis enim non gaudeam in illa eius prouidentia; voluntas tamen eius ea erat, vt omnes Adami filij & posteri ea fruerentur.

S. Thom. 2. 2. q. 165.

II. Mox perpendam, quòd Deus Dominus noster, etiamsi videret ob Adami peccatum, dissolutas esse dispositiones prouidentiæ suæ, circa hominum salutem in illo statu innocentiæ, non tamen idcircò illos, vt commeriti erant, deseruit; sed statuit aliam prouidentiæ rationem adhibere, vt lapsis

reme-

mum ipse accipere, & multo quidem excellentiorem quam primitus erat, tam ob eximias suas bonitas, & vere sanctæ perfectionis dotes, quam præcipue ob summam illam unionem hypostaticam, qua humanitas, & ea ut perfectissima sanctificata, & deificata facta est cum filio Dei æterno, ut ita dicam, in unam eamque personam. Quod enim ad primum attinet, non dubium est, quin ipse Christus homo, ut ceteros omnes sanctos præcesserit non tantum gratiæ, & gloriæ præmiis, sed & sanctitatis, & perfectionis ipsius augmentis, quæ in eum usque finem, quo in hoc mundo peregrinatus est, crescere debuit, & crevit. Quemadmodum enim ipse Christus homo, qua in natura humana, quam in persona filii Dei, omnes alios homines, & angelos, tam in cœlo, quam in terra, & inferno, quotquot unquam fuerunt, aut futuri sunt, longe superat, & excellit, ita & in gratia, & gloria, & sanctitate, & perfectione omnes alios sanctos, & beatos, quotquot unquam fuerunt, aut futuri sunt, longe superat, & excellit. Quod ipsum etiam de Deipara virgine, & matre Dei, quæ ipsi proxime accedit, dicendum est. Quæ enim ipsa Christo homini, ut matri, & nutrici, & ministræ, & cooperatrici, & sociæ, & adjutrici, & consolatrici, & ancillæ, & mancipiæ, & quæ non alia ratione, & modo, & titulo, & officio, & ministerio, & cooperatione, & sanctitate, & perfectione, & gratia, & gloria, & beatitudine, & dignitate, & excellentia, & præstantia, & sublimitate, & amplitudine, & magnificentia

retur, qui simul esset DEVS; propter cuius merita peccatum Adami remitteretur, damnaque repararentur, quæ ex eo prouenerant. Non itaque solùm habere voluit quancunque prouidentiam hominum, qui perierant; sed ipsemet DEVS suæ prouidentiæ exsecutor esse voluit, & ineffabili quodam modo homo fieri propter illos. Et qui eorum erat gubernator & caput inuisibile, fieri voluit etiam gubernator & caput visibile, coniungens humanam naturam diuinæ suæ personæ; honorem hac ratione infinitè ampliorem hominibus adferens quàm habuissent ante culpam: quam infinitis misericordiæ suæ modis reparauit. *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem!* O felix fractura, quæ adeò admirabili prouidentia est reparata? O Pater cœlestis, quò ampliùs potuit prouidentia tua peruenire, quàm vt filium tuũ dares pro seruo redimendo! O fili Dei benedicte, quid amplius excogitare potuit Sapientia tua, quàm vt te indueres carne mortali, quò gratia tua carnem viuificares, quæ ob culpam erat mortua? O Spiritus sanctissime, quod maius indicium infinitæ tuæ charitatis dare poteras, quàm infinita dona tua, ei conferendo, qui infinitè esset illis indignus. O Trinitas beatissima, siquidem voluisti nos ita reparare, vt conformes fieremus imaginis IESV CHRISTI vere DEI & Hominis, ostende mecum beneuolã tuan

Ecclesia ex S. Greg.

pro-

prouidentiam, reparando meæ naturæ imaginem culpâ deformatam, viua gratiæ tuæ similitudine, Amen.

PVNCTVM II.

EX hoc pergam considerare in particulari, quòd sicut secundus Adam Christus infinitè excellit primum, sic bona quæ per secundum nobis proueniunt, excedunt incomparabiliter ea, quæ per primum aduenissent, si ille non peccasset.

NAM primùm, etsi filij Adami nati fuissent in gratia, ij tamen qui à Christo generantur per Baptismum, maiorem nunc recipiunt gratiam. nam illam Deus dedisset infantibus ex sua liberalitate; sed hanc dat etiam eisdē, propter infinita merita eius, qui passione & morte sua eam illis comparauit. I.

DEINDE, quamuis filij Adami, in illo statu non habuissent pugnam passionum, nunc verò filij Christi illam sustineant; hoc tamen ita disposuit diuina prouidentia, vt eo victoria esset illustrior, quò pugna esset acrior; & illorum opera eò essent magis meritoria, quò maiores vincerent difficultates, succurrente ipso nostro Redemptore copiosa sua gratia filiis debilioribus. II.

TERTIÒ licèt filij Adami mortem nō obiissent, nec alias corporis miserias fuissent experti, quas filij Christi Domini experiuntur, & sustinent; ipse tamē Christus ita illas III.

honorauit, cum in se illas suscepit, vt felicitatis potiùs sit eas & nos subire; eò quòd omnes ipse conuertat in materiam & exercitationem heroicarum virtutum, quarum excellentes actus in eo statu non fuissent, quia defuissent occasiones paupertatis, patientiæ, martyrij, & dilectionis inimicorum, resignationisque in re adeò chara, qualis est salus & vita.

IV. DENIQVE misericordiæ eius magnitudo infinitè vincit miserię magnitudinem, quam attulit culpa Adami. nam vt Apostolus ait, a *non* tantam vim habuit *delictum, sicut* habet *donum*; nec tantum nobis detrimentum potuit Adamus adferre, vt non potuerit Christus maius bonum nobis communicare, condonando scilicet nobis peccatum, quod hæreditate ab eo accepimus, & quæ postea nostra voluntate contraximus; totque fauoribus nos prosequendo, postquam fuissemus tot bonorum prodigi; vt, qui in illo statu fuissent, possent nobis in multis rebus inuidere excellentias, sacramenta, & sacrificia, quę in hoc statu habemus propter merita nostri Redemptoris.

a *Rom.5.15.*

O Redemptor dulcissime, gratias tibi quantas possum, pro paterna prouidentia tua erga nos, qua felicitatem status Innocentiæ, nobis supples abundantia Diuinæ tuæ gratiæ, quam nobis communicas. melius Domine tecum viuere in statu pugnæ, quam sine te in statu pacis, pax enim sine te vno die

periit;

perint; sed pugna cui tu assistis tua gratia, obtinebit pacem sempiternam.

PVNCTVM III.

TERTIO consideranda est suprema prouidentia, quæ relucet in gubernatione CHRISTI Domini Nostri cum eius proprietatibus & admirandis effectibus, quos ad quatuor ab Apostolo indicatos reducemus, cum de Christo D. N. diceret: a *qui factus est nobis Sapientia, Iustitia, Sanctificatio, & Redemptio.* a 1. Cor. 1.

PRIMVM, Christus Dominus noster est nobis SAPIENTIA, quia est gubernator sapientissimus, b *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*; qua sine vllo errore, efficacissimè tamen & suauissimè gubernat & cognoscit omnium propensiones, & cui que offert gratiã & auxilium potens ad vincendas malas, & perfectè sequendas bonas. quæ eius gubernatio eò tendit, vt nos faciat sapientes, non c *sapietia mundana* & terrena, sed *cœlesti* aç diuina, d *quã* dat *omnibus* seruis suis *affluenter*. quamobrem dixit Isaias, quod tempore eius gubernationis, e *terra esset repleta scientia Domini*, & f *vniuersi filij docti à Domino*, g & rursum: *omnes erunt docibiles Dei*: qui Dominus simul erit gubernator & magister, qui nos doceat veritates ad nostram salutem necessarias; & ita gubernabit, vt illam consequamur. O gubernator sapientissime, qui cùm esses sapientia I. b Coloss. 2. 3 c Rom. 8. 7. d Iacob. 1. 5. e Isaiæ 11 9. f c. 54 13. g Ioan. 6. 45

Ange-

Angelorum in cælis, factus etiam es ſapientia hominum in terris; proponens illis tuam vitam & doctrinã, tua exempla & verba tua, dirige quæſo me ſapiẽtia iſta tua, ne defrauder à fine, quem tuá intendit prouidentia.

II. DEINDE Chriſtus Dominus noſter, eſt nobis IVSTITIA, quia eſt gubernator iuſtiſſimus, qui per excellentiã vocatur h IVSTVS, in quem nunquam potuit cadere iniuſtitia, ſemperq; opera ſua rectificauit cum volũtate æterni ſui Patris: ac propterea eius gubernatio, ſemper eſt in iuſtitia & æquitate, abſque vllius iniuria & acceptione perſonarũ; neque vnquam propter reſpectus humanos ab eo quod iuſtum eſſet recedit; ſed cuiq; dat potiùs id, quod promeretur; præmium bonis, pœnam malis, tanquam iudex vniuerſalis omnium, tametſi deſiderium eius potius ſit ita gubernandi, vt præmium dare poſſit coronam iuſtitiæ, quàm caſtigandi zelo vindictæ. quare eius gubernatio eò dirigitur, vt ipſe i *iuſtus iuſtificet multos* vèra & ſolida iuſtitia, faciens eos coram Deo iuſtos, & mundos ab omni culpa, eaque pace eos implens, quæ comitatur iuſtitiam. quare dixit Dauid, quòd tempore gubernationis & k *in diebus eius oriatur iuſtitia, & abundantia pacis* & qui permittent ſe gubernari, & l *attendent mãdatis eius*, (vt ait Iſaias) *fiet illis ſicut flumen pax eorum, & iuſtitia eorum ſicut gurgites maris.* O gubernator iuſtiſſime, tu es IVSTITIA mea quia tua gratia me iuſtificas, quam mihi ex

h *Iſaiæ.* 33. 16. & 23. 6.

i *Iſaiæ* 53. 11.

k *Pſal.* 71. 7

l *Iſaiæ.* 48. 18

iuſtitia promereris; & adiuuas, vt ex iuſtitia promerear coronam gloriæ. Opera tua ſunt mihi iuſtitia, quia merentur veniã mearum culparum; ſunt ſatisfactio pœnarũ, quas debeo propter illa: ſunt titulus & nomen, vt orationes meæ exaudiantur; ac denique ſunt meum ius ad regnum cœlorum. propter eadem ipſa opera tua ſupplico, vt me adiuues ad ea imitanda, vt ſim ego in meis operibus iuſtus, ſicut tu fuiſti in tuis.

III. TERTIO Chriſtus D. N. eſt nobis SANCTIFICATIO, quia eſt gubernator ſanctiſſimus, & m *Sanctus Sanctorum*; in quo ſunt omnes theſauri ſanctitatis, n *de cuius plenitudine accipiunt homines*, nõ ſolum iuſtitiã, quæ mundat à culpa, ſed etiam ſanctitatem; magnum videlicet augmentum gratiarum, virtutum, & cæleſtium donorum, cũ magna ſtabilitate. Et in hunc finem dirigitur ſanctiſſima eius gubernatio, continens ſanctas leges, conſilia, & exempla ſancta: & ideo omnibus dicit, o *Sancti eritis, ſicut ego Sanctus ſum*: & p *eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*. O gubernator ſanctiſſime, eſto mihi SANCTIFICATIO, ſanctificans me in veritate tuis clariſſimis virtutibus: ſiquidem q *tu ſanctificaſti teipſum, vt ego ſanctificarer in veritate*, & ad mortem te obtuliſti, vt tuis virtutibus me ornares.

m *Dan.* 9. 24
n *Ioan.* 1. 16.
o 1 *Pet.* 1. 16
p *Mat.* 5. 8.
q *Ioan.* 17. 19

IV. QVARTÒ Chriſtus D. N. factus eſt nobis REDEMPTIO, quia eſt Gubernator, potẽs r *nos liberare à ſeruitute* Dæmonis & peccati, à

r *Rom* 6 18. 22.

carne

vita liberarentur, peccato nimirum & inferno, & duplicem his miseriis contrariam felicitatem consequerentur, gratiam nimirum & gloriam.

HVIVS prouidentiæ magnitudo æstimari primùm potest ex magnitudine finis, in quem domus hæc & Ecclesia dirigitur; qui finis, est gloria ipsiusmet Dei, & IESV Christi Redemptoris nostri, vt haberet domum recreationis in terra & specialem habitationem, in qua habitans, conuersaretur cum filiis hominum; & vt homines saluari, & æternam vitam consequi possent: cùm autem finis ipse omnium sit altissimus, qui esse possit; & media erunt altissima, & prouidentia ipsa Dei, in illis ad talem finem disponẽdis erit excelsissima. Si enim adeò est magna & admiranda prouidentia, quam habet de homine, quoad eius corporis naturalia, & temporalem vitam; quantò maior censenda erit & admirabilior, quam de eodem geret quoad supernaturalia animæ eius, & æternę vitæ? & qui de tot mediis illi prospexit ad vitam corporis, quæ hodie est, & cras finitur, conseruandam; quantò magis prospiciet de mediis aptissimis, ad comparandã & conseruandam vitam spiritualem animæ, quæ nunquã est peritura. ita proculdubio hæc prouidentia alterã excedet, sicut spiritus excedit carnẽ, & quod æternum est superat perituru-

b 1. Cor. 9. 9. rum; & vt Apost. ait, b *Nunquid de bobus cura est Deo?* vt Scriptura dicat, *non alligabis os bouitritu-*

triturant; significans, quod etsi Deo verè sit cura boum, ea tamen ad homines dirigitur, quorum tantam curam gerit, vt, quam de aliis habet, censeatur quasi non esse. ita ergo omnis cura, quam DEVS gerit de corpore & vita temporali, ac de mediis, quæ nobis sua prouidentia ad eam conseruandam prospexit, tota dirigitur ad animam & ad vitam æternam: cuius prouidentiæ comparatione altera illa est valde exigua censenda: & propterea Sapiens dixit, loquens de diuina sapientia, quòd suis electis c *in omni prouidentia occurrat*, in qua tota eius perfectio continetur. Quamobrem maximas Deo gratias agam, agnoscens meam indignitatem, & huius beneficij magnitudinem, dicensq; illi quod Tobias Angelo, d *si meipsum tradam tibi in seruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ*. O Pater amantissime, verè non ero condignus prouidentiæ tuæ, etiamsi me tibi tradam in seruum, id tamen nunc facio, siquidem tu prouidentia tua me gubernas tanquam filium.

c Sap. 6. 17.

d Tob. 9. 3.

PVNCTVM II.

DEINDE sunt considerandæ mediæ admiranda, quæ prouidentia diuina in sua Ecclesia posuit, vt salutem nostram consequi possimus: quæ reducemus ad septem, tanquam ad septem fortissimas & pulcherrimas huius domus columnas.

I. PRIMVM medium, siue prima columna est vera FIDES, & cognitio veri Dei, & Mediatoris, ac Redẽptoris, quẽ dedit nobis, qui est eius filius, Iesus Christus; iuxta illud S. Ioannis: a *Hæc est vita æterna; vt cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* hæc enim cognitio principium est & fundamentum æternę vitæ. nam *sine fide* (vt ait Apostolus) *impossibile est placere Deo*: b *nec aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* c

a Ioan. 17. 3.

b Hebr. 11. 6

c Act. 4 12.

II. SECVNDVM mediũ est, LEX purissima & sanctissima, in qua sunt omnia mandata rerũ necessariarum ad vitam æternã comparãdã; & omnia consilia, quæ iuuare nos possunt ad eam securè ac perfectè consequendam.

III. TERTIVM est RELIGIO obseruantissima cum sacrificiis & cæremoniis externis, ad veri Dei honorem & cultum directis. Et quamuis Ecclesia veteris legis templum haberet, & sacrificia plurima, nunc Ecclesia plurima habet templa, sed vnicum tantum sacrificium, quod plus infinitè valet omnibus illis, in quo ipsiusmet Redemptoris corpus & sanguis offertur.

IV. QVARTVM medium sunt septem excellẽtissima SACRAMENTA, in remedium & medicinam nostrorum peccatorum directa; inter quæ vnum est Mensa optimi panis & vini, quod potuerit nobis Deus proponere ad nostrum nutrimentum; & omnia septem sunt tanquam septem columnæ externę, qui-

bus

bus totius huius domus machina firmiter innititur.

QVINTVM sunt septem veræ ac solidæ VIRTVTES, *Fides* videlicet, *Spes*, & *Charitas*, *Prudentia*, *Iustitia*, *Fortitudo*, & *Temperantia*, & septem dona Spiritus sancti, quæ sunt instar septem columnarum internarũ, quibus innititur sanctitas & spiritualis pulchritudo huius ædificij, cum admirabili ornamento operum studiosorum erga Deum, & proximos, & nosipsos. V.

SEXTVM mediũ sunt certissimæ & excellẽtes PROMISSIONES æternę vitæ, & prę-stãtissimorũ præmiorũ, quæ in hac & in futura vita redduntur iis, qui in virtutum opera incumbentes habitãt in hac domo; & simul horrendæ MINÆ Inferni & attrocissimorũ suppliciorum, quæ in hac & in futura vita iis infliguntur, qui extra hanc domum habitant, aut in ea non ita viuunt, vt oportet. VI.

SEPTIMVM mediũ est SCRIPTVRA diuina, in qua sunt reuelata quæ hactenus diximus; & quæ est instar mensæ alicuius deliciosissimæ panis & vini, ad nutrimẽtum animarum, quæ fide & veritatibus, in ea per Dei reuelationem scriptis, sustentantur, consolationem accipiunt & respirant, donec obtineant vitam æternam, quæ in illis continetur; iuxta illud Apostoli. d *Quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus.* VII.

d *Rom.15.4*

PERPENDENS itaque ſeptem hæc media, quæ diuina prouidentia ad noſtram ſalutem in Eccleſia ſua diſpoſuit, & meipſum intra eandem conſpiciens, tanquam eius habitatorem, qui omnibus illis frui poſſum ad ſalutem meam conſequendam, dabo gloriam huic Domino, pro beneficio adeò præſtanti, quod mihi contulit, dicens: ſepties millies, Domine, te laudent Angeli cæli, pro ſeptem his mediis, quæ in meam ſalutem direxiſti: & ſiquidem gratiâ tuâ feciſti me huius domus habitatorem; concede etiam eius bonis ita vti in hac vita, vt incola fiam domus, quam habes præparatam in Cœlo, Amen.

PVNCTVM III.

I. TERTIÒ eſt conſiderandum, hanc Eccleſiam & domum Dei non eſſe niſi vnicã in hoc mundo; in qua vt poſſunt ſaluari omnes, qui eius mediis vtuntur; ita qui ſunt extra eam, infallibiliter peribunt. nam vt tempore diluuij a *vnica* tantum fuit *arca*, in qua b *quicunq; fuerunt ſaluati ſunt; & quicunque extra eam remanſerunt, perierunt*; ſic nunc nõ eſt niſi vnica Eccleſia, in qua eſt c *vnica fides*, vnica religio, vna lex, eadem Sacramenta & Sacrificia, vna Scriptura ſacra, & eadem media noſtræ ſalutis; ſicut non eſt niſi *vnus Deus*, vnus Creator & Sanctificator, vnus Mediator, *& vnus vltimus finis omnium*; & cùm ſit vnum tantùm caput, non poteſt ſub eo eſſe niſi vnicum corpus myſticum; congregatio vi-

a *Gen.* 6 14
b *Gen.* 7.23
1. *Pet.* 3 20.
c *Epheſ.* 4.5.

deli-

delicet fidelium, credentium & profitentium ſeptem illa quæ prædiximus. omnes verò reliqui vniuerſim in quacunque ſecta & lege ſint peribunt in æternum.

II.

DEINDE ſicut Arca Noë non habebat niſi d *vnum oſtium*; ita ad ingrediendum in domum huius Eccleſiæ, vnicum eſt oſtium CHRISTVS Dominus noſter, & eius fides, quam in Baptiſmo profitemur; iuxta illud eiuſdem CHRISTI Domini: e *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur*: & illud, f *qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Ex hac ergo conſideratione, magis intelligam huius beneficij magnitudinem, quod mihi Deus contulit, dum in hanc Arcam me introduxit; relictis interim innumeris infidelibus, qui pereunt in diluuio Infidelitatis; imò & inter ipſos Chriſtianos pereunt multi infantes, non obtento hoc beneficio, ſiue quòd moriantur in vtero, ſiue quòd nati etiam moriantur antequam baptizentur; qui tamen non erant minus innocentes quàm ego; nec ego magis hoc beneficium promeritus eram; quam ipſi. voluit tamẽ diuina prouidentia me illa pericula euadere, & hoc beneficium baptiſmi ſuſcipere, neſcientẽ quid ſuſciperem; & facere me ex mera gratia filium ſuum, g *antequam ego ſcirem vocare eum Patrem.* O Pater amantiſſime, quas tibi gratias reddam pro adeò præſtanti beneficio. antè enim quàm ego h *ſcirem reprobare ma-*

d *Gen.* 6.16

e *Ioan.* 10 9.

f *Marc. vlt.* 16.

g *Iſaia.* 8.4.

h *Iſaia.* 7.15.

lum & eligere bonum, abstuliſti à me culpam, & tua gratia me iuſtificaſti, vt ſcirem reprobare malum, & eligere bonum. adhuc loqui non ſciebam, quando tua omnipotentia i *abſtulit fortitudinem Damaſci*, hoc eſt Dœmonis, expellens eum à poſſeſſione quam acceperat à die conceptionis meæ. Conſerua me Domine in Eccleſia tua militanti, ita pugnantem, vt perueniam ad triumphantem, in qua te fruar in æternum, Amen.

i *Iſaiæ.* 8. 4.

MEDITATIO XXXVII.

DE VOCATIONE QVA vocat Deus ad Eccleſiam & ad Iuſtificationis gratiam.

CIRCA *altiſſimum hoc* VOCATIONIS *beneficium, ſex ſunt perpendenda: in quo ſcilicet ea conſiſtat; quæ bona è Cælo adferat; per quæ media dirigatur: ad quos ſe extendat; quamdiu duret; & quibus nominibus ad eam audiendam aſtringamur.*

PVNCTVM I.

Trid. Seſſ. 6. c. 5.

PRIMVM ergo conſiderandum eſt, quod VOCATIO ſit inſpiratio quædam & illuſtratio Spiritus ſancti, qua ille cor pecca-

toris

toris tangit, & mera ſua gratia, abſque vllis meritis illum præuenit, excitat, adiuuatque vt conuertatur, & gratiam iuſtificationis obtineat. ſine tali itaque vocatione non poteſt propriis viribus aut Eccleſiam intrare, aut à peccato exire. quamobrem dixit ipſe Chriſtus: a *nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum.* & ſicut Lazarus in ſepulchro mortuus perpetuò manſiſſet, donec in pulueres conuerteretur, niſi Chriſtus voce magna clamaſſet, dicens; b *Lazare veni foras*; ita ego æternùm manerem in meis peccatis, niſi me vox diuinæ inſpirationis vocaret, & iuuaret ab eis exire.

a Ioa. 6.44.

b Joa. 11. 44

Ex hoc intelligitur, quòd vocatio & inſpiratio Diuina, ſit vnicũ Spiritus S. inſtrumẽtum, ad amplectẽda omnia media noſtrę ſanctificationis: Illa enim adfert nobis è cælo donũ FIDEI, c *ſine qua impoßibile eſt placere Deo*; & virtutẽ SPEI, per quam intrat ſalus, (d *Spe enim ſalui facti ſumus*;) & ſpiritum TIMORIS, qui e *expellere* incipit *peccatum: nã qui ſine timore eſt, nõ poterit iuſtificari*; dolorem quoq; & CONTRITIONEM, quæ cor frangit, ob Deum offenſum; & ignem CHARITATIS, quæ omnem culparum noſtrarũ ſcoriam conſumit; ſplendorem denique Diuinæ GRATIAE, quæ ab eis nos purificat ac mundat. Illa eſt ſemẽtis, qua generamur per Baptiſmum in Eſſe filiorum Dei: quod Eſſe ſi amittamus, etiam ipſa vocatio eſt ſementis ad illud per pœnitentiam recuperandum.

c Hebr. 11. 6.

d Rom. 8, 24

e Eccl. 1, 27.

Quod vocationis beneficium, nobis absque
f 2. Tim. 1. 9. propriis meritis datur; iuxta illud Apostoli: f *Qui nos vocauit Vocatione sua sancta, non secūdum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo* Iesu. O Deus æterne; gratias tibi pro immensa
g Iacob. 1. 17 benevolæ tuæ prouidentiæ liberalitate, qua nobis mittis de cælo g *omne datum optimum & omne donum perfectum, quod descendit à te Patre luminum*; nisi tu me vocasses, nunquam à morte resurrexissem; & nisi tua inspiratio me præueniisset immeritum, iam ego meritas pœnas dedissem. Qui igitur sola tua misericordia me vocasti, per eam supplex oro, vt me adiuues, vt sanctæ tuæ VOCATIONI dignè respondeam, Amen.

PVNCTVM II.

I. *S. Greg. homil: 36. in Euang.* DEINDE consideranda sunt aptissima illa media & admiranda, per quæ DEVS dirigit VOCATIONEM hominum, quosdam enim vocat per Concionatores, aut Confessarios, aut per Colloquia & Conuersationem cum piis personis; alios per Lectionem piorum librorum; aut bona exempla, quæ in aliis vident; quosdam trahit per aduersitates & calamitates, alios per prosperitates & beneficia; quosdam vocat per viam ordinariam, permittens rerum naturalem cursum; ex quarum exitu, occasionem accipit ad eos vocandos & con-

uerten-

uertendos; alios vocat per media extraordinaria & prodigiosa, adhibens suam omnipotentiam ad eos reuocandos. Sunt enim incredibiles amoris vires, cùm iungitur potentiæ: & quoniam Deus homines diligit infinitè, amor omnipotentiam permouet, vt *miris modis* voceteos, trahatque ad suum obsequium.

QVORVM omnium clarissima sunt exempla in scriptura sacra, præcipuè in sancto Euangelio, vt constat ex vocationibus & Parabolis, quæ in hunc finem fuerunt allatæ in Tertia & Quinta parte. Quæ omnia mihi ipsi applicans, attendam quantum fuerit Dei erga me beneficium, quòd lapsum in grauia peccata, mille vijs ad pœnitentiam vocauerit: Nunc a *sepiendo viam meam spinis*, & aduersitatibus, vt *reuerterer ad virum meum priorem*, ipsum videlicet Dominum; nunc b *in funiculis Adam & in vinculis charitatis* & beneficiorum, vt me totũ seruitio ipsius manciparem; Nunc repentinis inspirationibus reuocans mihi in memoriam mortẽ, iudicium, infernum, gloriã, & alia innumera motiua, quibus cor meum continuè c *pulsabat* vt ei *aperirem*. Et quamuis sæpè cũ indignatione repulerim, & sæpè aliàs, postquam admisi, ex corde meo expulerim: ille nihilominus pulsando persistit, donec iterum illi aperiam, vt gratiam & amicitiam suam mihi tribuat. O Pater amantissime, quas tibi referam gratias pro hac tanta de me solicitu-

*. Greg. Nazianz. in sua vita, quam scripsit metricè. S. Aug. contra duas Epist. Pelag. ca. 19.

a Osea. 2. 6.

b Osea. 11. 4.

c Apoc. 3. 20 Cant. 5. 2.

illos vocas, rationes adeò apertas illis adferens, vt eas intelligant; adeoque efficaces, quæ illos ad ingrediendum permoueant. Vtinam oẽs tibi obedirẽt, vt ſcholam tuam ingreſſi oẽs, peruenirent ad æternã vitã, Amen.

III. TERTIÒ perpendam, hanc prouidentiam erga omnes homines, perſeuerare toto tempore vitæ ipſorum, neminem ita omninò deferens, vt neceſſaria ad eius ſalutem media illi deneget, quin potius tanquam bonus h *paterfamilias, primo mane* ſcilicet in iuuentute *exit, vt vnumquemq; vocet*; quod ſi reſiſtit, exit *hora tertia, ſexta, & nona, & ipſa etiam vndecima*; vt per omnes ætates vſque ad ſenectutem non ceſſet vnumquemq; vocare, etiam cum eſt proximus morti; in quacunq; autem hora & puncto vocem clamantis audiuerit, ad ſuam eum amicitiam admittit. Et quãuis induratis in ſuo peccato, denegare ſoleat ſpeciales fauores, quibus eorum corda emolliantur; & propterea dicatur eos deſerere; nunquam tamen ſufficienter vocationem illis denegat, & media neceſſaria ad eorum iuſtificationem.

h *Mat.* 20. 1.

IV. Ex hoc accipiã documentũ, nunq̃ diffidẽdi de ſalute alicui⁹ peccatoris, quãtũuis improbi, & multò minùs de mea, quantũuis abiecto me videã animo; quia ego & oẽs sẽper ſumus ſub diuina prouidẽtia, quę nos ſub ſua protectione tenet: & q̃ hodie rebellis eſt, cras fortè tãta efficacitate vocabitur, atq̃ latro bon⁹, vt ſiue ex cruce, ſiue ex lecto ſuo perueniat in

Para-

Paradiſum. Nihilominus non debeo ita eſſe negligens & incurius, vt totum diuinæ prouidentiæ committam. Si enim non coner diuinæ vocationis obicem remouere, deceptũ me fortè inueniam, quamuis Deus non decipietur: nam ſemper aſſequetur finem principalem ſuæ gloriæ, aut me iuſtificando, ſi conſentio; aut caſtigando, ſi reſiſto. O Pater amantiſſime, cuius prouidentia duo habet ſuæ gubernationis brachia; alterum miſericordiæ, vt benefaciat ijs, qui ſe ipſi ſubijciunt ac dedunt; alterum iuſtitiæ, ad caſtigandos pertinaces; i *pone ſub capite meo læuam* Cant. 2. 6. tuæ iuſtitiæ, & *dextera tua amplexetur me*, timore tuorum ſuppliciorum me ita ſuſtentans, vt tibi non reſiſtam; animans verò ſpe tuorum donorum, vt obediam tibi, tuæque gubernationi me totum ſubijciam, in æternum. Amen.

PVNCTVM III.

Cur ſit vocationi diuinæ ac quieſcendum.

EX prædictis omnibus colligam varios titulos & nomina, quæ me obligant ad celeriter audiendam diuinam vocationem, quando me vocat Deus, vt exeam à peccato, & à tepiditate in agendo: quæ nomina reducam ad ſex.

I. PRIMVM eſt propter infinitam VOCANTIS me Domini, ad ſibi ſeruiendum EXCELLENTIAM, non enim vocat, quod me indigeat, ſed quòd ego ipſo Domino indigeo, & quòd ipſe delectetur benè mihi faciendo.

ciendo, quia ipse bonus est, & in ipsum confluunt omnes rationes, quæ obligare me possunt ad ipsius vocem audiendam; cùm nihil sit æquius rectiusque, quàm vt creatura suum audiat Creatorem, subditus Regem, seruus Dominum, filius Patrem, ægrotus Medicum, discipulus Magistrum, & captiuus suum Redemptorem.

SECVNDVS titulus aut nomen est, infinita penè VILITAS eius, qui VOCATVR; cui valdè est honorificum, quod eum dignetur Deus vocare, & ipsius opera vti, qui potius dignus est, quem Deus deserat ac patiatur in abysso suarum miseriarum hærere. II.

TERTIVS titulus est propter infinitam PECCATI miseriam, à quo Deus vult me liberare, & ex peiori statu educere, quàm sit ipse infernus, quòd attinet ad huius pœnam, vt suo loco est dictum. III.

QVARTVS est propter infinitam PRAESTANTIAM bonorum, ad quæ me Deus VOCAT: siquidem inuitat me ad recipiendam vitam gratiæ, pulchritudinem virtutum, & pacem, quæ exsuperat omnem sensum, dona & gaudia Spiritus S. & ipsummet Spiritum S. donorum largitorē, cum arrha, quòd postea me vocabit ad fruendum bonis æternis ipsius gloriæ. IV. P. 1 Med. 6. P 5. Me 22.

QVINTVS propter adeò BENEVOLVM modum, quo me VOCAT; vtens tot medijs internis & externis, quibus emollit cor meum, & allicit ad audiendum, atque si V.

sua

sua referret, quod maximè refert mea.

VI. SEXTVS titulus propter DAMNA grauissima, quæ euenire mihi possunt, si resistam diuinæ vocationi. Si enim semper ei obsurdescam, erit certa mea æterna damnatio, sicut fuit eorum, qui inuitati ad cœnam venire omninò recusarunt; de quibus dixit, qui illos inuitauit, quòd *a nemo illorum esset gustaturus* nunquàm *eius cœnam.*

P. 3. Med. 56.

a Luc. 14. 24

IN eisdem sex titulis apparet manifestè huius beneficij præstantia. Ijdem autem tituli & causæ, quæ mouent ad audiendam diuinam vocationem, mouent quoque ad glorificandum DEum, ob gratiam hanc, qua me vocauit, & iuuit vt audirem. O Deus æterne; gratias tibi, ob adeò præstans beneficium; quod tot nominibus est quasi infinitum: benedicta sit prouidentia tua, à qua illud prouenit; & tua omnipotentia, per quam adeò præclara efficis. Voca Domine, sancta vocatione tua omnes homines, quos condidisti, vt omnes ingrediantur ciuitatem Ecclesiæ tuæ, & ascendant ad culmen perfectionis Christianæ, & postea ad arcem æternæ tuæ gloriæ. Amen.

✠
✠✠✠
✠

MEDITATIO XXXVIII.

DE PROVIDENTIA DEI, in septem Sacramentorum institutione, ad iustificationem & salutem hominum.

EXCELLENTIAM *suprema huius prouidentiæ, ostendit Angelus Prophetæ Zachariæ, in figura a* aurei candelabri, *quod vniuersalem Ecclesiam refert:* & lampas eius super caput eius, *quod est* CHRISTVS *Dominus noster, caput Ecclesiæ,* & septem luceruæ *minores* super illud *in circuitu, quæ signant multitudinem omnium fidelium, ad quas fouendas, erant etiam* septem infusoria aurea, *sicut vascula oleo plena, quæ repræsentant septem Ecclesiæ Sacramenta, tanquam septem vascula, in quibus continetur oleum diuinæ gratiæ, in duplicem finem; ad sanandum videlicet nos ab omni genere culparum, & morborum spiritualium, & ad nos corroborandos, & perficiendos in omni genere gratiarum & virtutum; ita vt simus tanquam lampades splendentes & ardentes coram Deo, in medio Ecclesiæ eius, propter*

a Zac. 4. 2.

merita

merita Iesu Christi Domini nostri; à cuius vtraque natura, humana & diuina in vna persona vnitis, fluit oleum gratiæ, quam habent Sacramenta: & vt hoc exprimeretur distinctius, vascula illa pendebant ex duabus oliuis, siue rostris lampadis maioris, quæ omnia in sequentibus punctis expendemus.

PVNCTVM. I.

S. Thom. 3. p. q. 65. a. 1.

PERPENDENDI sunt primò particulares fines, in quos diuina prouidentia instituit hæc septem sacramenta in domo Ecclesiæ suæ. per quorum singula breuiter discurremus.

I. PRIMVM BAPTISMVS, est instar cuiusdam vasis olei cœlestis, ad sanandum vulnus peccati Originalis: & præterea regenerat nos in nouo Esse gratiæ, vt nouam in CHRISTO vitam ducamus: in quem finem baptizati vnguntur oleo, vt sint CHRISTO similes, qui interpretatur vnctus.

II. CONFIRMATIO dirigitur ad imbecillitatem nostram curandam, & corroborandos nouos Christi milites in fide & gratia, quam receperunt: & vnguntur Chrismate, quod conficitur ex oleo & balsamo; vt intelligatur, debere illos strenuè pugnare aduersus hostes sui Regis, & legis eius, & esse bonum odorem suauitatis.

SACRA-

SACRAMENTVM EVCHARISTIAE dirigitur contra deprauatam inclinationem amoris proprij, qui ſenſim conſumit vitam ſpiritus. Ipſa autem Euchariſtia continet in ſe ipſummet CHRISTVM, qui medicus eſt & medicina; vngitque nos oleo deuotionis & lætitia ſpirituali, ad conſeruandam, & perficiendam vitam ſpiritus. III.

SACRAMENTVM POENITENTIAE, dirigitur ad curanda vulnera lethalia noſtrorum peccatorum actualium; & reparandam vitam gratiæ, quam per illa amiſimus. Vngit autem nos hoc Sacramentum ſicut pius Samaritanus; vino & oleo, vt noſtra vulnera maneant perfectè ſana. IV.

SACRAMENTVM EXTREMAE VNCTIONIS, eſt vas quoddam olei, ad vngendum infirmum, curandumque à reliquijs peccatorum, & corroborandum ad pugnam contra Dæmonem, in hora mortis; ac denique ad eum diſponendum ad ingreſſum in vitam æternam. V.

SACRAMENTVM ORDINIS vngit diuino hoc oleo Sacerdotes, & miniſtros Eccleſiæ, contra auerſionem exiguamque hominum propenſionem ad res quæ ſunt aliis communes. Quibus miniſtris dat gratiam, ad offerendum Sacrificium pretioſi corporis & ſanguinis CHRISTI Domini noſtri, pro peccatis viuorum & mortuorum, & ad miniſtranda reliqua ſacramenta & remedia neceſſaria noſtræ ſalutis. VI.

VII. SACRAMENTVM Matrimonij est medicina debilium, ad curandas concupiscentias carnis; ita vt Coniuges charitate coniuncti, possint absque detrimento animarum suarum generare filios; qui hæc sacramenta suscipiant; vt multiplicetur Ecclesia militans, & postea etiam triumphans. Diuinam hanc & altissimam dispositionem perpendens, Deum glorificabo, quod fuerit illi curę, prospicere nobis de tot remedijs, adeò facillibus & suauibus, adeoque proportionatis fini, in quem singula sunt instituta: ac dicam, ô a *Sapientia infinita, quæ attingis a fine vsque ad finem fortiter, & disponis omnia suauiter*; gratias tibi, ob septem Sacramenta, quæ in Ecclesia tua instituisti; quibus faues, prospiciśque mihi, à principio vitæ meæ, vsque ad eius finem; eam dirigens dulciter & efficaciter, vt perueniam ad æternam vitam.

a *Sap.* 8.1.

PVNCTVM II.

I. CONSIDERANDA deinde est excellentia septem horum Sacramentorũ, quoad suam efficaciam: non enim sunt sicut Sacramenta Veteris legis, quæ a *infirma erant & egena Elementa*, & non faciebant quod significabant: nam hæc sunt plena oleo & gratia, quam & *significant*; & *efficiunt* in eo, qui debitè illa recipit. Quare, dicente eo qui baptizat; *Ego baptizo in nomi-*

S. Thom. 1. 3. q. 62. a. 3. & 6.

a *Gal.* 4. 9.

ne Pa-

ie Patris, & Filij, & Spiritus sancti; virtute huius Sacramenti, manet anima illa mundata à peccato Originali, & à quocunque alio, quod antè feciſſet; & dicente Sacerdote; *Ego te abſoluo à tuis peccatis*, manet peccator ab eis liber, accepta gratia iuſtificationis. *Trid. Seſſ. 7. can. 6.*

PRAETEREA hæc Sacramenta *faciunt ex attrito contritum*; quia accipiens illa peccator, cum imperfecto dolore, qui dicitur attritio, per virtutem Sacramentorum accipit gratiam, ſupplente Sacramento defectum contritionis, qui eſt dolor perfectus. Imó etiam qui communicat cum ſola attritione, cogitans tamen & ſperans ſe eſſe in gratia, eam accipit per ſacramentum, & manet iuſtificatus. II. *Trid. ſup. can. 8.*

DENIQVE omnia Sacramenta conferunt gratiam *ex opere operato*. Nam præter id, quod vnuſquiſque iuſtorum, proprijs ſuis actibus poteſt promereri, recipit alios gradus gratiæ, virtute Sacramenti. III.

QVOD totum diuina prouidentia ita diſpoſuit, tum vt noſtram ſalutem redderet faciliorem, ſupplente Sacramento exiguas noſtras diſpoſitiones; quia multò plures damnarentur, ſi perfecta contritio, eſſet neceſſaria diſpoſitio ad ſuſcipiendũ Sacramentum: tum vt nos abundantiori gratia & gloria ditaret, ſupplens his medijs defectus noſtrorum meritorum, quæ verè ſunt exigua.

nam offert VNCTIONEM. Pertinet etm ad prouidentiam diuinam, vt non desit, ui susciptat Sacramentum Ordinis, quò nt in Eccleſia Dei miniſtri ſufficientes; ideoque etſi ego Sacramentum illud non ſucipio; non propterea non eſt mihi vtile. am, qui illud ſuſcipiunt, alia mihi poſtea acramenta adminiſtrant.

DEINDE perpendam, quod hæc Sacra- II.
nenta, non ſint vaſa vitrea vt frangantur; ed aurea, ſolida, & pretioſa, quæ ad finem ſque mundi perdurabunt, nunquam deficinte oleo, & gratia, quam continent, quamis innumeris hominibus conferantur: quia ons, ex quo manat illorum virtus & liuor Cœleſtis, eſt ipſe IESVS CHRIT VS *Dominus*, noſter, cuius merita unt infinita, nec poſſunt exhauriri. Et ſicut leum pauperis Viduæ, propter verbum liſæi, nunquam ceſſauit fluere, quam diu uerunt vaſa vacua, in quibus reciperetur; & in tanta copia fluxit; vt ſufficeret ad ſolenda debita, & vt viueret ipſa de reliquo; ta oleum diuinæ gratiæ, non ceſſabit ex his acramentis fluere, quamdiu erunt homies, qui recipere illam poſſint, ad ſolenda debita ſuorum peccatorum, & ad onſequendam & conſeruandam vitam graiæ.

ET in vno eodemque homine, cùm ea III.
acramenta pergit frequentare, quæ iterari oſſunt, continuè ſemperque fluit ab eis, &

augetur gratia, quamdiu vita eius durauerit. & vas animę ipſius capax fuerit beneque diſpoſitum ad augmentum illud recipiendum. Gratias tibi Redemptor benigniſſime ago, ob eam prouidentiam, quam de paupere anima mea habuiſti, tot debitis onerata; proſpiciens illi de vaſis adeò pretioſis, olei plenis, quibus ea ſoluere poſſim ita copioſè, vt etiam ſuperſit, quo diues fiam in virtutibus. Concede mihi ita illa ſuſcipere & frequentare, vt per eā obtineam vitam æternam. Amen.

De Baptismo & Poenitentia

non ſubijciemus hic meditationes, quia ſufficiunt poſitæ in Tertia & in Quarta Parte.

(·.·)

MEDITATIONES DE SVPREMO BENEFICIO Sanctiſſimi Sacramenti Altaris.

PRAEMISSIS *Meditationibus de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, poſitis in Quarta parte, cùm ageretur de myſteriis Cœnæ Dominicæ; ſubijciam hic alias de eodem Sacramento, quà eſt præſtantiſſimum medium diuinæ prouidentiæ ad noſtram ſaluem, & perfectionem, & quà eſt ſumma ſiue memoriale excellentiarum Dei, & beneficiorum eius: vt tam ſacerdotes, quàm reliqui frequenter communicantes, poſſint hac meditationum varietate ſe abſque faſtidio præparare, vt id cum fructu faciant.*

(·)

✠
✠✠✠
✠

MEDITATIO XXXIX.

DE SINGVLARI PROVIdentia Dei D. N. in institutione sanctissimi Sacramenti, ad sustentationem animæ nostræ,

PVNCTVM I.

CONSIDERANDA primum est singularis excellentia divinæ providentiæ, circa sustentationem animarum, per supremum hoc Sacramentum, conferendo hanc cum ea, quam habuit de Adamo in statu innocentiæ; ad cuius nutrimentum plurimas arbores fecit in Paradiso, & inter alias, etiam a *lignum vitæ*, cuius fructus, si interdum comederetur, ipsi conferebant ad conservandam vitam in perpetuum. Eodem modo diuina providentia, in Paradiso Ecclesiæ, licet varios posuerit cibos, ad sustentandas nostras animas; super omnes tamen constituit diuinum Sacramentum, tanquam arborem vitæ, quia est verè b *panis vitæ* sempiternæ; in quo infinite excellit alterum illud lignum vitæ, nam illud erat terreum, & è terra productum,

a Gen. 2. 9. S. Thom. 1. p. q. 97. a. 4.

b Ioan. 6. 35.

hoc

hoc verò sacramentum est cæleste, & è cælo descendit; illud vitam dabat corpori, hoc animæ; illud tantùm conseruabat vitã viuentium, hoc interdum etiã mortuis dat vitã, sicut prædictũ est. Quare multò melius hoc Sacramẽtum comparari potest cum altero illo *c lignovitæ, quod est in paradiso cæleſti*, de quo S. Ioannes ait, *quod adferat fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum*; siue sint specie diuersi, quo eorum varietas delectet, siue vnus & idẽ duodecies in anno proueniens, vt recens semper recreet, & *folia illius ligni ad sanitatem gentium*: ita diuinũ hoc Sacramentum, in quo continetur ille Dominus, qui dixit: d *Ego sum via, veritas & vita*, profert duodecim fructus, varietatẽ scilicet omnium virtutum in anima nostra, quæ illã impellunt ad exercẽdos duodecim illos fructus, quos Apostol. appellat fructus spiritus, e *charitatem*, scil. *gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*, quas renouat hoc Sacramentũ, quoties debitè sumitur cuiꝰ folia, quæ sunt verba de illo scripta, potẽtia sunt, ad perfectam sanitatẽ hominibus adferendam. de illis enim dixit idem Dominus: f *verba, quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* O Pater amãtissime, gratias tibi ob hanc prouidẽtiam, deliciis plenissimam, quã erga nos habuisti, dum talem arborẽ in medio tuæ Ecclesiæ plãtasti, quæ vitam æternam nobis adferret: Concede mihi, vt peccata &

c *Apoc.* 22.

d *Ioan.* 14. 6

e *Gal* 5. 22. *S. Thom.* 1. 2 q 70. a. 3.

f *Ioan.* 6. 64 *Vide Menicat.* 50.

passiones meas vincere possim, & g *edere ae ligno vitæ, quod est in paradiso Dei*, quodque *vincenti* promisisti.

g *Apoc.* 2.7.

PVNCTVM II.

S. *Thom.* 3. *p. q.* 73. *a.* 6.

DEINDE consideranda est excellentia eiusdem prouidentiæ, eam conferendo cum illa, quam idem Deus D.N. habuit, ad sustentandum populum Israël Mãna illo, quod in quatuor præstantissimis proprietatib. suis figura fuit Diuini huius Sacramenti, eas-dem habentes, sed infinitè excellentiores.

I.

PRIMVM enim Manna erat a *panis de Cælo* & Angelorum, quorum ministerio in aëris regione conficiebatur, & *tanquam ros, minutum in similitudinem pruinæ cadebat super terram*: b *populus verò illud colligens, frangebat mola & pinsebat, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati.* Sed hic diuinus panis venit à supremo cælo, non Angelorum operâ, sed ipsius Spiritus S. cui diuini verbi Incarnatio tribuitur, quod verbum c *descendit* sicut ros, & *sicut stillicidia stillantia super terram*, & coniunctum paruitati nostræ humanitatis, fuit contritum labore corporis, & pistum aqua afflictionum internarum, coctumque igni tormentorum, & affectuum maximæ charitatis: & hoc modo factum fuit cibus noster, tectum accidentibus panis & vini, commutans illam pœnam, quam erat nobis minatus, cùm dixit, d *in sudore vultus tui vescêris pane*, nam propri-

a *Exod.* 16.

b *Num.* 11 8 *Psal.* 77. 24. *Sapi.* 16. 20

c *Psal.* 71. 6

d *Gen.* 3. 19.

js affli-

)s afflictionibus & sanguineo sudore comparauit nobis panem, quem sine tanto labore nunc comedimus, iuxta illud sapientiæ: e *paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore.* O Pater amantissime, gratias tibi, quòd Filiis tuis præstantem adeò panem dederis, panem verè Angelorum, quo & ipsi sustentantur, quamuis alio modo, quàm homines, f *panis* eminenter VERVS; cuius comparatione, ille quem dedisti Hebræis, non verus fuit, sed figura. & siquidem tot expensis tuis ita illum præparasti, vt & mihi liceret illum sumere, meipsum, te adiuuante, ad illum sumendum, præparabo, molens & conterens cor meum dolore peccatorum, & corpus pœnitentiis; pinsens & coniungens potentias meas cum viua aqua tuæ gratiæ; easdemque condiens ardenti igne tuæ charitatis.

e *Sap.* 16. 20

f *Ioan.* 6. 32.

II.

DEINDE Manna erat panis medicinalis, qui à morbis præseruabat: & quam diu Israëlitæ eo sunt vsi, g *non erat* (vt ait Dauid) *in tribubus eorum infirmus*, quamuis multi interierint morte subitanea, in pœnam suorum scelerum, ac postea omnes tandem, saltem præsenio, mortui sunt; At diuinum hoc Sacramentum sanat morbos animæ, præseruat à morte multorum peccatorum, & porrò ab æterna, in quam propter illa incideremus: Et suo tempore liberabit etiam ipsum corpus nostrum à morte, iuxta illud nostri Saluatoris: h *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam*

g *Ps* 104. 37

h *Ioan.* 6. 55

æter-

aternā, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. O Saluator potentiſſime, medicāmētum, & medice noſter, quàm fuit admirāda prouidētia tua, qua mortē, quā ob vnum cibum deguſtatū incurrimus, ea vita deſtruxiſti, quā nobis præſtas per hūc cibū; ne patiaris, Domine homines ita irreuerēter illū ſumere, vti *infirmi fiāt & imbecilles, aut dormiāt* ſomnū mortis, conuertētes culpâ ſuâ in aconitum, quod tua miſericordia inſtitueras in antidotum.

i 1. Cor. 11. 3.

III. TERTIÒ ſicut Manna tātum habebat ſaporem vnum naturalem, iuſtis tamē *k habebat omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuauitatem* quia vnicuiq; ita ſapiebat ſicut ipſe cupiebat: Ita diuinus hic cibus, quamuis tantum habeat ſaporem vnum naturalem, ſpecierum ſcilicet panis & vini; pro iuſtis tamē omnes habet ſpirituales ſapores, quos quicunque illud ſumit, habere deſiderat, iuxta ſuam indigentiam. continet enim in ſe fontem totius ſaporis & dulcedinis, l *quam in filios tuos oſtēdis, deſeruiens vniuſcuiuſq; voluntati, vt ad quod quiſq; voluerit, conuertatur*; nā ſumēti hoc Sacramentū cum deſiderio obedientiæ aut patiētiæ, adfert illi has virtutes, ita dulces eas reddēs, vt in earū exercitatione multùm delectentur; & dignè cōmunicātibus det ſaporem & ſuauitatē ſpiritûs, qui eminēter continet in ſe ſapores earum rerū, quæ carnis guſtatum delectāt. O Prouidētia dulciſſima! ô fons totius ſuauitatis! vnde mihi tantum bonū, vt meæ tu ſeruias voluntati

k Sap. 16. 20.

l Sap. 16. 21.

vtinam ſemper occuparer obſequendo tuæ, ita libenter eam in terra exequendo, ſicut Angeli exequuntur in cœlo.

QVARTÒ vnuſquiſq; ex m *Manna colligebat menſuram* cõſtitutam, magnam aut paruã; quæ ita ſufficiebat eorum ſuſtẽtationi, vt *nec qui plus collegerat, haberet amplius, nec qui minus parauerat, repererit minus*; ſed ſinguli, eo quod collegerant ſatiebãtur: Ita hîc quãcunq; menſurã quis ſumat huius Sacraméti, ſufficiet illi ad integram ſuſtẽtationem ſpiritualẽ; quia totus Chriſtus eſt æquè in parua hoſtia atq; in magna, & in qualibet eius minima particula, tantumq; recipit qui mediã partem accipit hoſtiæ, atq; qui accipit integram; & tantum accipit vnus, quãtum mille; nec mille plus accipiũt, quàm vnus: quia oẽs & ſinguli eundẽ Chriſtum accipiunt, qui oẽs abundè ſatiat. Et propter eãdem rationẽ tãtum accipit qui ſumit ſolam hoſtiã, atq; qui hoſtiam ſimul accipit & calicem; quia totus Chriſtus cũ ſua carne & ſanguine, eſt ſub ſpecieb. panis, & totus ſimiliter ſub ſpecieb. vini. O Panis vitæ extremè parue, & extremè magne! quid enim magis paruum, quã micula diuini huius panis! quid verò magis grande, quam Deus & homo, qui in ea continetur! O Panis ſupreme, fac me paruum & magnũ; paruum in meis oculis, & magnum in tuis. Et ſiquidem tu ſolus ſufficis pro millionibus animarum, ſatia deſideria animæ meæ, vt ex nunc omninò ſit tua in æternum.

IV.

m Ex. 16 18 Part. 3. Medit. 17

PVNCTVM III.

TERTIÒ considerandum, quod prouidentia Diuina statuerit, vt nos ipsi cooperemur in quærendo & gustando hoc diuino pane, sicut iussit Israëlitas a *mane* diluculo colligere Manna, b *ante ortum solis: nam eo orto liquefiebat*, in pœnam negligentium & pigrorum, vt omnes intelligerent, sicut ait Sapiens, b *quoniam oportet præuenire solem; ad benedictionem tuam accipiendam, & ad ortum lucis te adorare.* In quo monemur, manè magnoque feruore ac diligentia surgere propter tres causas: PRIMA est, ad meditandas diuini huius Sacramenti excellentias, & colligendum Manna dulcissimum deuotionis, quæ hauritur ex earum consideratione, antequam sol occupationum & tentationum, quæ die accedente eueniunt, nos distrahant, & exsiccent spiritum. SECVNDA ad laudãdum & glorificandum Deum animo gratissimo, propter tantum hoc beneficium assistendo sacrificio Missæ, quod in hunc finem celebratur; & continuam eius memoriam seruãdo. si enim Deus Dominus noster adeò voluit retineri memoriam Mannæ, vt iusserit c *impleri mensuram Gomor ex eo, & custodiri in futuras retrò generationes in ipsa arca testamenti, vt nouerint*, inquit, *panem quo alui vos quadraginta annis in solitudine*; quantò magis volet seruari apud nos memoriam perpetuam Diuini huius cibi, cum magna animi gratitudine? siquidem eo hactenus sustentauit

a *Exo.* 16.21
b *Sapi.* 16. 27. 28.
c *Exo.* 16. 32

Chri-

Christianum populum vltra mille sexcentos annos, & porrò sustentabit vsque ad finem mundi. TERTIA est, vt nominatim ipso die sacræ Communionis suscipiendæ mane surgentes, ad eam nos diligentissimè disponamus, hanc accipientes tanquam primam & præcipuam illius diei occupationem; reuocantes in memoriam, quod scriptura dicit, quòd cum quotidie Manna colligeretur, d *sexta tamen die colligebant cibos duplices per singulos homines*; quia die sabbathi non inueniebatur; ideoque vexabatur fame, qui neglexisset, feria sexta duplicatam mensuram colligere: sic inquam si in sex diebus huius vitæ non colligo fructus huius Sacramenti, non inueniam in sabbatho vitæ futuræ, patiarq; esuriem perpetuam, nec erit mihi sabbathum quietis sed tormenti. Quare, anima mea, quò magis accedis ad finem vitæ, eò diligentius te præpara ad duplicatam fructuum mensuram colligendam, qua æternam saturitatem consequaris.

d *Exo* 16.22

Ad bonam prædictarum trium rerum executionem multùm iuuerint subiectæ
Meditationes.

MEDITATIO XL.

DE SANCTISSIMO SACRAMENTO, quà est summa & memoriale excellentiarum, & stupendorum Dei operum in bonum hominum.

HAEC *Meditatio pro fundamento & velut argumento habebit versiculum illum Dauidis*: Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: escam dedit timentibus se *Hæc mirabilia reducemus hic ad septem vel octo capita, quæ possint esse argumentum Meditationum per septem dies hebdomadæ.*

Psal. 100. 4.

PVNCTVM I.

PRIMVM itaque est considerandum, Sanctissimum hoc Sacramentum esse memoriale quoddam stupendarum magnitudinum Diuinitatis & Trinitatis, quæ in eo latent. Nam PRIMVM in eo est persona verbi Diuini, sacratissimæ suæ humanitati coniuncta: in qua, vt ait Apostolus, a *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*; & cõsequenter simul est sanctissima Trinitas. impossibile

a *Coloss.* 2. 9

enim

enim eſt vnam eius perſonã ab altera ſeparari, quia oẽs tres ſunt vnus idemq; Deus: Et omnia opera, quæ in hoc ſacramento facit Filius, facit ſimiliter Pater, & Spiritus S. quamuis ſpeciali quodã modo Filio omnia attribuantur; quatenus eius perſona ſola ſuſtẽtat cãrnẽ & ſanguinẽ, quæ nobis in cibum dantur. Ex quo fit, vt etiã in hoc Sacramento ſint oẽs perfectiones & attributa Dei, quãdoquidem idẽ Apoſt. dixit: b *in Chriſto Ieſu eſſe oẽs theſauros ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditos*, & porrò etiam erunt theſauri bonitatis & charitatis, quæ in hoc opere mirabiliter eminẽt. SAPIENTIA eminet in eo, quòd tale mediũ adinuenerit, in quo verus Deus & homo fiat cibus & potꝰ hominũ; BONITAS eminet in eo, quòd adeò amanter & benignè ſeipſum cõmunicet ſuis fidelibus; CHARITAS in eo, quod vniatur & inuiſceretur cum ſuis amicis, nec inimicis ſe deneget; MISERICORDIA, quòd det ſe in cibum eſurientibus; & in potũ ſitientibus; & quod ipſemet per ſe ipſum veniat viſitatum & curatum infirmos; LIBERALITAS in eo, quòd gratis omnino det nobis quidquid habet; OMNIPOTENTIA in faciendis tot prodigiis, ad horum omnium executionem. In ſingulis diuinarum harum perfectionum lõgiores moras trahere licet; reuocando in memoriam, quæ de eis in hunc finẽ dicta ſunt in præcedẽtibus Meditationibus, & in 4. parte; hauriendo ex omnibus ingentem admirationẽ,

b Coloſſ. 2. 3

Medit. 8. 11. & 13. & 4. *Part. Medit.* 11.

c. Psal. 8. 2. propterea quod voluntas, Deum tali nos facere. Quare dicemus illi cum Davide. *O Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra!* Admirabile enim fuit in Creatione hominis, admirabilissimus eius reparatione, nec minus admirabile, & ineffabilem sustentatione, in qua fecit summam quandà mirabilium suorum vt ceu sierent, qui est veluti summa omnium eius operum.

PVNCTVM III.

I SECVNDÒ est considerandum, quòd hoc Sanctissimum Sacramentum sit mirabile quoddam mirabilium operum Omnipotentis Dei, quæ operatur hic multa tanquàm miracula, oculis quidem corporis inuisibilia; admiranda tamen & stupenda oculis animæ, qui lumine fidei illa cernunt.

PRIMVM miraculi est, quòd Dei verbo facto dissoluat vniuersam illam & naturalem connexionem, quam habebat accidentia panis & vini cum sua substantia, destruens substantiam omninò, & conseruans accidentia tam in forma, in qua vt substantia, quàm in ea, qua vt pertinentia ad re, saporé, & odoré panis & vini, sic que tamen non sit ibi substantia panis & vini, sed caro & sanguis Iesu Christi, in quæ hoc mirabili miraculose conuertit panis & vini substantia. *O ergo Deipenetrabilior omni gladio ancipiti,* a. Hebr. 4. 12. qui vsque ad verbo tuo dissolutionem connexionem accidentis cui sua substantia, diuidis quoq; animam meam à spiritu meo, vt viuens naturalem hanc vitæ & externis, quæ sensibus percipiuntur,

non

non vitam interna quale hactenus, sed tu vi
tuas in me, ita vt dicere mihi liceat cum Apo
stolo: b *vivo iã non ego sed vivit in me Christus.*

SECVNDVM miraculum est, quod adeo parua substantia panis & vini cõcurratur in corpus adeo grande & perfectum, quale est corpus Christi, nam sub accidentibus quæ remanent, manet Christi corpus cum tota integritate sua & gloria, quam habet in cœlo. Ibi est facratissimum eius caput cum diuinis suis oculis, qui intuentium corda depræhendunt, & *c dispaut omne malum ntuarii sui*; ibi beneficii prodes eius & manus cum vulnerã signis, quæ claui fecerunt; & latus cum vulnere à lancea inflicto; & cor ardentissimum ab igne amoris, qui illum permouit, vt tot vulnera acciperet; & simul totum corpus cũ pulchris claritatis & pulchritudinis gloriæ eodunt solem, Iunã & stellas. Quid ergo potest esse admirabilius, quam facere Deum in vno momento conuerhionem & mutationẽ adeo extra ordinariã, vt vinus adeò paruus, in aliam adeò magnã; rei adeò vilis in adeò pretiosam, idque solùm ad hominem sustentandum? O gloria inea, muta me in alium virum, vt reddere tibi possim fidelia seruitia pro hac mutatione, quam in mei gratiam fecisti: & fiquidem tu das mihi quidquid tu es pro meo nutrimento, volo & ego tibi dare quidquid sum pro tuo seruitio; corpus meum & sensus meos, cor meum & quidquid habeo, expendam in tuo obsequio, fiquidem

b *Gal.* 2. 20.

11.

c *Psalm.* 2. 3.

tu omnia expendisti pro meo nutrimento.

III. TERTIVM prodigium stupẽdum est, quod sit totũ corpus Christi Domini in Sacramẽto instar spiritus indiuisibiliter; ita vt totũ sit in tota hostia cõsecrata, & totum in singulis eius partibus. ex quo efficitur, vt quãuis hostia sacra frangatur ac diuidatur, Christus tamen ipse nõ diuidatur, sed totus integer maneat in singulis eius etiam minimis particulis. Ex quo etiam prouenit, vt vita qua viuit Christus in Sacramento, nõ sit vita carnis, sed quasi vita spiritus. nam etsi pedes ibi habeat, non tamen ambulat; & quamuis habeat manus, non tamẽ palpat; & quamuis habeat linguam, non loquitur: solumq; vtitur facultatibus spiritualibus, quæ propriæ sunt spiritus. O Dilecte mi, quas tibi gratias agere possum propterea, quod diuinam tuam carnem adeò prodigioso modo pinsueris, vt manens vera caro, habeat proprietates spiritus. O si quis mihi daret, vt d *in carne ambulans non secundum carnem militarem*, & viuerem, sed secundum spiritum, exercendo huius opera; ea verò mortificando, quæ sunt propria carnis. O si possem seruare integrum & absque diuisione cor meum, & interiora animæ, etiãsi externa corporis occupatio in multas partes distribueretur: fac, Deus meus, hæc mirabilia in me, pro quo eadem fecisti in te.

d 2. Cor. 10. 3
d Rom. 8. 1

IV. QVARTVM miraculum est, quod manẽs Christus D N. in cælo Empyreo, locum occupãs, quem diuina eius Maiestas meretur, nec

illum

illum deferens, descédat ad sanctissimã Sacramentum, simulq; sit in diuersis orbis partibus, vbicunq; fuerit cõsecratum, nullo excepto loco: adeoq; vigilanter attendat cõsecrationi cuiusuis Sacerdotis, vt statim atque ille dixerit, HOC EST CORPVS MEVM, eodẽ momẽto efficiat, verba illa esse verissima, & cõsequi omnia miracula, quæ retulimus. O suprema Iesu D.N. Omnipotẽtia, qui te ipsum ita extendis in vtilitatem hominũ, vt offeras te ad collocandum tuum corpus in quocunq; terræ loco, in quo illorum corpus esse possit; quid tibi Domine reddam pro adeò stupendo beneficio, nisi vt totum me dedicem in omni loco & tempore tuo seruitio?

PVNCTVM III.

TERTIÒ considerandum, quòd hoc diuinum Sacramentum, sit etiam memoriale omnium munerum & officiorũ, quæ Christus D.N. dum in mundo versaretur; erga homines exercuit, omnia illa renouans in Sanctissimo hoc Sacramento erga vnumquemq; hominem in particulari. Quamobrem per singula horum officiorũ discurrẽs, tria perpendam, modum videlicet, quo Christus Dominus noster illud exercuit in terra; & modum, quo idem exequitur in Sacramento; ac denique magnam meam necessitatem, qua indigeo, vt eadem officia mihi ipse præstet: quare accedendum esse ad Sacram communionem cum hoc spiritu ac desiderio, iuxta meam necessitatem. Officium Medici.

PRIMVM ergo perpendi, quod Christus D.N. dū viuens in carne mortali, fecerit officium MEDICI ergà homines, dans visum cæcis, sanitatē ægrotis, & vitā mortuis, ideò nullis adhibitis corporalibus medicamentis, sed solo suo verbo, aut tactu manū aut vestis, & eadē ratione sanabat morbos animæ, innata virtute, quæ ab ipso in omnium omnium bonū prodibat. Mōx perpendā, quòd fecerint, & fieri in hoc Sacramēto, vt efficax medicamentū & medicus vnius cuiusq; nostrū, vsq; ad finē mundi. nā cōtactu corporis & sanguinis sui, per species sacramentales sanat spirituales hos suscipientes, curat vehementer, reprimit cupiditates, dat integrā in spiritu sanitatē, & interdū vbi ita expediuerit, dabit etiam in corpore. Cōcertā verò fiat mōculos in me ipsum, perpendes exēplum nō cessitatē, qua laboro, vt per meum huic medici opera mihi adsit, eò quòd grauib. ac periculosis morbis affligar, quæ oēs extollā, & animitum referā, licut ſolent qui corpore ægrotāt, petere, fupplex, vt ocsillo dulcissimo præsētia curare velit, fiquide eo fine me visitat. O cælestis Medice, qui venis e cælo, ad visitādos ægrotos, in terra degētes in gloriam tuā celest, & hunc ægrotum adeò miserū, ergo ego sum, reddidersi sanitatē: sana ergo me. Domine ab omnibus infirmitatibus meis, vt sanus & lauſq; me accepem in te laudandō, tibique seruiendo, ob illud bonum, quod in me conferres, absq; me liberando.

Magistri Officium.

EADEM

EADEM ratione licet etiã cõsiderare, quod Christus Dominus noster fecerit in hac vita officiũ MAGISTRI, sicut aliàs perpẽdimus. et eodem modo existens in hoc Sacramento præstat hoc officium erga cõmunicantẽ. nam sicut ipse dixit, a *quamdiu sum in mundo, lux sum mundi*; ita quamdiu est in paruo hominis mundo, est etiam lux eius mundi, quæ internè illuminat; docens intus in corde veritates scriptas in Euangelio: attendẽs verò quãto-erè indigeam hoc diuino Magistro, magno illi affectu dicã: ô MAGISTER supreme, qui enisti è cælo, vt me doceres viam perfectionis, repelle meas ignorantias, & illumina tenebras, vt anima mea ad præsentiam tuam repleatur veritatibus & virtutibus.

II. 3. Part. Medit. 12.

a Ioan. 9. 6.

TERTIÒ, licet etiã cõsiderare, Christũ D. N. officiũ peregisse Saluatoris & Redẽptoris, quia multorum obsessorum corpora eripuit ex potestate & tyrannide Dæmonis; Et multorum peccatorum animas, vitam suam & sanguinem cum ingentibus doloribus, & ignominiis in huius Redemptionis pretium offerendo. Similiter etiã gessit officium PASTORIS gregis sui, explens oẽs partes boni Pastoris, vsq; ad ponẽdã vitã pro ouibus suis. Eadem verò officia facit in hoc Sacramẽto: præcipuè .n. in eo venit, vt suæ copiosæ Redemptionis fructũ nobis impertiat, eripiens nos à Dæmonis tyrannide, à seruitute carnis, Passionum eius, & aliorum vitiorum: facitq; officiũ PASTORIS, attẽdẽs vnicuiq; animę;

III. Officium Redemptoris & Pastoris.

atq; si sola esset & pascēs eam proprio corpore & sanguine, ita vt nō solum ouis comedat ad mēsam Pastoris, sicut b *Nathā Prophetā dixit Dauid*: sed ipsius Pastoris carnē comedat; contrà quā alij Pastores terreni faciant, qui comedūt carnes ouium suarum. Mox aūt me ipsum aspiciendo, perpendā tyrannidem & seruitutē cui subiectus viuo; & maxima pericula, quibus sum expositus, fame ac debilitate pereundi, & deueniendi in manus luporum infernalium. & hoc sensu affectuq; clamabo ad Redemptorē & Pastorē meum, vt mihi subueniat, dicēs: O Redemptor benignissime Pastorq; supreme, c *salua me ex ore leonum* & luporum infernalium; & siquidē d *parasti in conspectu meo mensam* hanc cælestē, *aduersus eos qui tribulant* & persequuntur *me*: eâ quæso ita me pasce & corrobora, vt victoriam hic obtineam, & eâ postea mensâ fruar, quam mihi præparasti in tua gloria, Amen.

b 2. *Reg* 12, 3

c *Psal.* 21. 22

d *Psal.* 22. 5

In *hunc modum considerari possunt alia officia, quæ Christus Dominus noster in terra gessit, Aduocati, Consolatoris, Protectoris, & Vniuersalis omnium Patris.*

Punctum IV.

Quarto est considerandum, idem Sanctissimū Sacramentum esse memoriale clarissimarum virtutum, quas Christus Iesus D.N. in terra exercuit, quas easdem & hic exercet. sicut itaq; venit in mundum, vt vitæ exemplum nobis daret; & virtutum esset exēplum, quod oēs par esset imitari: ita etiam in

hoc Sacramento venit, vt noua quotidie exempla earundem virtutum nobis præberet, earum præcipuè, quæ sunt nobis ad salutem & perfectionem nostram necessaria.

PRIMA est HVMILITAS, quam ostendit velans infinitam suam Maiestatem & splendoré vili figura, & velo panis & vini. ex quo prouenit vt multi illum contemnant, & tanquam purum panem & vinum tractent. I.

SECVNDA est OBEDIENTIA prompta, & ad nutum Sacerdotis, qui consecrat; statim enim atque ille profert consecrationis verba, etiamsi sit impius, & mala intentione aut fine illa proferat; vbicunque & quandocunque illa dixerit, absque vlla replica aut mora, statim ipse adest. II.

TERTIA est MANSVETVDO & PATIENTIA admirabilis, in omnibus iniurijs, quæ illi inferuntur, tam ab Hæreticis & infidelibus, quam à peccatoribus, qui illum cũ peccato sumunt; aut etiam incuria negligentium Sacerdotũ; nihil enim horũ efficere potest, quominus ipse sit in sacra hostia toto tẽpore, quo Sacramẽtales eius species durant. III.

QVARTA est CHARITAS & MISERICORDIA, cum quibus venit ad Sacramentũ, ad exercenda omnia opera misericordiæ, cum omnibus hominibus, magnis & paruis, absq; vlla personarũ acceptione, nihil aliud respiciens, quàm cuiusq; eũ suscipientis animæ bonũ, tradens se vnicuiq; earum in testimonium, quod pro vnaquaque sit mortuus. IV.

atq; si sola esset & pascēs eam proprio corpore & sanguine, ita vt nō solum ouis comedat ad mēsam Pastoris, sicut b *Nathā Prophetā dixit Dauid*: sed ipsius Pastoris carnē comedat; contrà quā alij Pastores terreni faciant, qui comedūt carnes ouium suarum. Mox aūt me ipsum aspiciendo, perpendā tyrannidem & seruitutē cui subiectus viuo; & maxima pericula, quibus sum expositus, fame ac debilitate pereundi, & deueniendi in manus luporum infernalium. & hoc sensu affectuq; clamabo ad Redemptorē & Pastorē meum, vt mihi subueniat, dicēs: O Redemptor benignissime Pastorq; supreme, c *salua mē ex ore leonum* & luporum infernalium; & siquidē d *parasti in conspectu meo mensam* hanc cælestē, *aduersus eos qui tribulant* & persequuntur *me*: eâ quæso ita me pasce & corrobora, vt victoriam hic obtineam, & eâ postea mensâ fruar, quam mihi præparasti in tua gloria, Amen.

b 2. *Reg* 12, 3

c *Psal.* 21. 22

d *Psal.* 22. 5

IN *hunc modum considerari possunt alia officia, quæ Christus Dominus noster in terra gessit, Aduocati, Consolatoris, Protectoris, & Vniuersalis omnium Patris.*

PVNCTVM IV.

QVARTÒ est considerandum, idem Sanctissimū Sacramentum esse memoriale clarissimarum virtutum, quas Christus Iesus D.N. in terra exercuit, quas easdem & hic exercet. sicut itaq; venit in mundum, vt vitæ exemplum nobis daret; & virtutum esset exēplum, quod oēs par esset imitari: ita etiam in

hoc

hoc Sacramento venit, vt noua quotidie exempla earundem virtutum nobis præberet, earum præcipuè, quæ sunt nobis ad salutem & perfectionem nostram necessaria.

PRIMA est HVMILITAS, quam ostendit velans infinitam suam Maiestatem & splendoré vili figura, & velo panis & vini. ex quo prouenit vt multi illum contemnant, & tanquam purum panem & vinum tractent. I.

SECVNDA est OBEDIENTIA prompta, & ad nutum Sacerdotis, qui consecrat; statim enim atque ille profert consecrationis verba, etiamsi sit impius, & mala intentione aut fine illa proferat; vbicunque & quandocunque illa dixerit, absque vlla replica aut mora, statim ipse adest. II.

TERTIA est MANSVETVDO & PATIENTIA admirabilis, in omnibus iniurijs, quæ illi inferuntur, tam ab Hæreticis & infidelibus, quam à peccatoribus, qui illum cũ peccato sumunt; aut etiam incuria negligentium Sacerdotũ; nihil enim horũ efficere potest, quominus ipse sit in sacra hostia toto tẽpore, quo Sacramẽtales eius species durant. III.

QVARTA est CHARITAS & MISERICORDIA, cum quibus venit ad Sacramentũ, ad exercenda omnia opera misericordiæ, cum omnibus hominibus, magnis & paruis, absq; vlla personarũ acceptione, nihil aliud respiciens, quàm cuiusq; eũ suscipientis animæ bonũ, tradens se vnicuiq; earum in testimonium, quod pro vnaquaque sit mortuus. IV.

V. QVINTA est PERSEVERANTIA, cum manendo in nobis sacra Eucharistia, ac sacramentalium specierum consumptionem: tùm in adimplendis omnibus, quæ diximus, vsque ad finem mundi, nullis persecutionibus, nullis quò minus ipse impleat quod quid promisit.

Apoc. 11. 15. & 16.

CIRCA vnamquidem, harum quinq; virtutū, possunt fieri insignes cogitationes sicut in præcedentibus Meditationibus fuerunt habitæ.

QVANDO autem accessurus sum ad sacram communionem, ostiam vtrumq; ad ipso D.N. petam, conijciens oculos fidei in sacra quinq; vulnerum eius, quæ etiam ibi habet in gloriæcaco suo corpore, ac dicam illi: Dulcissime IESV, fiquidem venire dignaris ad panperem domum meam, cum quinque tuis vulneribus; per eadem supplico, vt quinque has virtutes mihi velis communicare, ob duo vulnera sacrorum pedum, pero humilitatem, & mansuetudinem, per duo sacrarum manuum, obedientiam pero & perseverantiam: ob latens vulnus, imple me inflammata tui charitate, vt amans te, tibiq; constanter obediens, tandem obtinendo coronam gloriæ. Amen.

PVNCTVM. VI.

QVINTO est considerandum, quod hoc Altissimum Sacramentum, quod est sacrorum sacrae, habet speciale quiddam supra reliqua Sacramenta, esse videlicet signum, & summam rejum maximorum beneficiorum, quæ

quæ Deus vnquam fecerit, aut faciet hominibus, vnum quod iam tranſijt, Redemptionis videlicet beneficium; alterum eſt præſens, beneficium ſcilicet Sanctificationis; tertium eſt futurum, nempè glorificationis: quod totum quodam modo maximè ſingulari nobis ſignificat, quia ipſemet Chriſtus D. N. exiſtens in Sacramento, id totum efficit, vt exprimitur in Antiphona illa, quam canit Eccleſia; *O ſacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria Paſſionis eius; mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* De his tribus rebus agetur in proximis Medit. ad quas reuocabimus, quidquid ſupereſt dicendũ de Venerabili hoc Sacramento.

MEDITATIO XLI.

DE SANCTISSIMO SACRAMENTO, quatenus eſt memoria paſſionis Chriſti D. N.

DESIDERANS *Redemptor noſter conſeruari in Eccleſia ſua perpetuam* a memoriam *ſuæ Paſſionis, & mortis, ac ſupremi beneficij per eam nobis collati; inſtituit Sanctiſſimum hoc conuiuium, in quo quotidie dat nobis in cibum & potum, corpus & ſanguinem ſuum, ſub accidentibus panis & vini.*

a Luc. 22. 19
a 1. Co. 11. 24

PVN-

PVNCTVM I.

CIRCA hanc fidei noſtræ veritatẽ perpendendæ primùm ſunt cauſæ, cur voluerit Chriſtus Dominus noſter, paſſionis & mortis ſuæ, ignominiâ & dolore pleniſſimæ ſignum & memoriam, eſſe conuiuium ſuauitate & iucunditate pleniſſimũ. Videtur enim aptius ſignum, & memoriam magis ad rem futuram fuiſſe aliquod Sacramentum, in quo nos ſanguinem noſtrum effunderemus, ſicut in circumciſione fiebat; aut cibum aliquem amarum comederemus, ſicut comedebantur lactucæ agreſtes cum agno Paſcali; & vt biberemus aliquid aceti in memoriam aceti & fellis, quod ipſe bibit: ſed nihil tale benigniſſimus Dominus hîc voluit, eam eſſe memoriam, ſed ſpecies tantum panis & vini, & quidem non panis hordeacei, quo ipſe aliàs veſcebatur, ſed panis triticei; nec aceti, ſed vini, non corrupti. cuius rei quatuor fuerunt præcipuæ cauſæ, eæque ſuauitate & dulcedine plenæ.

I. PRIMA cauſa fuit, vt nobis aperiret infinitam ſuam bonitatem, & charitatem, ac dilectionem, qua nos tanquam pater proſequitur, vt qui ſibi ea elegerit, quæ pœnam doloremq; ipſi inferrent; nobis verò ea dederit, quæ adferrent incunditatẽ in memoriã pœnarũ eius; quo fructũ & vtilitatẽ, quæ ex eis prouenit, nobis applicaret. Eſt enim parentibus familiare & veluti propriũ, aſpera & difficilia ſibi accipere, vt filijs dẽt ſuauia &

incun-

iucunda; & hũc ſpiritũ vult nos oẽs filios ſuos habere erga noſtros fratres ac proximos.

SECVNDA cauſa fuit, vt ex hoc agnoſceremus, quanta ſua voluptate paſſionis ſuæ labores pertulerit, quatenus in noſtrum cõmodum & vtilitatem illi cedebant; quod etiam ſatis indicauit, cum dixit: a *deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum.* Ideò igitur voluit ſui memoriam eſſe apud nos in ea re, quæ nobis eſſet ſuauis & iucunda, & in conuiuio magnæ exultationis; vt ſic maiori noſtra voluptate, paſſionis eius recordaremur, & pro ea gratias ageremus. Sicut itaq; dies paſſionis eius, fuit ipſi deſponſationis & nuptiarum cum Eccleſia ſponſa ſua; ita memoria eius meritò retinetur in conuiuio & gaudio, ſicut in nuptijs fieri conſueuit. II.

a Luc. 22 18

TERTIA cauſa fuit, vt agnoſceremus ſuauitatẽ legis eius, de qua ipſe dixerat, ψ eſſet b *onus leue, & iugũ ſuaue*; ideoq; omnia eius Sacramenta ſuauia fuerunt, & hoc præ cæteris, quod ex eius latere lanceâ perfoſſo effluxit. III.

b Mat. 11.29

QVARTA cauſa, vt ſic nobis obligaret ad imitandas res amaras & ignominioſas paſſiones eius. nã quò ipſe liberaliorem ſe oſtendit in deſignanda re, quæ eius memoriam in nobis, conſeruaret, in conuiuio tantæ ſuauitatis; eò magis nos obligat, vt lege gratitudinis, eiuſdẽ paſſionis recordemur, amplectentes res aliquas amariſſimas, pœnitentiam ſcilicet ieiunium, mortificationẽ, humiliationem, & quidquid Chriſto crucifixo IV.

deſpe-

del pectoque ita magis conforme, dicentes cum Iereм. *memoria memor ero tui*, & *tabescet*, ac fecto, *in me anima mea* mortificatione communem, quidquid ante fuerat contra tuo obsequio, & sponte amplectens sponsas, quas tu meiamore pertulisti. O dilecte cordis mei, quid ego prote faciam, ut tanquam benedictus regendam, & excellenter amorem, quem erga me ostendis? Si te adoro tanquam Patrem, es amantissimus, si tanquam Redemptorem, es dulcissimus, si tanquam legislatorem, es iucundissimus, exomni me parte *constanter in magnitudine & in decore tuo*, quæ abillis procedunt. Clipio Domine, amore tui, coronare me innumerabilibus spiritu corona, redeendo tibi innumeros laetos meos, ego tuis innumeris gratiarum commentis, quæ plena fuerunt innumeris mihi cordibus.

Ier. 1. 3. 29.

Pſa. 20. 4

Pſa. 44. 5.

PVNCTVM II.

DEINDE consideranda sunt causæ, cur voluerit Christus D. N. infinem & exitum: & vere manere in hoc Sacramento, ve ellet sue Passionis memoriale? ad hoc siquidem sufficiebat tantum panis & vinum, fucus aqua pura sufficiebat ad baptismum, qui etiam est figura *Christi & passionis*.

1 Reim. 6. 4. 1.

SED prima causa huius fuit, ve nobis offerret quanti ipse faceret suam passionē, qui voluerit per ipsam, ese eius memoriale, vt se nos magis obligaret ad eandem maxime faciendam, & continuam rani beneficij memoriam habendam, gratiasq; pro eo agēdas, siquidē ipsemet Christus Dominus noster, ex-

citatorem ſe præbet memoriæ noſtræ, aduerſus noſtram obliuionem, fouetque gratitudinem aduerſus ingratitudinem.

SECVNDA cauſa fuit, vt ſuam infinitam charitatem, ac immenſum deſideriũ, quo tenetur noſtri boni cauſa patiẽdi, magis nobis manifeſtaret. nam quotieſcunq; Sacrũ Miſſæ celebratur, ſicut in eo ipſemet Chriſtus paſſionis mortiſq; ſuæ geſta nobis proponit; ita paratus eſt amore noſtri iterum pati ac mori re ipſa & verè, ſi id ad noſtram vtilitatẽ eſſet neceſſarium: ſed cũ hoc non ſolum neceſſarium non ſit, ſed nec expediens, delectatur tamen patiendo & moriendo, ſaltẽ in mortis & paſſionis repræſentatione. Et ſicut in Apoc. vocatur *Agnus occiſus ab origine mundi*, eò quod mortuus cẽſeatur in figuris animaliũ, quæ in ipſius memoriã mactabantur; ſic eundẽ poſſumus vocare Agnũ, qui occiditur vſq; ad finem mundi: quia eodẽ modo moritur ipſemet in hac ſuæ mortis repræſentatione, quę duratura eſt vſq; ad mundi finẽ. Et ſic nos obligat, vt re ipſa & verè accipere ſtudeamus partẽ aliquam ipſius paſſionis & mortis tam intuitu amoris eius; quàm in bonũ fratrum noſtrorum: dicente Apoſt. c *ſemper mortificationẽ* IESV *in corpore noſtro circumferimus*; & d *cuius cauſa mortificamur tota die, & æſtimati ſumus* tractamurq; *ſicut oues occiſionis*; & e *quotidie morior per veſtram gloriam fratres.*

II.

b *Apoc.* 13. 8. *S. Thom* 3. p. q. 83. a. 3.

c 2. Cor. 4. 10.

d *Rom* 8. 36

e 1. Cor. 15. 31.

TERTIA cauſa fuit, vt hac ſua reali præſentia defectum ſuppleret gratitudinis hominum,

III.

minum, non solum beneficij causa Redemptionis, sed etiam reliquorum beneficiorum à Deo acceptorum; quæ quòd sint infinita non possit pro eis pura creatura gratias agere sufficienter (gratum, videtur ipsemet vult per seipsum in hoc Sacramento exhibere de gratum pro his omnibus beneficijs; & licut Apost. dicit: quod *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, sic licet nunc dicere, quod Christus D. N. in hoc Sacramento gratias agat, gratum se exhibet pro omnibus his beneficijs, affectibus inenarrabilibus: nos ipsos excitans ad colligendum affectus magna virtute exercendos ex quo præsunit, vt hoc Sacramentum appellaretur EUCHARISTIA; quod significet gratiarum actionem. O Deus Amoris quid hoc est quod facis? & beneficio infinito, quidest quod datus sis pro gratiarum actione, quam debeo beneficijs ita acceptis, nonum confers adeo magnum beneficium atque sunt reliqua omnia? quomodo ergo pro hoc nouo beneficio gratias me posse agere fatebor; laudans te Domine te ipsum pro hoc & reliquis omnibus beneficijs, & hoc ipsum beneficium te laudet pro te & reliquis: liquidem *magnificentia opus est tuum*, cum te ipsum das in cibum timentibus te; & quodnam ejus nihil nouidare tibi possum, propter ingentem beneficij gratiaique mihi collatas, *hæc enim* nunc mei *salus tui accipium*, & nomen sacrum *Domini invocabo*, & glorificabo.

f Rom. 8. 23.

g Psa. 1. 16. 3

h Psa. 115 13

PVNCTVM III.

TERTIÒ considerandæ sunt causæ, cur voluerit Christus D. N. sub speciebus panis & vini esse memoriale suæ Passionis; quæ proculdubio aliquam habent cum ea similitudinem.

PRIMA enim causa fuit, vt significaret, quod sicut in hoc Sacramento coniungitur Christus cum speciebus panis, qui conficitur ex multis frumenti granis fractis & contritis; & cum speciebus vini extracti ex granis vuæ calcatis, & tanquam in torculari expressis; sic sacratissimum Christi D.N. corpus fuit in passione sua tortum; & flagellis, spinis, clauisq; contritum, & grauissimis ignominijs a *calcatum*, & eo vsque *in torculari* expressum, vt totus sanguis effluere- a *Isai. 63. 2.* ret, & corpus ipsum ita sine sanguine relinqueretur, sicut solet vua in torculari remanere. Quare propter has panis & vini species, vult nos esse memores dolorum & ignominiarum, quas illæ nobis repræsentant; & sicut sacrum ipsum panem & sanguinem comedimus & bibimus, sic etiam comedamus & bibamus, nobisque quodammodo incorporemus passionis eius & mortis pœnas. I.

VERVM vlteriùs progreditur charitas benignissimi huius Domini. nam b *qui baptizatur*, vt ait Apostolus; *in morte* & sepultura *Christi baptizatur*; *quia cum illo consepelitur* II. b *Rom. 6. 1. 8*

per Baptiſmum in mortem, dum aquis immergitur, ſicut ipſe Chriſtus fuit immerſus fluctibus c *profundis aquarum*, laborum ſcilicet & afflictionum & tandem in ſepulchro ſub ingenti lapide collocatus. Verùm in hoc Sacramento ipſemet Chriſtus, mortẽ ſuam & ſepulturam repræſentat, cùm comeditur, & quaſi dentibus teritur; & quando iam eſt ad ſtomachum tranſmiſſus, memoria eſt ſui ipſius contriti dentibus perſecutorum, & deuorati à morte, ac in ſepulchro collocati. Quibus omnibus ipſemet Dñs aſſiſtit, vt ea fiant pari ſpiritu & reuerentia, cõmunicans ſuæ poſſionis & mortis fructus ei, qui ipſum ſumit. Recordare anima mea, cùm cõmunicas, quòd ſis eiuſdẽ Chriſti D.N. ſepulchrum; quia illum recipis intra te viuentem quidem in ſe ipſo, ſed in repræſentatione mortuum. Attende, quod d *eius ſepulchrum eſſet glorioſum*, e *nouum*, *& excauatum in lapide*; vt intelligas, te quoq; debere eſſe glorioſam propter virtutes, nouam ob renouationem ſpiritus, & fundatam in imitatione viuæ petræ, quæ eſt Chriſtus. O Chriſte dulciſſime, ſanctifica hoc ſepulchrum, quod iam ingrederis; vt, quamdiu in illo manſeris, digna ſit habitatio tua. Et ſicut in tuo ſepulchro nullus fuit alius vnquam poſitus; ita ne quæſo, in hoc aliquid inpoſterum ingrediatur, quod tibi diſpliceat, aut aliqua creatura, quæ illud profanet, ſed nouum ſemper conſerua & purum, ad gloriam tuam in æternum. Amen.

c *Pſal.* 68. 15

d *Iſai.* 11. 10.
e *Matth.* 27
60. 4. *p. Med.* 55. *punct.* 3.

IN quarta parte Meditatione 13. sunt aliæ considerationes ad hoc propositum, quid videlicet sit, quod seorsim corpus consecretur à sanguine, & cur in diuersis speciebus panis & vini.

MEDITATIO XLII.

DE SANCTISSIMO SACRAMENTO, quà est causa gratiæ & sanctificationis, in ipsa sumptione: ac de admiranda illud sumentis cum ipso Christo Domino vnitione.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM primò, quod cùm Christus Dominus noster, decreuisset, septem Sacramenta instituere, quæ septem essent gratiæ signa sensibilia, & septem instrumenta, quibus passionis suæ fructum nobis communicaret, nostram videlicet sanctificationem; decreuit quoque, vt ex illis vnum non esset pura creatura, qualis pura aqua, purum oleum aut balsamum, aut merus panis, & merum vinum; sed ipsemet Christus verus Deus & Homo, voluit re ipsa & vere coniungi creaturæ, & miraculo occultare se sub accidētibus

panis & vini, vt ipsemet gratiam nobis daret, & suæ passionis fructum applicaret, sic manifestans nobis infinitam charitatem & amorem, quo nos prosequitur; & quanti faciat nostram sanctificationem, & eius augmentum ac perfectionem. Id quod aliquibus exemplis potest exponi.

I. PRIMVM: quia amantissimus noster IESVS non est sicut medicus, qui postquam medicamentum præscripsit, committit infirmario, vt illud applicet ægroto: ipse autem medicus nec tangit quidem ipsum ęgrotũ; sed potius ipsemet & medicus est, & medicina, & qui inuisibiliter illã applicat, ingrediens tanquã cibus ad nostra interiora, & gratiam communicans, qua noster morbus sanetur.

II. DEINDE non est Christus Dominus noster sicut homo diues & potens, qui pretium offert quo redimatur captiuus, iubetque famulo suo, vt illum redimat; sed ipsemet est redemptor & pretium nostræ redemptionis, & qui sanguinis sui pretium nobis applicat, ac per se ipsum tribuit perfectam libertatem gratiæ & adoptionis filiorum Dei.

III. NEQVE est sicut aliqua mater, quæ postquam cum dolore peperit filium, nutrici alicui tradit, eius lacte nutriendũ, sed ipsemet qui magnis doloribus in cruce nos genuit, vult nos nutrire, sicut beneuola mater, proprio suo corpore & sanguine. Nec est sicut Rex, qui subditos inuitans, seruos suos iubet

ad men-

ad mensam illis ministrare; sed ipsemet potius & nos inuitat, & ipsum est conuiuium, & ministrat ad mensam, dans nobis se ipsum in cibum & potũ. Et quamuis Sacerdotes sint eius ministri ad cõmunionem impartiendã, ipse tamen reuera huic toti actioni assistit, speciebus panis & vini vnitus. O Medice benignissime, Redemptor liberalissime, ô Rex pijssime, & Mater amantissima! quid faciam obsequij, quò respondeam tantis, quæ in meum commodum præstas! quomodo non eum diligam qui me tantoperè diligit? quomodo non æstimabo meæ sanctificationis gratiam, quam ipse sanctificator se ipso mihi cõmunicat! quomodo non esuriam ad præclarum adeò conuiuium accedere, in quo ipsemet Deus, qui me inuitat, est cibus ipse, quem comedam, vt ex eo vitam recipiam! gratias tibi Pater amantissime ob supremum hoc beneficium; ne patiaris me esse parcum in reddendis gratijs, nec tepidum in accipiendo ex eo fructum, Amen.

PVNCTVM II.

CONSIDERANDA sunt deinde dona, quæ Christus Dominus noster animæ largitur, quando in hoc Sacramento eam ingreditur. Hoc enim ingressu *mens impletur gratia*, & charitate, cæterisq; supernaturalibus virtutibus, & septem donis Spiritus sancti, multò abundantiùs & perfectiùs, quam per reliqua Sacramenta; eò quod in hoc sit fons gratiarum, & ipse earum largitor. Sicut I.

quando Rex facit eleemosynam per manum sui Eleemosynarij, ferendum est, etiamsi exiguã largiatur; at si propria sua manu id faciat, decet donũ esse magnũ, sicut donũ Regium: ita quoniã in hoc Sacramento ipsemet Christus per se ipsum, gratiæ & virtutũ eleemosynã, elargitur, eã dat copiosam, & tãquã eleemosynã, per manũ ipsius Dei oblatã, implens hic illud Dauidis, a *qui coronat nos in misericordia*, & magnis *miserationibus*, quę ab ea procedunt, *replens nostrum desideriũ* ingẽtibus *bonis*. Atq; ita licet cogitare, quod quãdo per os meum ingreditur, mihi dicat illud Psa. b *dilata os tuũ & implebo illud*: dilata & extende sinus animæ tuæ, & cordis tui desideria, quia eo animo venio, vt illos impleã, & hæc expleam. Audi anima mea, vocẽ dilecti tui: & siquidem ipse profusus vult esse in cõmunicandis tibi suis donis; ne sis tu parca, in te præparãdo ad illa suscipienda, dilata cor tuũ spe, & extẽde charitate, exorna illud feruentibus deuotionis actibus, vt cùm ingredietur, tuus dilectus repleat illud suis donis, & sua copiosa benedictione. Amen.

a *Psal.* 102. 4

b *Psal.* 80. 11

II. DEINDE perpendam spirituale conuiuiũ, quod nobis Christus in anima nostra exhibet tribuẽs illi in ipso statim ingressu spiritualẽ refectionẽ, quæ est huius Sacramenti propria, id quod intelligi potest eo modo, quo S. Greg. dicit, quod virtutes & dona Spiritus S. significata per tres filias, & septẽ filios Iob, exhibeant solemne cõuiuium animæ,

Lib. 1. Mor. c. 25.

cum

cum exercitio ſuarum actionum, mouente ea Chriſto Dño noſtro ſua præſentia, vt magno iubilo huiuſmodi actiones exerceant. Exhibet etiam nobis conuiuium per *charitatem*, mouens eam ad exercendos actus dilectionis Dei, ſpiritualis gaudij, zeli, diuinæ gloriæ, & vehementis deſiderij ſe coniungendi ſuo dilecto; Mouet virtutem Religionis, ad exercendos actus reuerentiæ, laudis, gratitudinis, alioſq; mille affectus orationis & deuotionis; mouet donum *Sapientiæ*, vt alta de Deo ſenſa proferat cũ ſtupore magnitudinũ eius, cum magna fide & luce veritatũ, magno ſapore ac dulcedine perfectionum eius. eadem ratione permouet ipſam *fidem & ſpem, humilitatẽ, & obedientiam*, cũ cæteris virtutibus doniſq; Spiritus S. cuius actus ſunt refectio, ſuſtẽtatio, & ſatietas ſpiritualis animæ.

Ex his concipiam intimum deſiderium ipſum inuitandi, ſicut ipſe me inuitat, vt c *mecum cœnet, & ego cum eo*, excitans me ipſum ad hos actus exercendos ex libero meo arbitrio eius gratia adiuto, quamuis arido & torpente. oblectatur enim Chriſtus Dominus noſter plurimũ hoc cibo, cœnando nobiſcum intra cor noſtrũ. Ac propterea dicit Spiritus S. d *quando ſederis vt comedas cũ Principe, diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciẽ tuam*, e *ſciens quod talia te oportet præparare*, vt ille comedat. O Princeps ſupreme, ingredere pauperẽ hanc domum ad cænandũ mecum; ſed tecũ adfer cœnam, quâ oblectaris: ego, quod in me eſt, offero me ad illã præparan-

III.

c *Apo.* 3.20.

d *Prou.* 23.1

e *Iuxta LXX.*

Ex S. Aug. Tract. 47. *& 84. in Ioan.*

S. Ambr. I. *offic.* c. 13.

parandam omnibus viribus meis, contendẽdo vt faciam quidquid tibi placebit in illa.

PVNCTVM III.

TERTIÒ considerandum, quod Christus Dominus noster nominatim diuinum hoc sacramentum instituerit, vt se nobis coniungeret charitatis vnitione, toto tempore huius vitæ. quod beneficium maximum est inter ea, quæ hic suis confert Electis. Hoc
a Joan. 6. 34. significauit ipse cùm dixit: a *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo*: quasi diceret; *in me manet* per charitatem, sicut qui amat est in re amata; *& ego in eo* per gratiam, communicans illi omnia bona, quæ ab ea procedunt. Hoc autem non solùm fit quamdiu sensibilis hic cibus manet in corpore, sed permanenter. nam etsi Sacramentalibus speciebus consumptis, non amplius maneat nobiscum Christus, quà homo est; permanet tamen, quà est Deus nobis coniunctus, & nos illi amore amicitiæ mutuæ; ipse nos amans & nos ipsum, facientes reipsa quod S. Ioannes
b 1. Ioa. 6, 4. dixit. b *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

NAM Christus, quà Deus, est ipsa charitas
S. Thom. ibid. ex S. Bern. per essentiã; & per hoc Sacramentũ oritur in nobis charitas participata; & ideò qui illũ sumit, manet charitati cõiunctus: & ita est in Deo tãquã in sua domo refugij; & Deus est in eo, tãquã in suo tẽplo & horto voluptatis.

Quo-

Quomodo, anima mea, nó extra te ipſam exis dum huius beneficij magnitudinẽ & charitatis efficacitatẽ perpendis, quam Chriſtus tibi in hoc Sacramento cõmunicat? Si Chriſtus eſt charitas, quid illâ melius? Si, qui eſt in charitate, manet in Chriſto, quid eo ſecuriùs? Si Chriſtus manet cum eo, quid eo lætius? quòd ſi id totum in hoc conuiuio aſſequeris, quid eſt illo amabilius? ô conuiuium infinitę charitatis, in quo ipſamet charitas ſpecieb. panis & vini velata, ingreditur intra me, vt conuertat in ſe. O dilecte mi, permuta me totum in te, vt ſemper te diligam, laudem, & glorificem in æternum, Amen.

IN hac conſideratione hærendum eſt in perpendẽdis tribus, quæ inſinuauimus; quod videlicet, qui me in hoc ſacramento inuitat, ſit Deus, qui eſt ipſa charitas, & à charitate permotus, admirandum hoc inſtituit conuiuium; cibus deinde qui hîc proponitur, eſt præcipuè ipſamet charitas, quæ eſt Deus; & ille ingreditur intra me, aſſidetq; in medio cordis mei, ſicut c *Salomon* amabilis Domini ſedebat in medio *feretculi, quod fecerat ex ligno Libani, quod conſtruxit media charitate propter filias Ieruſalem*, hoc eſt animas ſanctas, vt ſic eas ad ſe attraheret. Ac denique perpendendum, quòd finis & fructus huius conuiuij, ſit coniunctio charitatis, permanẽte Deo in me tanquam in ſuo ferculo & loco quietis; & me in ipſo, tanquam in protectore meo, & loco refugij.

c Can. 3.10.

PVNCTVM IV.

QVARTÒ considerandæ sunt supremæ huius vnitionis excellentiæ, ex similitudine, qua Christus Dominus ad eam declarandam est vsus: a *sicut ego viuo*, ait, *propter Patrem, ita qui manducat me, & ipse viuet propter me.* quibus verbis proposuit Christus Dominus maximam quam potuit similitudinem in hunc finem; quæ in eo consistit, quòd sicut Filius Dei, per generationem æternam accipit à suo Patre naturam, & vitam Dei, & omnes perfectiones, virtutes, & opera Dei, ita vt Filius per hanc generationem sit vnus Deus cum Patre suo, viuat in eo, & per eum; sit sapiens, bonus, sanctus, infinitus, & omnipotens sicut Pater, cum quo habet vnum & idem sentire, velle, & operari in omnibus rebus; ita etiam qui dignè Christum in hoc Sacramento sumit, virtute huius sumptionis, fit particeps naturæ & vitæ Christi, perfectionum & virtutũ eius; fit Christo conformis in sentiendo, volendo, & faciendo idẽ, quod ipse Christus; ita vt sit vnus spiritus cum eo, vt possit dicere illud Apostoli: b *viuo iam nõ ego, viuit vero in me Christus*: & c *mihi viuere Christus est*, quia viuo in eo, & per eum, & ipsi viuo. O dulcissime Iesu, siquidem tanto affectu cupis me vnum esse tecum, sicut tu es vnum cum Patre tuo, ingredere animam in hoc Sacramento, & effice in ea vnitionem, quam per illud mihi promisisti vt per eam glorificeris in æternum, Amen.

a Ioan. 6. 58.

b Gal. 2. 20.

c Phil. 1. 21.

IN hac consideratione diligentiùs est perpendendum verbum illud PROPTER ME, cùm dixit Christus, qui manducat me viuet propter me: quod verbum omnia genera causarum complectitur; quo significat se futurum causam perfectissimam omnium viuentium operum, quę fecerit qui eum comederit. nam inspiratione sua erit illorũ principium, excitans illum ad ea facienda; erit & vltimus finis, ad cuius gloriam omnia dirigat; erit exemplar: quod in illis faciendis imitetur; ac denique erit materia & argumẽtum verborum, cogitationum, & affectuum, quos ille habebit; ita vt semper viuat propter Christum, sicut qui d *nihil scit aliud nisi Iesum Christum; & eum crucifixum*; nec diligere vult aliũ, nec de alio loqui nisi de Christo, nec facere nisi per Christum & propter Christum. Hoc modo Christus erit vita nostra, quam nobis in sanctissimo Sacramento communicat; & ideo per excellentiam e *panis viuus* appellatur; quia per eũ viuimus vitã Dei, & vitam Christi vniti cum ipso, sicut ipse eandem vitam viuit cum Patre suo. O vere panis vitæ, viuifica me vita tua cælesti ac diuina, vt ex nunc non in me viuam, sed in te, nec vitam viuam hominis, sed vitam Dei, illi vnitus in secula, Amen.

d 1. *Cor.* 2. 2.

e *Ioan.* 6. 51.

PVNCTVM. V.

CONSIDERANDI quintò sunt admirandi huius vnitionis effectus, ex aliquibus similitudinibus.

PRI-

I. PRIMA est similitudo sumpta ex pane & vino in quib. hoc cõuiuiũ celebratur. NAM sicut cibus corpori cõiunctus, communicat illi proprias qualitates; ex quo prouenit, vt crassiores cibi crassiores nutriãt humores; & delicatiores cibi, humores delicatiores, magisq; salubres, ita Christus Dominus noster in nos ingressus, & animabus nostris vnitus, suas proprietates & qualitates cælestes nobis cõmunicat, charitatẽ suã, humilitatẽ, obedientiam, patientiã, & reliquas virtutes; ita vt ad noui huius hominis & cælestis Adami imaginem ita renouemur, vt de nobis dicere liceat; a *qualis est secundus homo de cælo cælestis, tales sunt & cælestes*; & qualis porrò est Christus, tales sunt qui illum comedunt. Et quamuis verum sit, quòd omnes virtutes communicet, singulariter tamen cuiuis dat illam, qua ille magis indiget, magisq; desiderat ac quærit per talem cibum; sicut manna, quod, licet haberet omnem saporem, respõdebat tamen voluntati & gustatui singulorum, sicut suprà obseruauimus.

a 1. *Cor.* 15. 48.

II. AD eundẽ modum licet etiam cõsiderare, esse in hoc Sacramẽto eundẽ illũ Dominum, qui dixit, b *Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum.* Quod vt perficiat, ingreditur in nos, & tãquã vitis collocat se in medio cordis nostri, vnitq; sibi palmitẽ animæ nostræ, & oẽs eius propagines, potẽtias scilicet, quib. dat virtutẽ, ad dulcissimos benedictionis fruct⁹ pro-

b *Ioan.* 15. 5

ferens-

ferẽdos, pias nimirum cogitationes, affectus feruẽtes, verba ſancta, & opera perfecta. Neque verò eſt ſolùm vitis, ſed etiam cultor & agricola: ipſe enim palmites putat, vt fructũ afferant; inſpirat enim ei, ad quẽ ingreditur, quid ſit putãdum, quid mortificandũ; & auxilium ad id faciendum prębet, vt vnitio cõſeruetur, & fructus accipiat ex ea copioſiores. O anima mea, ſiquidem noſti, palmitem à vite abſciſſum non poſſe fructum ferre; & ad nihilum valere vltrà, niſi vt in ignẽ mittatur, coniunge te cum hac ſuprema vite, quę eſt Chriſtus: recipe eum intra viſcera tua, reſeca quidquid in te eſt, quod abeo te ſeparet, vt ab inferni igne liberatus, æternùm ardeas igne amoris eius, Amen.

III. LICET etiam conſiderare, in ſanctiſſimo hoc Sacramento latêre Dominum illum, quẽ S. Iacobus: c *Inſitum verbum* appellat, *quod poteſt ſaluare animas noſtras.* nam per Incarnationem fuit inſitum & vnitum humanæ naturæ (ſicut aliqua fructuoſa arbor inſeritur trunco ſterilis arboris) & in eâ opera edidit plus quàm humana. Hic itaque idem Dominus per huius Sacramenti communionem, ingreditur animam meam, & inſeritur illi per gratiam: cumque ego naturâ ſim ſtipes ſterilis, qui non profert niſi fructus amaros peccatorum, dum ipſe in me inſeritur, facit me proferre fructus dulces ac diuinos, non tanquam à me, ſed tanquam ab ipſo, illi proueniant. ſicut ſtipes amigdali amaræ

c Iacob. 1. 21

propter

propter d*insertam* propagineṁ dulcis, profert amigdala dulcia. O dilecte mi, arbor dulcissima, de cœlo allata pro salute mundi; iam mihi non satis est dicere, sicut Sponsa: e *sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo*: Sed vlterius cupio, vt in meipsum ingressus, facias me vnum tecum, quo virtute tua dulces proferam fructus similes tuis, qui permaneant in vitam æternam.

e Cant. 2.3.

PVNCTVM VI.

TANDEM ex prædictis omnibus pergam ad considerandum, quod Christus Dominus noster, hoc sacramentum instituerit in speciebus panis & vini potius, quàm alterius cibi pretiosioris aut rarioris, vt ita significaret, quàm frequenter esset sumendum; à quibus personis, & qua dispositione; & vnitionem atque effectus, quos in sumentibus operatur.

I. 4. *par. Med.* 13. *punct.* 3.

PRIMVM hac ratione declarauit intimũ desideriũ, quo tenetur, exhibẽdi nobis quotidie hoc conuiuium, & vt nos quotidie præparemus, vt eius participes efficiamur. Nam Reges terræ ad suam magnificentiam putant pertinere, quòd eorum cõuiuia sint sumptuosissima, sed simul rarissima, bis aut ter in anno: Rex verò cælestis magnæ quoq; tribuit excellẽtiæ, vt conuiuium quod ipse parat, sit splendidissimum, sed simul cupit esse quotidianum, & quidem per totam vitã: & ita instituit illud in forma panis & vini, qui cibus

est

est quotidianus; vt intelligamus, quod sicut corpus, quamuis nullum fuisset præceptum datum de conseruanda vita, necessitate tamen & oblectatione trahitur, ad comedendum quotidie panem & vinum quibus se alit: Ita anima, quamuis nullum esset præceptum suscipiendi hoc Sacramentum, debet meritò id facere frequentissimè, tum ob necessitatem conseruandi vitam spiritualem; tùm ob delectationem, quam ex hoc cibo percipit; & vt Domino ipsi rem gratam faciamus, qui adeò amanter nos inuitat iubetque, vt a *panem* hunc *supersubstantialem* quotidie ab ipso petamus, quia valde cupit illum nobis dare. Imò vt magis ad illum sumendum nos alliciat, etiam nobis minatur: b *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; nec vitam gratiæ, nec vitam æternæ gloriæ. O Pater amantissime, fac me dignum, qui quotidie sumam hunc panem quotidianum: &, si quidem desideras, vt adeo frequenter illum sumam, adiuua me tua gratia, vt fructum magnum ex eo hauriam.

a *Mat.* 6. 11

b *Ioan.* 6. 53

II.

DEINDE panis & vinum, sunt ordinarij & cómune alimẽtũ cuiusuis generis personarum, diuitum & c *pauperum*, magnorum & paruorũ: Ita Christus Dominꝰ noster, qui est in hoc Sacraméto, vult esse alimentũ omniũ fidelium, cuiuscunq; sint status & conditionis, altioris vel inferioris; quia oẽs inuitat, vt apparet in illa parabola Regis, qui fecit

c *Luc.* 14. 21

cœnam

dignè accipiatur, nō generat fastidium, quin potius e *qui edunt adhuc esuriunt; & qui bibunt adhuc sitient*, quia continet in se f *omnē saporem suauitatis*. non terrenæ, vt g *manna* quod *nauseam attulit filijs Israel*; sed cæleſtis, quæ recreat Angelos cæli. O Dilecte animæ meæ, qui tot viis & modis me prouocas ad fruēdum ſupremo iſto conuiuio; ne patiaris, vt inordinato amore bonorum terrenorum me excuſem, nec ad illud accedam h *ſine veſte nuptiali*, quæ eſt charitas; exue cor meum ab omni amore terreno, & indue Diuino, vt amāter aſſiſtam conuiuio amoris; & per illud eiuſdem amoris perfectionē obtineam, perfecta tecum charitate coniunctus, Amen.

e *Eccleſ.* 24. 29.
f *Sap.* 16. 20.
g *Nū.* 21. 5.
h *Luc.* 14. 18

MEDITATIO XLIII.

DE SANCTISSIMO SACRAMENTO, quà pignus eſt & ſignum gloriæ, quam ſperamus.

VIPIENS Deus Dominus noſter dare nobis aliquod ſignum & pignus gloriæ, quam nobis promiſit, ad noſtram conſolationem, & fiduciæ noſtræ ſecuritatem, inſtituit hoc Sanctiſſimum Sacramentum, in quo omnia concurrunt, quæ ad eum finem poſſint deſiderari, vt in ſubiectis punctis patebit.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM primò, quod hoc

sanctissimum Sacramentum, signum sit & pignus gloriæ nobis promissæ; quia in se includit rem pretiosissimam & dilectissimam, quam Deus habet; cuius valor est infinitus, & valet tantum, quantum ipsamet gloria, quam nobis promisit: sicut inter homines, vt solutio debiti sit securior, certumq; sit, quod qui aliquid promisit, illud implebit, aliquod signum & pignus tradit pretiosum, aut rem magni pretij & quam valdè amet qui promisit, sitque maioris aut æqualis valoris cum re, quæ postea est reddenda. Hoc potest expendi, discurrendo per tres diuinas personas, quæ hoc pignus tradũt; & per ipsummet pignus.

I. PRIMVM non potuit PATER AETERNVS dare nobis pignus pretiosius, & quod plus amaret, quàm ipsum filium suum, qui æquè est bonus atque ipse. quomodo Reges & Principes, vt pacem & inducias reddant securiores, aut ingens aliquod debitum; solent proprium a *filium* natu maiorem *obsidem* dare. Et quandoquidem in hoc Sacramento, dat nobis filium suum vnigenitum Iesum Christum, obsidem gloriæ; dedit ergo nobis summum quod potuit, non solum vt pignus eius, sed etiam reliquorum omnium, quæ nobis promisit, adeo securos nos reddens, quod est ex parte sua, atque si iam illa nobis dedisset, iuxta illud Apostoli b *qui etiam proprio suo filio non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit!* quasi diceret; qui filium suum dedit

a 1. *Mach.* 23. 16.

b Rom. 8 32

mihi

mihi Redemptorem, & in cibum dat; nunquid non dabit ſuam gratiam & gloriam, & reliqua omnia, quæ mihi promiſit! Adeò ſum certus, quòd mihi illa ſit daturus, quod eſt ex parte ſua, atque ſi iam illa dediſſet. Quia in hoc dono includuntur reliqua, quæ mihi eſt daturus. Gratias tibi ô Pater amantiſſime pro tali pignore, quod mihi præbes ſaluationis & perfectionis meæ, oro ſupplex DEVS meus, ne, quod eſt adeò certum ex parte tua, deficiat ex mea; ſed iua me, vt fructum capiam ex pignore mihi oblato, ad conſequendam rem ipſam mihi promiſſam.

II.

DEINDE ipſemet FILIVS DEI Saluator noſter, non potuit nobis dare maius pignus, quàm ſeipſum in hoc Sacramento occultatum, in quo continentur omnes tituli & rationes, quas adferre poſſumus pro noſtra ſalute; ſicut qui promittit grande aliquod ius primogenituræ, & pro pignore dat priuilegium, ſeu inſtrumentum, in quo illud fundatur.

Nam Dominus, qui hîc eſt, c *eſt frater noſter* d *primogenitus* & vnicus æterni Patris, & hæres cœli: qui factus eſt homo, vt ait Apoſtolus, ad eos ſaluandos, qui erant ad gloriam prædeſtinati; per quem conſecuturi ſunt finem ſuæ prædeſtinationis; & qui ſanguinis ſui pretio comparauit nobis cælum, reſerans eius portas, vt eo ingredi poſſimus, per media, quæ ad id nobis offert.

c *Hebr.* 2. 11
d *Coloſ.* 1. 1
d *Rom.* 8. 2

Si itaque hoc totum est hic inclusum, quod maius pignus dare potuit, ad securitatem obtinendi cælum, quod nobis comparauit & promisit?

III. DENIQVE Pater & Filius, non possunt nobis dare maius inuisibile pignus gloriæ, quàm ipsum SPIRITVM SANCTVM; de quo Apostolus dicit, quòd sit e *pignus hæreditatis nostræ* cęlestis. quod f pignus, vt idem Apostolus ait, *dedit in cordibus nostris*, ad securitatem promissorum eius. ad hoc enim venit in hunc mundum, & etiamnum manet in hoc sanctissimo Sacramento. Quare in eo habemus duplex pignus gloriæ maximum, quod esse potest; alterum visibile, ipsum videlicet sanctissimum Sacramentum, in quo est ipse Christus Dominus, verus Deus & homo; alterum inuisibile, ipse videlicet Spiritus sanctus, qui per idem Sacramentum nobis datur. ô Trinitas beatissima, innumeras agò gratias, ob talia pignora supremorum tuorum promissorum nobis relicta. Satis ostendis Domine, te fidelem esse solutorem, cui graue non est tanta & tanti momenti pignora ad nos asse curandos tradere. Exulta, anima mea, cùm talia habes pignora: gaude ea spe, quæ illis innititur; stude eum glorificare, eique seruire, qui tradit ea, quò ad promissam gloriam possidendam peruenias. Amen.

e *Eph.* 1.14.
f 2. *Cor.* 1.22

PVNCTVM II.

DEINDE considerandum, quòd hoc sanctissimum Sacramentum, ita sit pignus promissæ nobis gloriæ, vt sit etiam medium efficacissimum & potentissimum ad eam assequendam: ex quo prouenit etiam, vt sit pignus certissimum; quia nullum esse potest certius ad finem aliquem consequendum, quàm quòd idem sit medium efficacissimum, quo ille obtineatur.

QVOD ad gloriam reipsa consequendam est necessarium, est *venia* præteritorum peccatorum; *præseruatio* à futuris, & *alimentum* acceptæ gratiæ, cum perseuerantia in ea vsq; ad mortem. In his omnibus eminet hoc sanctissimum Sacramentum, ob Christi Domini nostri in eo præsentiam. nam etsi Baptismi & pœnitentiæ Sacramenta remittant peccata; hoc tamen *remissionem* illam plurimùm cõfirmat; quia ipsemet Rex, qui peccatum dimittit, admittit nos ad suam mensam, in signũ certũ, quòd ea nobis remiserit. PRAESERVAT nos etiã à culpis, quia propẽsiones carnis refrænat contra Dæmonis tẽtationes, animum corroborat, & nos præuenit aduersus omnia huius mundi pericula. ALIT deniq; *nutritq;* vitã gratiæ, sicut cibus vitã corporis; idq; facit adeò efficaciter, vt etiam ipsum gratiæ augmentum, quod dedit, possit vsq; ad vitam æternam conseruare. Hoc totum innititur promissioni Christi Domini I.

a Ioan. 6.50 nostri dicentis; a *Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, nõ moriatur. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Quibus verbis securos nos reddit, quòd hic Diuinus panis (sicut etiam suprà insinuauimus) virtute sua cælesti liberet nos ab omnibus, quæ vitæ æternæ aduersantur; quia liberat nos à morte prima, quæ est culpa, & à b *morte secunda* animæ, quæ est damnatio, & suo etiam tempore liberabit à morte corporis in resurrectione. Concedit verò nobis præterea quidquid est vita æterna, quia nobis dat vitam gratiæ, quam ad finem vsque conseruat; ac demum dabit etiam vitam gloriæ, qua fruitur anima; & in fine mundi dabit etiam vitam glorificatam, qua fruetur corpus.

b Apoc. 2. 11.

HORVM omnium pignus habemus in hoc sanctissimo Sacramento, quia ad ea omnia præbet virtutem, atque robur cõmedenti eâ frequentia & reuerentia, quâ oportet. O c *lignum vitæ*, positum in medio Paradisi Dei, in signum, & pignus immortalitatis, & vitæ æternæ; da mihi vt comedam tuum dulcem fructum; qui animam meam ab omni mortis genere præseruet, largiatur verò omne genus vitæ. O anima mea, si vitam æternam desideras: cum Spiritu comede hunc cibum, qui pignus est & causa eius. O corpus

c Apocal. 22. 2.

meum,

meum, si ad beatam vitam cupis resurgere, manduca pretiosissimum hoc corpus, quod est certum pignus tuæ resurrectionis & vitæ glorioſæ, quæ tibi est promissa.

II.

VERVM vlterius adhuc pergit excellétia huius pignoris, quia pręsentia sua efficit aliquid in nobis, quod est pars æternæ vitæ, & tanquam radix & fons eius, cum qua sit æternùm permansura; estque impossibile vitam æternam ei denegari, qui illud habuerit: est autem ipsa vnitio cum Christo Domino nostro, media eius gratia, & charitate Spiritus sancti, quæ d *fons est aquæ viuæ salientis in vitam æternam.* Et (vt aduertit S. Thomas) non solum est pignus nostræ hæreditatis, sed etiã arrha. nam pignus solum datur, donec ipsa solutio fiat, & tunc redditur soluenti: at arrhæ dantur in perpetuum: ita Sacramentum altaris, & donum fidei ac spei, non sunt nisi pignus glorię, quod durat tempore huius vitæ tantum; ac vnio cũ Christo, quæ fit in ipso sacramento, & vnio cum Spiritu sancto, quæ fit per caritatẽ, est arrha gloriæ, quæ durabit per totam æternitatem, nisi nos ipsi desimus; quia e *charitas nunquam excidit*; & f *Spiritus sanctus manet nobiscum in æternum.* O dulcissime animarum iustarum Sponse, qui loco arrhæ tradis te ipsum, eas tibi coniungens vnitione charitatis; quamuis anima mea digna non sit suprema ista excellentia, ne tamen, quæso illam ab ea excludas, propter infinitam tuam misericordiam.

d Ioan. 4.14 *Lectio 5. illud Ephes. 1.14. Arrha hereditatis nostræ.*

e 1. Cor. 3.8

f Ioa. 14.16

PUNCTUM III.

TERTIO conſideramus, hoc ſeruato modo, quo ſingulæ plantæ, ſeu ſingulæ res quidam excellentiores creaturæ, ſuo quoque modo ſuum habent principium, cum habeantur, quod referatur ipſa plantæ, vel arbor tanta & accommodata ſua ſubſtantia, qua datur viuentem, accipiendo ſolidum & ſpecialem modo cooperatum.

I

Eccl. 11.6

CIRCA quod pertinet ad Deum, ſi Dominus noſter, ſi quis præſentem Euangelium, ſi Ecclesiaſticum conſideret, dicam *a principio ab æterno ipſe erat & ipſe erat in ſolemnitatibus ſuis*, ſi ſingulas res, quæ ſunt, ſi proprias ſubſtantias, ſi humanas, ſi vtiles, ſi inutiles, ſi ſolidas, ſi deformatas, ſi ornatas, ſi nouas, ſi antiquas, ſi ſuperbas, ſi humiles, ſi ſimplices, ſi compoſitas, ſi ſenſitiuas, ſi ſenſu carentes, ſi ſolidas, ſi fluxas, ſi ſtabiles, ſi mutabiles

accidentibus, adeo exiguis & angustis, vt oculis tantum fidei præsentem illum videamus; & intra nos ipsos recipientes; impleat ille nostra desideria, sicut hic expleri possũt; & nos inebriet vino sui amoris, dans delibãdam suauitatem deliciarum suarum. quod totũ tanquam pignus nobis præbet, cum spe eius, quod postea est nobis in plena possessione daturus. Quamobrẽ immensas illi gratias agam; desiderans ex intimo corde meipsum præcingere, mortificare, & stringere, vt illi aptiùs seruiam. siquidem ipse adeò se præcingit, vt mihi indulgeat. O dilecte mi, si tu existens in latissimo Cælo, descendis in terram, vt te cõstringens, mihi magis indulgeas; quid magnum est, si ego à terra ascensurus in Cælum, constringam me obsequij tui causa! Auge Domine mihi fidem, vt ita conuiuio delecter, quod mihi exhibes in hac vita, vt perueniam ad fruendum illo, quod mihi promittis in futura. Amen.

II. Hoc Spiritu meipsum excitabo ad vitam quandam Cælestem instituendam, vt efficiar dignus hoc conuiuio, in quo idem omnino mihi proponitur, quod exhibetur in Cælo. propterea enim Christus Dominus noster in precatione Dominica, priùs iussit petere: c *fiat voluntas tua, sicut in Cælo & in terra*, vt mox peteremus *panem hunc* nostrum *supersubstantialem dari nobis hodie*; hac ratione nos instruens, quod qui dignè sit hunc panem comesturus, debeat ad illam puritatem

c *Matt. 6.*

aſpirare, quæ eſt in Cælo, implens videlicet hic Dei voluntatem, ſicut impletur in Cælo.

III. DENIQVE ex his colligam, quòd hoc Sacramentum, cùm ſit pignus gloriæ, & initium conuiuij quod exhibetur in Cœlo, ſit verè viaticum ad tranſeundum ex hac vita in alteram; quod ſuſcipiendum eſt in eo periculo fide magna, atque fiducia. nam vt Elias d 3. Reg. 19. 8. *in fortitudine cibi illius*, quem Angelus illi dederat, *ambulauit quadraginta d ebus & quadraginta noctibus vſq; ad montem Dei Horeb:* ita ego in virtute & fortitudine Diuini huius panis, hoc iter ſecurus perficiam, vſque ad monte gloriæ. Quo verò in illo tranſitu panem hunc fructuosè accipiam, expediret aſſueſcere, vt quotieſcunque ad communionem accedo, eo Spiritu me diſponam, atque ſi pro viatico ſumerem: cogitans fortè illã communionem fore vltimam vitæ meæ; ſequens etiam in hoc Sapientis cõſiliũ dicentis: e *quando ſederis vt comedas cum Principe,* Prou. 23. 2. in hac ſcilicet menſa, *ſtatue cultrum in gutture tuo;* quaſi diceret; ita comede hunc panẽ, atq; ſi iam haberes cultrum ad guttur tuum, & in proximo eſſes, vt exſpirares. Et propter hanc cauſam, Chriſtus Dominus noſter, inſtituit hoc Sacramentum nocte ante ſuam paſſionem; vt etiam ſignificaret, (quod ſuo loco obſeruauimus) hunc cibum corroborare animam ad patiendum & moriendum, & ad tranſitum ex hac vita ad futuram.

O Redemptor dulciſſime, qui in tuo ex

hoc mundo diſceſſu, Apoſtolis tuis dixiſti : f *Iterum veniam ad vos, & accipiam vos ad meipſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis.* Veni quæſo ad viſitandum animam meam per gratiam & præſentiam venerabilis huius Sacramenti; cuius virtute deduc me ad locum, vbi tu es, vt ibi videam quod modò credo; & poſſideam quod ſpero, fruens Diuina tua præſentia. Amen. f Ioan. 14. 3.

MEDITATIO XLIV.

APPLICANTVR QVINque animæ ſenſus ad Sanctiſſimum Sacramentum.

Modus hic orandi per applicationem ſenſuum, (de quo in ſecunda Parte egimus) *eſt vtiliſſimus circa Sanctiſſimum Sacramentum: remotis videlicet quinque corporis ſenſibus; & excitatis ijs quos habet anima. Aliquid ad hanc rem tetigit S. Bonauentura in ſuo tractatu de ſeptem itineribus æternitatis, ſicut diximus* in §. 11. Introductionis huius operis; *ſed tamen hic alium quendam modum ponemus omnibus faciliorem.* Medit. 26. Itine. 6. Diſtinct. 6.

PVNCTVM I.

PRIMVM erit interno animæ aſpectu ſi-

ste nec nutriens, neque quidquam ex hoc cibo humoris generetur, qui sanguini tem-
pet, & ex eo membranis, quæ ipsum ge-
nerant, & vitam sustinent, alimentum
1. fuccipiant, tum & ex ipso ea pars ge-
nerari possit, quæ sanguinem, qui ibi
est, & qui arteriis defertur, tenuet, ita-
que is sanguis, qui ex eo fit, tenuis, &
exercitui sanguinis purissimo similis sit.
Quare, si necessarium, neque istum, quod
sanguinem gignat, & alat, humorem ha-
beat; sed ea omnia potius fieri oportet, ex
illis quæ ad nutriendum proficere, & quæ
ita quæ certo, quod glutinis vicem obtinet
possit, & ex eo quam ex alimento, & ex
ipso sanguine fit, tum & ipsum, & quæ
ipsi sides hæc dicere, & scribere.

11. Et ut ea, quæ ad nutrimentum, & ad
universalem totius partium structuram,
& ad exercitum sanguinis, sic de reliquis
fo. Aliquam ejus rei rationem, quæ cum alia-
rum artium, tum & Medicinæ usu reipsa
immensa habeatur manus, petat, & tanta
cum pulchritudine ostentetur, quæ in illa
sint, remanebit, ut cum humoribus, qui
ex eodem fiunt, & præsertim cum illo, qui
humanum sanguinem procreat, & qui
Rubedo fit. dicitur bilis flava, & bilem, cum Porro, & flava illa natura sit, & ad ignem, & ad ca-
lorem, ut omnes eam partes videantur, fa-
ctæ esse, & quæ hæc varietas sit, quæ ex-
multo contingunt effectus præcipue à ha-

militatis, demittens oculos à conſpectu tantæ maieſtatis, & meipſum in eius præſentia contrahens: Modò eliciam affectus gaudij ac lætitiæ, quod eum videam elegantè adeò, & reſplendẽtem, & ita prope me. Aliàs prorumpam in affectus laudis & actionem gratiarum, quòd voluerit ſe illic collocare cum tota ſua gloria & maieſtate.

TERTIÒ aſpiciam coniunctionem illam externæ panis ſpeciei, cum ipſa Chriſti maieſtate; obſtupens vehementer, quod videam ſimul coniuncta duo extrema adeò diſtantia, alterum adeo paruum & vile, qualia ſunt accidentia panis & vini; alterum tam grande & altum, qualis eſt homo & Deus ſimul, qui tegit magnitudinem ſui ſplendoris velo abiectæ adeo creaturæ; quo me prouocat ad imitationem eiuſmodi humilitatis. O dilecte mi, qui in hoc Sacramento viſibili, manes modo inuiſibili; videam te ego fide, & reuerear tuam magnitudinem, atque ſi te clarè viderem; ſiquidem idem ipſe es in Sacramento, & in Cælo; & æquè dignus reuerentiâ & amore in alterius vilitate, atque in alterius celſitudine. III.

PVNCTVM II.

SECVNDVM erit internæ animæ AVDITV percipere, quæ Chriſtus Dominus noſter mihi dicit, exiſtens in ipſo Sacramento; cogitans, quod inde mihi ad cor loquens, varia dicat, quæ ſint è re mea.

COGI-

I. COGITABO itaq; interdum, quod me ad
Pro. 9.5. ipsum comedendum inuitet, vtens verbis illis Sapientis: a *venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Relinquite infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ.* Quibus verbis inuitat, vt accedamus & sumamus ipsum in hoc Sacramento, sed reiecta prius infantia huius vitæ; quia cibus est grandium & eorum, qui cautè prudenterque vitam suam instituunt. Et eodem modo licet cogitare, quod mihi dicat illud
b Cant. 5.1. Canticorum; b *comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi*; & illud Isaiæ, c *Omnes*
Isaiæ. 55.1. *sitientes venite ad aquas, audite audientes me* (attenta scilicet auditione) *& comedite bonũ, & delectabitur in crassitudine anima vestra.* Vnde concipiam desideria illum sumendi, obediendo eius voci, eiq, dicendo: vnde mihi Domine, vt me ad mensam tuam inuites? ego accedo, quia tu ita iubes. loquere quæso mihi dum comedo, vt cor meum liquescat amore tui. ALIAS cogitabo, quod inde me
II. exhortetur, ad sui imitationem, dicens; d *discite a me quia mitis sum & humilis corde:* dis-
d Matt. 11. 29. cite à me humiliari, & vos occultare, & mutua charitate adinuicem inuitare. ALIAS
III. aspiciam, quod Angeli qui suum Dominum ibi circundant, mihi dicant; e *ecce sponsus* ve
e Mat. 25.7 strarum animarum *venit, exite obuiam ei* cum accensis lampadibus, affectibus scilicet, & accensis desiderijs, eidem vos perpetua charitate coniungendi.

DENI-

DENIQVE postquam diuinum Sacramentum accepero: dicam ei illud Samuelis: f *loquere Domine, quia audit seruus tuus*: & attendam diligenter ad inspirationes, quas mihi suggerere dignabitur; vt audiens, promptè illis obediam, dicens illud Dauidis, g *Audiam quid loquatur in me Dominus*, qui est intra me, scio enim quòd *loquetur* verba *pacis* & vitæ æternæ. IV. f 1. Reg. 3. 9. g Psal 84. 9

PVNCTVM III.

TERTIVM erit interno animæ ODORATV, percipere odorem & fragrantiam Christi Domini nostri in hoc Sacramento; qui in Sacro Missæ offert seipsum æterno Patri, hostiam & Sacrificium, in odorem suauitatis. ô quàm suauiter olet æterno Patri hoc Sacrificiū, quod eius placat iram! O quàm est potens eius odor, ad dissipandū & annihilandum fœtorem omnium peccatorum, & criminum totius mundi! O Pater supreme, cui adeò est gratus suauissimus huius sacrificij odor, dimitte mihi propter illum, grauia peccata mea; iramque tuam placa, quam contra me habes propter illa. I.

DEINDE odorem quoque percipiam, virtutum sanctissimi huius Sacramenti. nam vt succinum Balsamum, & res aliæ odoriferæ, frangrantia sua confortant non solum eas contingentem, sed alios etiam, qui sunt aliquantum remoti; ita huius Sacramenti odor, non solum sumentem confor- II.

tat,

can, sed etiam aliquantulum, ac obtusiorem, & interse contiguum: ac fere sic se dimittens dixit: a Et surgens erit mane, diu antequam a Mat. 14. 25. Sol oriatur, & ambulabat super mare. Quo dicto, vitalia contrahit, & conducit ea ne, ut mortui in sepulchro, ita ut nullum ei se actionis & conceptionis vestigium pereat, præterea simillimum sit corpus Christi exhumati, illud accedat, ut comedant, & potentes sibi eam carnem alantur, & crescant. Hæc ita fingit, ut confirmet, non autem ut credat, quæ percipiebat ipsa fuisse an non fuissent, quæ ipse fecit & dixit, quæ non fuerant, ut subjecit, ea non esse confingenda.

PENSUM. IV.

I. QUÆRITUR, 1. Utrum anima Christi percipiverit mum, quinon per sensus Christi, eaque, quæ ibi fuerunt, & fecerunt, & dixerunt, & intellexerunt, & voluerunt, & memoriæ mandaverunt, & intellexerunt, & voluerunt, & memoriæ mandarunt, & quæ ipsa Christi anima, & quæ Divina illius, quidquid præterea illum, quidquid præterea illum, quidquid præterea illum

etur, ſicut tu, dum ſumeris, recrearis.

DEINDE percipiam ſuauitatem Chriſti in hoc Sacramento, attendens, quod dignè ipſum recipientibus, impertiatur ſaporem quendam diuinitatis, multò magis varium ac dulcem, quàm Manna, habet enim ſaporẽ ciborum omnium ſpiritualium, & ſapit omnes virtutes, idq; tanta ſuauitate, vt res omnes etiam amariſſimas huius vitæ dulcoret; quare in mortificationis & aliorum operum ſtudioſorum exercitatione, cogitabo, dici mihi illud Pſalmi: a *Gullate & ipſa experientia videte, quàm ſuauis eſt Dominus.* O dulciſſime Ieſu, quàm es dulcis te amantibus, & cum amore ſumentibus! ô fons dulcedinis, qui delibandum te copioſiſsimè tradis, per duplicem iſtam fiſtulam duarum ſpecierum Sacramentalium; imple animam meam ſuauitate tua ſuprema, vt omnem ego reijciam terrenam. II.

a *Pſal.* 33. 9.

PVNCTVM V.

VINTVM eſt interno TACTV tangere ſpiritualiter, & ſuo tempore etiam corporaliter hoc ſacramentum, à cuius actu procedit virtus ad Sanandum, viuificandum, exhilarandum ac perficiendum eos omnes, qui debitè illud tangunt: ſicut olim a *ex vestibus ipſius Chriſti* Domini noſtri *virtus exibat, ad ſanandum fluxus ſanguinis*, & alias infirmitates, eas b *tangentium* vt in tertia parte dictum eſt. I.

a *Mat.* 4. 23. *Marc.* 5. 30.
b *Luc.* 6. 19.

II. ALIAS cogitabo, quando labijs meis accedo ad sumendam hostiam consecratam, quod summa reuerentia & tremore dē oscu-
lum Christo Domino nostro; idemq; recipiam benigissimè dulcissimo eius ore; dicens
c *Canti.* 1.1. illud Canticorum, c *Osculetur me osculo oris sui; quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguenta optimus.* O Saluator dulcissime,
d *Ioan.* 20. 20. da mihi d *pacu osculum*; pacificans me cum Patre tuo! O Sacramentalis panis & vini species, quæ estis tāquam pectus dilecti mei, plenum lacte deliciarū cælestium, quæ multo sunt pretiosiores vino voluptatum terrenarum; tangite, & satiate me lacte isto vestro, vt omnis mihi caro desipiat. III. INTERDVM exacuam fidem, ad credendum & videndum per eam, sacratissima Christi Domini nostri vulnera; tangens meo spiritu pedes, manus, & latus eius, instar illius qui accedit ad bibendum aquam & sanguinem, quę
e *Ioan.* 20. 28. ab ipso latere profluxerunt: & viua fide illa tangens, exclamabo cum S. Thoma, e *Dominus meus, & Deus meus.* O Deus animæ
vulnera cor meū sagitta charitatis, per
nera, quæ in sacro tuo corpore suscepisti; extingue sitim animæ meæ, per sanguinem & aquam, quæ ex tuo latere fluxerunt: ablue me aqua illa, purifica me, accēde, & perfice me. fac mihi potestatem, spiritu ingrediendi intra glorificata ista vulnera; & siquidem tu cū illis in me habitas, ego cum tota anima mea, volo intra illa, & intra te habitare, & me ti-

bi con-

bi coniungere amoris vnitione, donec sim vnum tecum in æterna gloria, Amen.

MEDITATIO XLV.

PRO SOLEMNITATE Sanctissimi Sacramenti: & pro peragendis cum Spiritu Processionibus huius diei, & eius Octauis.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM primò, quod Christus Dominus noster in hoc Sacramento veniat in nostram tetram, ad renouanda quæ fecit, cùm in ea versaretur.

PERPENDENDVM ergo est primùm, quomodo Christus Dominus, cum in terris degeret, deambulauerit per omnes plateas & fora Iudæ & Galileæ, & per Synagogas & priuatas domos, & in ipso templo Ierosolymitano, benè faciendo omnibus. sic enim S. Petrus ait de eo, a *qui pertransijt benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo, quoniam Deus erat cum illo*, non solũ per gratiam, sed per vnitatem personæ; & bonum quod faciebat, erat in omni genere rerum, I. a *Actuum* 10. 38.

II. ALIAS cogitabo, quando labijs meis accedo ad ſumendam hoſtiam conſecratam, quod ſumma reuerentia & tremore dē oſculum Chriſto Domino noſtro; idemq; recipiam benigiſſimè dulciſſimo eius ore; dicens illud Canticorum, c *Oſculetur me oſculo oris ſui; quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* O Saluator dulciſſime, da mihi d *pacis oſculum*; pacificans me cum Patre tuo! O Sacramentalis panis & vini ſpecies, quæ eſtis tāquam pectus dilecti mei, plenum lacte deliciarū cæleſtium, quæ multo ſunt pretioſiores vino voluptatum terrenarum; tangite, & ſatiate me lacte iſto veſtro, vt omnis mihi caro deſipiat. III. INTERDVM exacuam fidem, ad credendum & videndum per eam, ſacratiſsima Chriſti Domini noſtri vulnera; tangens meo ſpiritu pedes, manus, & latus eius, inſtar illius qui accedit ad bibendum aquam & ſanguinem, quę ab ipſo latere profluxerunt: & viua fide illa tangens, exclamabo cum S. Thoma, e *Dominus meus, & Deus meus.* O Deus animæ [illegible] vulnera cor meū ſagitta charitatis, per [illegible] nera, quæ in ſacro tuo corpore ſuſcepiſti; extingue ſitim animæ meæ, per ſanguinem & aquam, quæ ex tuo latere fluxerunt: abluemo aqua illa, purifica me, accēde, & perfice me. fac mihi poteſtatem, ſpiritu ingrediendi intra glorificata iſta vulnera; & ſiquidem tu cū illis in me habitas, ego cum tota anima mea, volo intra illa, & intra te habitare, & me ti-

Canti. 1.1.

Ioan. 20. 3.

Ioan. 20. 3.

bi con-

bi coniungere amoris vnitione, donec sim vnum tecum in æterna gloria, Amen.

MEDITATIO XLV.

PRO SOLEMNITATE Sanctissimi Sacramenti: & pro peragendis cum Spiritu Processionibus huius diei, & eius Octauis.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM primò, quod Christus Dominus noster in hoc Sacramento veniat in nostram terram, ad renouanda quæ fecit, cùm in ea versaretur.

PERPENDENDVM ergo est primùm, quomodo Christus Dominus, cum in terris degeret, deambulauerit per omnes plateas & fora Iudæ & Galileæ, & per Synagogas & priuatas domos, & in ipso templo Ierosolymitano, benè faciendo omnibus. sic enim S. Petrus ait de eo, a *qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo, quoniam Deus erat cum illo*, non solũ per gratiam, sed per vnitatem personæ; & bonum quod faciebat, erat in omni genere rerum, exer-

I.

a *Actuum.* 10. 38.

exercens varia officia, quæ ſuprà tetigimus, ita vt quoscunque vtiles, vtiliaq; reliquerint ſuæ diuinitatis & omnipotentiæ, tanquam charitatis & miſericordiæ.

I. EA PE ſtenderit quoq; quisquid Chriſtus Dominus noſter, in facultione hoc sacramento ambuletur, de diuturna per tempora, & plateas Chriſtianorum, bene faciendo omnibus, qui vtuſ Ride Deum accedunt, confeſſionibus, adorando, & communicando. Nam & tum Sanctiſſimum hoc ſacramentum peregrinatur ſecundum & à Sanctis operibus à diabolo & à damnatis operibus à diabolo; quorum Deus eſt in eis, & ita comitatur illis tam per ſuos bonorum, cum fidelium charitatis beneficia, & religioſas obſequiorum exhibitiones, diuina ea ſuprà tam Magiſter, ſanans tanquam medicus, parens ſuis ſalutare, & paſcens tanquam Paſtor, propter ſuos oves pro de Sanctæ ſe quamus hac omnes coprobatiſſimi Magiſtri, qui ſpiritu Dei ducti, & Chriſti Patris eram illis imperit, qui ſeſtimati ſtum adorare, & glorificare.

III. HOC ergo Spiritu comitati ipſum debeo in proceſſionibus, hoc ſpiritu comitatus, cum ille vnuerſe in cæna mortali, & habitat ſem eam fidem, quam nos habere, & ut plebs Senora comitabatur illum, & ſequebatur ſalutaretur, vt eius dulci locienter fruere tur.

O dilecte mi prarianibi properem, quod ſit ne infirma voluntas reſiſtendo meæ quem

qui etsi tuam habitationem habes in Cœlis, lætitia eos replens; vis tamen etiam in terra nostra manere, implens fora eius & plateas tua misericordia. Siquidem ergo tam es potens sub isto velo, atque es in ipso Cœlo, & antea eras in terra; veni nunc ad pauperem hanc animæ meæ habitationem; deambula per omnes eius potentias & sensus, benefaciendo omnibus, vt omnes tibi seruiant, & æternùm glorificent. Amen.

PVNCTVM II.

DEINDE considerandum, quòd velit Christus Dominus spiritualiter nunc renouare solemnem illum ingressum in Ierusalē, in die Palmarum. tunc enim ingressus est Ierusalē *mansuetus*, & humilis, *sedens super asinam, & pullum filium subiugalis*; ad quem excipiendum exijt *plurima hominum turba*, quia magno applausu in processione illum ducebant, & *sternebant vestimenta sua in via*, vt per illa transiret; *alij autem cedebāt ramos de arboribus, & sternebant in via*; b *alij accipiebant ramos palmarum, & omnes clamabant dicentes: benedictus qui venit in nomine Domini*, b *Rex Israël*, a *hosanna in altissimis*.

a *Matt.* 21.
b *Ioan.* 12.

Quem adeò solennem ingressum fecit Christus Dominus, tum vt ostenderet, quanta animi sui voluptate (quantum erat in se) inter illos maneret, etiamsi multi illum per-

sequerentur & malè haberent; tum etiam vt eius Discipuli; & plebs deuota, externa illa signa fidei, amoris, ac pietatis & deuotionis
P. 4. Med. 3. erga ipsum darent. Et ob alias denique causas, quas suo loco posuimus.

II. EADEM nunc ratione vult ipse deferri per plateas, & fora Ecclesiæ, ingenti pompa & maiestate. Est ipse in hostia sacra mansuetus, humilis, & velo illo coopertus, ac nube leui accidentium panis; omnes tamen fideles & Ecclesiæ Principes, honori sibi ducunt si illum comitentur, exornantes plateas ramis, & pretiosis peristromatis, portantes faces & luminaria, adhibitis cantoribus, & varia musica lætitiæ, celebrantes eius in mundum aduentum, maxima pompa & honore externo, qui possit ei in terra exhiberi. Propter quæ omnia, & lætari & exultare debeo: si enim de honore illo gaudeo, exhibito eidem Domino in die Palmarum, quamuis eius exitus fuerit maior ignominia; quanto magis exultare debeo ob honorem, quem omnes nunc ei deferunt, qui dirigitur ad maiorem eius gloriam.

III. MOX perpendam quod Christus Dominus noster solemnem hanc pompam ita disponat, vt nobis aperiat, quam libenter nobiscum maneat; & se nec defatigatum esse, nec tædio affectum, quamuis multa sint propter quæ sic affici possit; cum apud multos peccatores male sæpè habeatur, qui indignè communicant, aut Sacrum Missæ indecenter

offe-

offerunt. Et quamuis meritò de huiuſmodi illata ipſi iniuria dolere debeam, laudabo tamen illum ſimul, eò quòd non idcirco cum peccatoribus eſſe defatigetur, quò iuſtis & pijs benefaciat

IV. Ex quo magnum concipiam deſiderium, vt oẽs cum magno ſpiritu, ita has proceſſiones celebremus, vt ipſe Chriſtus Dñs noſter, honore hoc, quo illũ proſequimur, valde delectetur. neque enim ſatis ſibi eſſe exiſtimat habere nudã iſtam & externã pompam, quæ caret Spiritu & pietate interna. ò dilecte mi, ſi oẽs ſterneremus veſtimẽta noſtra ſuper terram, ponentes omnia noſtra ad pedes tuos, vt pro libitu de illis ſtatueres! Vtinã oẽs profunda humilitate ſe in terram poſternerẽt, permittentes ſe ab omnibus humiliari & calcari; vt tu ab omnibus exaltareris ac glorificareris: Vtinam oẽs, palmas in manibus geſtãtes, te comitaremur, obtentis, de hoſtibus noſtris, glorioſis victorijs, quarũ gloriam tibi ſoli tribueremus: Vtinam omnes magno te Spiritu laudarent, & gloriã tibi darent, ob cõtinuas victorias, quas refers quotidie per ſanctiſſimũ hoc Sacramentũ, deſiderãtes, totũ mundũ earum eſſe participẽ. lauda, anima mea, & glorifica hunc Dominũ, quando eum comitaris, aut eius præſentiæ aſſiſtis, coniungens canticũ Seraphinorum, cum illo altero Hebræorum, dicens cum magno ſpiritu: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, pleni ſunt Cæli & terra gloria tua, Hoſana*

Ecclesia in Prefatione Missæ.

in excelsis; benedictus qui venit in nomine Domini Hosanna, salua nos, *in excelsis*. Amen.

PVNCTVM III.

TERTIO est considerandum, Patrem æternum his adeo honorificis processionibus, velle reddere præmiũ in terris, ignominiosis illis profectionibus, quas habuit filius eius Dominus noster, in nocte & die suæ passionis per plateas, & fora Ierusalem.

I. PERPENDENDVM ergo, qua ratione tunc ab horto Gethsemani, iuerit ad domum Annæ & Caiphæ, deductus à ministris ligatus, cum facibus & laternis, hastis & gladijs, & cum magno strepitu militũ, qui triumphũ agebant de ipso victo, illum subsannantes; & altero die eadem ignominia, ab vna domo ad alteram, & ab vno ad alterum tribunal deduxerint, donec exijt in montem Caluarium, baiulans sibi crucem, præcone proclamante quæcunque illi adferrent ignominiam, vbi tandem fuit collocatus in horrendo throno crucis, inter duos latrones, multis eum blasphemantibus, & maxima ignominia & crudelitate subsannantibus.

II. In Præmium itaq; harum profectionum vult Pater æternus, filium suum his processionibus, in terra honorari ab omnibus, deferentibus faces, & alia luminaria in manibus; in signum quod ipse sit lux vera, quæ illuminat mundum vniuersum, & comitantibus fidelibus militibus suæ Ecclesiæ, cum cõcentu musico hymnorum & laudũ; & quem Sacer-

dotes

dotes in humeris gestãt; & in præparatis magnę Maiestatis Thronis collocant, cui omnes genua flectunt, & tanquam suum Deum ac Redemptorem adorant; mandãte omnibus Patre, vt id faciant, multò efficaciùs, quàm Rex Assuerus mandauerit, honorari Mardochæum, deducendo illum cum magna pompa, per omnes plateas ciuitatis, exclamantibus ipsius Regis familiaribus, a *sic honorabitur quemcunq; voluerit Rex honorare.* O Pater æterne, gratias tibi ago pro honore, qué vis exhiberi Filio tuo vnigenito in terra, in prę-mium dedecoris, quo in eadem fuit affectus. O dulcissime Redẽptor, gaudeo de honore, quo te hodie afficiunt fideles tui serui, quem optimè es promeritus, ignominiis, quas pro illis sustinuisti, ego flecto genua ante hunc thronum, in quo tu sedes, in sanctissimo hoc Sacramento, meamq; coronam, & quidquid habeo, ad pedes tuos proiicio; dicens cum illis senioribus; b *dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem; quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.*

a *Esther.* 6. 9

b *Apoc.* 4. 11

III.

HINC intelligam, quam sit fidelis Deus in reddendis præmiis, etiam in hac vita iis, qui illi seruiunt, in eadem re illos exaltans, in qua ipsi se humiliarunt. & si ego Christum Dominum in hoc Sacramento veneror, ille etiam me honorabit; sicut si irreuerenter cũ illo agam, ero etiam inhonoratus. ad quod iuuerit reuocare in memoriam historiam c

c 2. *Reg.* 14

Arcæ Testamenti, quam Dauid duxit in pro-
2 Reg.6. cessione, maximo *sacerdotum & Leuitarum*
4. *comitatu, & totius populi, in magno iubilo, &*
in clangore buccinæ, vbi Dauid saltauit totis vi-
ribus ante Dominum, & quamuis *Michol despe-*
xerit eum in corde suo, illum tamen non pœ-
nituit [illegible] sed statuit potiùs se humiliare &
vilior fieri plus quam antea fuisset. Cõtra verò
Oza, qui temerè & irreuerẽter eandem Ar-
cam tetigit, repẽte idcirco mortuus est: vt
intelligam, si hoc sanctissimum Sacramentũ
irreuerenter tractauero, me fore castigandũ
sicut Ozam; eoq; supplicium seuerius in me
futurum, quò maiorem reuerentiam ei de-
beo exhibere, qui illâ dignior est quàm fue-
rit Arca. quòd si verò reuerenter egero, &
honorem, sicut Dauid exhibuero, pulsans, &
saltans in iubilo cordis, & in affectibus amo-
ris; meipsum humilians, & viliorem in eius
præsentia faciens, nihil curans, quod homi-
nes contra hoc dixerint, ille me honorabit
in terra, & multò magis in cælo. Verùm ego,
gloria mea, maiorem honorem nolo, quàm
te honorare: tuus honor est meus; & illud mi-
hi honori tribuo, quòd tu omnibus sis hono-
ri. quòd si honori tuo aliquid accedit ex meo
dedecore, illud ego pro summo honore meo
ducam, vt glorificem te, qui dignus es infini-
to honore & gloria, in æternum Amen.

PVNCTVM IV.

QVARTO est considerandum, Christum
D. N. velle sibi fieri in terra solemnem

aliquam

aliquā celebritatē, ſicut fit in cælo; vt hac ratione benedictiones è cælo in terrā deſcēdāt.

PERPENDAM ergo, hunc Dominum eſſe in cœlo, Angelis & Sanctis ſtipatum, qui continuè diem feſtum ei celebrant; & alij quidem, ſicut viginti quatuor ſeniores, mittunt a *coronas ſuas* ad pedes eius, dicentes quod ille ſolus *ſit dignus honore & gloria*; alij, ſicut b *quatuor animalia, requiem non habent, ſed die ac nocte dicunt: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui vēturus eſt*; alij c *offerunt phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum*, & quiſq; ſuo modo eū glorificat, & cantica offert laudis & gratitudinis. Ita vt d *per vicos & plateas* cœleſtis illius *Ieruſalem, ſemper cantetur Alleluia*, & e *gaudium ac lætitia, gratiarum actio, & vox laudis inueniatur in ea.* I.

a *Apoc.* 4. 11

b *c.* 4. 8.

c *cap.* 5 8.

d *Tob.* 13. 22

e *Iſaia.* 51. 3.

ET quamuis hoc ita ſit, delectatur Chriſtus D N, deſcendere ad villam noſtram in ſanctiſſimo hoc Sacramento; vultque vt noſtro modo thronum illi conſtituamus, feſtaque, quamuis agreſtes & pagani, agamus, imitantes pro viribus aulicos ipſius cæleſtes. nam ipſe non ſuum in hac re commodum quærit, ſed noſtrum, vt hac ratione oſtendentes amorem, quo illum proſequimur, occaſionem habeat, nos honorandi, & magna bona conferendi: ideoque ad imitationem beatorum, debeo illum honorare tribus præcipue affectuum generibus. II.

PRI-

1. PRIMVS affectus erit HVMILITATIS, vt, ſicut illi ſeniores, ſpoliem me omnibus quæ habeo, & fatear nihil eſſe meum, ſed ipſius; demque illi de omnibus gloriam.

2. SECVNDVS affectus eſt VIVAE FIDEI, magnitudinis illius, & muneris, cuius cauſa venit, poſteaq; venturus eſt, ad nos iudicandos; quem, ſicut quatuor illa animalia, laudabo propter ſanctitatem & Omnipotentiam, propter ſuam æternitatem & immutabilitatem, & quòd nunc veniat ad me ſaluandum tanquam Pater, qui poſtea eſt venturus ad me coronandum, ſicut iudex.

3. TERTIVS affectus erit OBLATIONIS, quo illi offeram phialam cordis mei, perfectiſſimo charitatis auro inauratam, plenam thure feruentium orationum, cum myrrha mortificationis mei ipſius, diſſoluendo me ipſum in igne amoris, vt bono ſim odori huic Domino, cui debeo feſtum exhibere meliori quo potero modo, admirans quòd is Dominus, cui tanta feſta in cælo exhibetur, dignetur etiam ac delectetur feſtis, quæ illi exhibentur in terra; ſicut Rex qui poſtquam feſtis interfuit, quæ in Aula eius exhibebantur, delectatur ad ea accedere, quæ in pago aut villa peraguntur. Mihique perſuadebo, quòd, ſicut Chriſtus D. N. propter noua obſequia, quæ illi exhibentur in cælo, dat ibi noua gaudia accidentaria; ita præmiis ſit affecturus ſeruitia, quæ iuſti exhibent illi in hiſce feſtis terræ, nouis gratiis & augmento virtutum

illos

illos cumulando. O Rex supreme, si liceret ex terra facere cælum, f *Sanctificando nomen tuum, & faciendo voluntatem tuam*, in hac valle lachrymarum, sicut faciunt Spiritus beati in suo paradiso deliciarum! certus enim sum, quòd tunc vallis lachrymarum, esset mihi vallis consolationum: & paradisus deliciarum, veniens ad vallem lachrymarum, conuerteret planctum meum in gaudium, & impleret me lætitia. *Aduenat* Rex meus, *regnum tuum* ad me. & siquidem tu es mecum in Sacramento, acue fidem meam, & accende me charitate tua, vt te agnoscam ac diligam, ita vt tu regnes in me, & ego fruar te, regnans tecum in Regno Patris tui in æternum, Amen.

f Mat. 6. 10.

MEDITATIO XLVI.

DE PATERNA DEI PROuidentia in distribuendis statibus & officijs, prout cuique expedit magis ad salutem.

PVNCTVM I.

PRIMO considerandum, quòd Deus Dominus noster eminenter sit a *noster Pater*, geratque hoc munus erga nos infinities melius, quã omnes terreni Patres; qui cum illo comparati, non merentur hoc nomen. ex quo fit, vt non solum creet ac

a Mat. 23. 9

gene

generet nos in Esse naturæ & gratiæ; & in vtroq; conseruet ac sustentet mediis, modisque valdè stupendis, vt prædictum est; sed etiam paterna eius prouidentia curam habeat, vt nos in statu & officio apto & cõmodo ad nostram salutem consequẽdam, collocet, inspirando, impellendo & alliciendo vnumquemque ad eum statum, qui sit illi aptior ad hunc finem. Quosdam permouet ad statum Matrimonij, alios ad statum continẽtiæ & religionis, alios eligit ad officiũ Prælatorum: b *sicut enim* (ait Apostolus) *corpus vnum est, & membra habet multa*, quorum sunt diuersa munia; ita vult in mystico Ecclesiæ & ciuilis reipublicæ corpore, esse plura membra, & c *vnumquodq; eorum* sicut in naturali corpore *posuit*, *sicut voluit*; ita Diuina sua prouidentia statuit, vt in mystico essent quidam homines tanquam capita, qui alios gubernent, alij tanquam oculi, qui eminerẽt in virtute & doctrina; alij sicut manus, qui vitæ actiuæ opera exercerẽt; alij sicut pectus & cor, qui veluti occultarent se in secreto vitæ contemplatiuæ, & vnitiuæ; alij sicut pedes, qui in seruilibus & humilib. ministeriis occuparẽtur, & quoniam Deus nouit vnius cuiusq; complexionẽ, ingenium, & facultates siue talẽta; ita prouidẽtia sua inducit eos ad statum & officium, eorum naturę accommodatum: nisi homo se subtrahens à directione & gubernatione Diuina, eligat statum & officium pro suo arbitratu & apprehensi-

one,

Tria Cale tu Patris propria.

b 1. Cor. 12. 12.

c 1. Cor. 12 18.

one, in malos fines, aut per mala media.

EX hac veritate benè perpensâ, concipiã magnam gratitudinem erga Deum Dominum nostrum, pro paterna hac sua prouidentia: in qua re tamẽ duo sunt aduertẽda. PRIMVM, vt si necdum elegerim statum vitæ, recurram ad ipsum Deum, serioq; illum ab eo petam, adhibitis interim mediis licitis, quæ non declinent à Diuina ipsius prouidentia: illa enim statum & officium illud mihi designabit, quod expedit mihi per talia media, si meam fiduciam in ea ponam: quòd si media quæ ego apta esse existimo, non sufficiẽt, sciet benè ipsa alia adhibere, vt quod intendit, assequatur. cuius rei admiranda exẽpla sunt in scriptura, qualia sunt matrimoniũ Isaac cum Rebecca, Tobiæ cum Sara per Angelum Raphaẽlem; electio Ioseph, vt esset Vice-Rex Aegypti; & Dauidis, vt esset Rex Israël. I.

QVOD si iam in statu aliquo ex prouidẽtia Diuina sum constitutus, quieto omnino animo me esse decet, & confidere, me per illud medium, consecuturum æternam vitam; siquidem in eum finem Deus me ad illum statum vocauit. Quod si status ille aut officium sit vile, non propterea erubescam, nec existimabo me quasi derelictum: sicut è contra, si fuerit officium altum, non me inaniter efferam, sed vt ait Apostolus, d *vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*, siue seruus, siue liber, siue magnus, siue paruus. si status & officium sit magnum, II. d 1. Cor. 7. 20.

magnum, in eo permaneat in humilitate; si paruum, in magna fiducia, præstat enim esse pedes in Ecclesia, & ire postea ad cœlum; quam esse caput, & descendere ad infernum. Quare exulta, anima mea, in Deo tuo: *e in cuius manibus sortes tuæ sunt*; & quamcunque ille tibi dederit, accipe cum lætitia. sors enim status & officij, quod ille tibi destinauerit in hac vita, dirigitur à Diuina prouidentia, vt obtineas gloriæ & beatitudinis sortem in futura.

e Psa.30.16.

PVNCTVM II.

1. DEINDE consideranda est suauitas Diuinæ prouidẽtiæ, in statuum & officiorum distributione, quæ eminet in vna re ità propria Dei, vt nullus sit princeps, nec monarcha, qui eam possit adhibere. quia enim Deus est vniuersalis gubernator totius mundi, valdeque gloriatur, se a *à fine vsq; ad finem attingere fortiter, & disponere omnia suauiter*, distribuit hominib. inclinationes & propẽsiones, ad diuersos stat⁹ & officia, adeo admirãda suauitate, vt nullum sit officiũ etiã grauissimũ & leuissimũ, ad quod aliqui non sint vehementer propẽsi; etiamsi aliud nihil eos ad illud impellat, quàm sola indita eis propensio. imo etiam filij eorundem parentum, & vterini fratres, quales fuerunt b *Esau & Iacob*, diuersas omninò & valde repugnãtes à natura propensiones habere solent. Nam vt figulus, ex eadem luti massa facit vasa va-

a Sap.8.1.

b Gen.25.25

riarum

narum formarum, quæ ad diuersa ministeria destinantur, & ex eadem seminali materia, fiunt diuersa membra eiusdem corporis, in quo varias habent formas,& varia munia exercent; ita Diuina sapientia &Omnipotentia ex eadem generis humani massa, producit varios homines, cum diuersis propensionibus, ad munia & occupationes diuersas: quo nomine plurimam illi gloriam dabo;attendens, quòd omnes huiusmodi propensiones cedant in meam vtilitatem; vt videlicet sint,qui delectentur,me in bello defendendo, alij me in pace gubernando, alij colendo terram, alij vestes conficiendo, alij faciendo alia, quibus ego indigeo. vt enim ait Apostolus, c *si totum corpus esset oculus,* quis posset ambulare? & si totum esset pedes, quis aspiceret? & si esset lingua, quis ambularet,& si esset manus,quis loqueretur? Sicut ergo omnium membrorum munia, etiamsi varia,ad vnius tamen corporis vtilitatem conducunt; ita varij status & officia hominum, & eorum ad ea propensiones, commodum mihi adferunt; ideoque tanquam de proprio meo officio, gratias Deo agere,gloriamque ei reddere par est; qui sua prouidentia,tantam propensionũ varietatẽ hominibus distribuerit: & iuxta hoc meritò attendã bonã propensionẽ, quã mihi Deus est largitus; vt illa vtens,illum statum & munus subeam, quod bonæ illi propensioni est conforme,gratias largitori agens quod ita sua-

c 1. Corin. 12.17.

piter me gubernet, nec velit me vitiosis trahi ad aliquod officium vel actum, quod vitam cum morte remigio, per quam ad Deum tuus aut officium sit diuturnum, aut diues per totam vitam.

OPATER amantissime, gratias tibi pro ea largitate, qua hominem gubernas, sicut tum his actionibus, quod alios ei commendasti, vel quod *Spiritum omnium* facile largiaris. Da, quæso, ut ego quoque hoc ipsum, vel quod *unusquisque omnia* facile intelligam, & omnes mutuo fœdere lætitia iungat. Id mihi quæso concede Domine vt ad meum onus portandum, tua ego me accommodem, vt sim vtilis mihi proximis, & cui eosdem vtiles mihi esse cupio.

Gala. 6.5

II.

DEINDE in eadem ipsa Diuinæ prouidentiæ lumine eò perpendendum, quàd à nobis deficit naturalis propensio ad datum officium, quod vult nobis imponere, deinobis liberaliter supernaturalem peopensionem, medijs supranaturalibus & illustrationibus Diuinis, quæ cum rationem vtilitatis & conuenientiæ manifestare soleant in eo statu & officio esse, vt, quamuis absque ea illum illud sit ac difficile, necendum reddant ac facile. & tta tols docet experientia, quòd nulli propter humanodi Diuinam inspirationem & impulsum, inclinent vehementer ad fœcdum deferendum, amplectendum vero datum religiosum, aut obeundum scholasticum & ciuicum; idquod facienti aiori sua voluptate, quàm alij simplecitam ac illatis & officia incundiora & facilioratque

turæ & carnis quæ gratia Dei abunde supplet quod naturæ deest.

III. QVOD si quando Dominus Deus noster, non det hanc inclinationem & sensibilem delectationem in electione ipsius; ad minimum dirationes adeo efficaces, vt omnino intellectum conuincant, & faciant iudicare, conuenire sibi, talem statum amplecti, quem voluntas certo firmoque decreto accepiat & amplectatur, vincendo superiori spiritus lumine naturalem omnem repugnantiam & horrorem.

O DEVS animæ mea, in manus tuas meorum propicio, fidenter & sine prouidentiæ, quod ex statuum eligendorum delectationem & consolationem in officio aut onere ferendo, quod mihi volueris imponere. Quod si caro eam iucunditatem ac delectationem non senserit, quam appetit; satis mihi erit, quod eam percipiat spiritus, hanc reputans magnam & propriam iucunditatem, amplecti & facere, quod tibi arridet. Hæc mea sit, Domine, vnica propensio, in omnibus sequi tuam voluntatem in æternum. Amen.

PVNCTVM III.

TERTIO considerada est eiusdem prouidentiæ Diuinæ efficacitas, in propiciendo de auxilijs sufficientibus, ad ferendu statu & officio, quod ipsius directione suscipitur,

quia nemini aliquid mandat, quod illi sit impossibile, nec onus grauius imponere vult, quã possit is ferre, iuxta vires quas habet, & facultates gratiæ, quas Deus ei tribuit. Ideoque coniugatis ad ferenda Matrimonij onera & sui officij, specialem dat gratiã per Sacramentum Matrimonij, & Sacerdotibus, ad ferenda onera sui officij, dat Spiritum Sanctum per Sacramentum Ordinis; & Religiosis dat gratiam, iuxta onera Religionis quam profitentur; Prælatis & aliorum gubernatoribus, dat etiam sufficientem Spiritum ad illam gubernationem. & quò illa grauior est ac difficilior, eò copiosior Spiritus datur. Vnde cum Deus Moysi abstulit partem gubernationis plebis, dixit; a *auferam de Spiritu tuo, tradamq; septuaginta senioribus vt sustentent tecum onus populi*: quasi ei diceret; tantam ego tibi gratiam & facultatem dabam, vt totum onus ferre posses; cùm autem partem huius oneris aliis dari velis, ego partem eius Spiritûs & facultatis, quam soli tibi dabam, à te auferendo, illis communicabo, vt portare possint ipsi partem oneris, quod subeunt. Ex quo fit, vt æquè mihi sit facile ex Diuina prouidentia, duplicatum onus ferre, atque simplex. nam ad duplicatum ferendum, duplicatas quoque vires dabit. quare magno feruore licebit mihi illud Psalmi Deo nostro dicere: b *proba me Domine & tenta me: ure renes meos, & cor meum*: impone mihi onus officiorum & laborum pro tuo libitu; *quoniam*

a *Num.* 11. 17

b *Psal.* 25. 2.

mi-seri-

misericordia tua ante oculos meos est semper: *& complacui* mihi *in veritate* & fidelitate *tua*, ob quam sum certus, quòd aucturus sis gratiam & vires, si onus auxeris, & labores.

Ex his quæ sunt dicta intelligam, periculosissimum esse, statum suscipere contra Dei voluntatem, & per media alioquin prohibita. Nam hoc est abscindere filum mediorum, quæ Diuina prouidentia ad animæ meæ salutem disposuerat. quare omnes errores, qui in illo statu mihi euenerint, mihi tribuentur; dignumque me constituam, cui Deus nõ det vires & gratiam, ad ferenda onera quæ ego ipse sponte mea contra ipsius voluntatem suscepi; ideoque succedet mihi, quod Christus D. N. dixit: c *omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur*, quo tamen non obstante, quando error est iam factus, nec habet remedium, propterea quod status sit perpetuus, aut ob aliquam aliam causam, non debeo desperare de Diuina misericordia; cuius adeo est infinita charitas, vt, quando aliquis ex via illa recedit, qua ipse illum paterna sua prouidentia ducere statuebat; scit, potestque alia ratione eum reducere ad viam vnde exiuerat, educens bonũ ex malis; & ex erroribus id, quod sit rectum; modò facti pœnitens, sicut alter filius prodigus, redeat confidenter, ac se in eius manus proijciat, qui neminem ad eas recurrentem repellit, aut deserit.

c Mat. 15.13

Monita ad status electionem faciendam

posita fuerunt in 3. *parte Meditatione.* 7. *&* 8.

MEDITATIO XLVII.

DE PROVIDENTIA DEI circa institutionem status Religiosi, & Varietatem Institutorum; aliquorumque ad ea vocationem.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM est primò, prouidentiam Diuinam statuisse, vt intra suam Ecclesiam essent domus & familiæ Religiosorum, Diuino ipsius cultui mancipatorum; idque ob altissimos & præstantissimos fines, quorum præcipuos hic perpendemus.

I. PRIMVS est, vt ipsa Religio sit *schola* Christianæ *perfectionis*, quæ in perfecta charitate, & coniunctione cum Deo, & cũ proximis consistit, reiectis rebus omnibus, quæ quoquo modo ab ea retrahunt, quò præceptũ dilectionis, maxima qua fieri poterit perfectione, impleatur. Quare ipsa Religio est etiam domus charitatis: est enim a *generatio quærentium Dominum, & faciem eius*, & locus b *fratrum habitantium in vnum*; congregatio & c *Ecclesia filiorum sapientiæ*; quorum natio & conditio est *obedientia & dilectio.*

S. Tho. 2. 2 q. 186.

a *Psal* 23. 6.

b 132 1.

c *Eccl* 3. 1.

II. HINC fit vt Religio sit etiam *schola imita-*

tionis

tionis Dei & Christi D.N. in qua Religiosi incumbunt in imitationem exemplarium Dei virtutum; contendentes d *esse perfecti, sicut Pater cœlestis perfectus est*, & imitari ipsum Christum, seruantes non solùm eius præcepta, sed etiam ipsius consilia, amplectentes eo modo, quo illa ipse custodiuit.

d *Mat.* 5. 48.

III.

TERTIVS finis fuit, vt Religio esset *domus refugij*; ad quam fideles se reciperent, vt salui essent à periculis huius mundi, & securiorem redderẽt suam salutẽ, per media quæ in ipsa Religione sunt efficacia ad fugiẽdas culpas, & occasiones earum; & ad obtinendas virtutes, cum perseuerantia in eis vsq; ad mortẽ: ita vt per statũ Religiosum, & Religiosas domos, impleatur quod cupiebat Dauid, cum dixit Deo D. N. e *esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt saluum me facias.*

e *Psal.* 30. 3.

IV.

QVARTVS finis fuit, vt ipsa Religio sit *domus recreationis* Deo D. N. in medio terræ, & f *paradisus voluptatis* eius. cum enim g *eius delicia sint esse cum filijs hominum*; ita disposuit eius Diuina prouidentia, vt esset aliqua domus priuata aliquorum singularium amicorum, & sibi familiarium, quibuscum ille conuersaretur, & suas haberet delicias, h *quia & ipsi adhærent Domino, vt colant eum & diligant nomen eius, vt sint ei in seruos.* & ita Religio est domus orationis, & i *cella vinaria*, vinorum scilicet cœlestium & penetrale Regis cœlestis, quò ipse suos dilectos introducit, & reuelat sua secreta.

f *Genes.* 2. 8.
g *Prou.* 8. 31.
h *Isai.* 56. 6.
i *Cant.* 2. 4.

V. QVINTVS finis est, vt Religio esset tanquam k *candelabrum* Ecclesiæ, & *ciuitas supra montem* altum *posita, vt luceat omnibus* fidelibus *qui in domo sunt*, tam doctrinæ quam vitæ exemplaris lumine, ad confirmandam veritatem & puritatem Christianæ Religionis, & ad exhortandos reliquos ad eam sequendā, & glorificandum Patrem nostrum, qui est in cælis; vt impleant quod Apostolus dixit: l *vt sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione, in medio nationis prauæ & peruersæ; inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.*

k *Mat.* 5.14.

l *Philip.* 2.15

VI. SEXTVS finis fuit, vt Religio esset *locus* constitutus ad *comparanda multa merita*, & magna incrementa virtutum; ita vt, qui in ea degunt, ad altissimos gloriæ gradus ascenderent, ad consortium primariorum Angelorum, qui in ea sunt; eò quod vitā ducunt Angelicam potiùs, quam humanam. CONSIDERATIONE horum sex finium, si sum Religiosus, meritò curabo sex hosce affectus & desideria, quæ sint instar m *ex alarū Seraphinorū*, quos vidit Isaias, perfecti sc. *amoris* Dei, & proximi affectum, desiderium *imitandi perfectionem* Dei & Christi D.N. *fugiendi occasiones* peccatorum & imperfectionum; vt quàm fieri possit maximè, salutem meam assecurem; *conuersandi* familiariter cum Deo D.N. *vitam ducendi* exemplarem ad ædificationem proximorum, & *crescendi* in virtutibus, donec magna gloriæ incremēta obtineam. His alis volans, accelerabo ad

m *Isaia* 6.2.

exe-

exequendas obligationes mei ſtatus, confidens prouidentiæ Diuinæ, quæ Spiritu ſuo adiutura ſit meum volatum & conatum. O Pater miſericordiarum, ſiquidem me ad ſtatum adeò altum, & ob fines adeò præſtantes, me vocaſti, ſupplex oro, ne vita mea ſit vilis & abiecta; ſed vitæ altitudo conſona ſit cum ipſo ſtatu, vt vtroque tandem obtineam altitudinem gloriæ. Amen.

SEX hi fines erunt tanquam regulæ, ſiue amuſſis, ad cognoſcendas vocationes hominum ad ſtatum Religionis. nam, quæ à Deo ſunt vocationes; alicui ſemper ex prædictis motiuis innituntur.

PVNCTVM II.

DEINDE conſiderandum, eandem prouidentiam Diuinam ſtatuiſſe, vt eſſent variæ Religiones, & diuerſa Inſtituta ac Regulæ; vt maiori cum ſuauitate obtinerentur fines prædicti; cuius rei tres fuerunt præcipuæ cauſæ.

PRIMA, ſicut perfecta charitas, varios habet actus circa gloriam & cultum Dei, & vtilitatem proximorum; exercens erga eos varia opera miſericordiæ, ſpiritualia & corporalia, vna verò ſola Religio non poſſet in omnibus ſimul eminenter eſſe conſpicua; ſtatuit diuina ſapientia, vt varia eſſent Religionum Inſtituta, quorum aliqua magis eminerẽt in contẽplatione & amore, vniente cum Deo; alia Inſtituta eminerent in rebus I.

Septem genera Inſtitutorum.

Diuini cultus; alia in pœnitentia, & seria carnis afflictione; alia in operibus misericordiæ spiritualibus erga proximos, docendo eos, concionando, Sacramenta administrando; alia in operibus misericordiæ corporalibus, ministrando infirmis, redimendo captiuos, defendendo Ecclesiam ipsam à suis hostibus: Et hac ratione, in omnibus simul Religionibus splendent omnia opera Charitatis excellenter & eminenter: quia aliæ in re aliqua excellunt, in qua reliquæ non ita. Quare Religio est sicut illa *domus*, quam *Diuina ædificauit sibi sapientia*, fundatam super *columnas septem*, quæ sunt septem hæc Instituta, quæ iam retulimus, elaborata varijs ornamentis mediorum efficacissimorum ad suos fines cõsequendos; qualia sunt, frequẽtia in vsu Sacramentorũ, examina conscientiæ, directio Magistrorum spiritualium, silẽtium, clausura conueniens, & alia similia.

Prou. 9. 1.

II. DEINDE, quoniam Christus Redemptor noster, exemplar est infinitæ perfectionis, in omni genere virtutum; ita vt vna Religio non possit excellere & eminere in imitatione omnium eius virtutum, propter magnam nostram imbecillitatem ad tantam expeditionem; adinuenit prouidentia Diuina hanc viam variarum Religionum, vt aliæ eum imitarentur excellentissimè in paupertate, aliæ in obedientia, aliæ in Zelo animarum, aliæ in humilitate, & humilibus exercitijs; præbente vnaquaque Religione

exem-

exemplum ſuæ virtutis, in qua excellit, alijs Religionibus, & toti Eccleſię, quę hoc nomine eſt inſtar Reginæ, & ſponſæ Ieſu Chriſti, iuxta illud Dauidis b *adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate*, ſimili varietati veſtitus ſponſi ſui, cuius illa ſequitur veſtigia. Et iuxta hoc, ſi ſum Religioſus, attendere debeo, quid illud præcipuum ſit, in quo mea Religio emicat, tã in imitatione Chriſti D. N. quam in operibus charitatis, quę eius amore & intuitu eligit; & ſtudere, vt in eiſdẽ ego etiã excellam, non tamen alia negligendo: vt ob ſingularem hanc diligentiam, illud in me locum habeat, quod Eccleſia ſingulis applicat Sanctis: c *non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legem excelſi.*

b *Pſa.* 44.10

c *Ec.* 44.20

TERTIA cauſa fuit, quoniam Deus D. N. optimè nouit, diuerſiſſimas eſſe hominũ inclinationes & conſtitutiones; eſſeq; difficilimum, accommodare ſe omnes vni viæ, ſiue modo tendẽdi ad perfectionem; ſtatuit itaq; Diuina ſua prouidentia, vt eſſent varij modi, vt ſinguli aliquem inuenirent inclinationi ſuæ & viribus accõmodatum, & hac ratione ſaluti ſuæ certiùs conſulerent, magiſque in virtute proficerent. nam aliqui propendent in ſolitudinem, nocetque illis cum hominibus conuerſari; alij contrà ad cõuerſandum propendent, quibus nocet ſolitudo; alij conſtitutione corporis ſunt robuſti, & inclinãt ad ſubeundas magnas aſperitates, alij debiliores tanta non poſſunt ferre. Vt itaque oẽs

III.

perfe-

perfecti esse possint, vult Deus D. N. varias esse vias & modos omnibus accommodatos, & paternâ suâ prouidentiâ inclinat ac dirigit vnumquemq; ad eum modum, qui magis illi conuenit. d *O infinita sapientia, quæ omnia facis fortiter, & disponis* suauiter! gratias tibi ob ædificatam intra tuam Ecclesiam domum Religionis, cum magna Institutorum varietate, quæ eam tanquam columnæ sustẽtant; & mensam varijs edulijs refertam, regularum & legum, ad necessitatem & oblectationem in ea habitantium accommodatarum. & siquidem altissima tua prouidentia dignata est me vni harum columnarum adiungere, liga me quæso fortissimè cum ea, vt semper in tuo seruitio perseuerans, iuxta meum statum, eo tandem perueniam, vt e *fiam columna in templo* sancto tuo, *vt foras non egrediar amplius*, in æternum. Amen.

d *Sapi.* 8, 1.

Apoc. 3. 12.

PVNCTVM. III.

TERTIO consideranda cura & solicitudo Diuinæ prouidentiæ, in vocandis hominibus ad statum Religionis, & ad vnũquodque Institutum; in qua re perpendenda sunt quædam eminentiora in hac vocatione.

I. PRIMVM, quod nullus possit præstantem hunc statum suscipere, nec ingredi Religionẽ, vt oportet, nisi sit vocatus à Deo, speciali ad id vocatione. nam castitas, obedientia, & paupertas Religiosa, adeò excedunt naturæ nostræ imbecillitatẽ, vt nemo possit tan-

tum

tum animi & audaciæ per ipsum habere, vt illas sibi promittat, aut seruare possit. Ideoque Christus D. N. de castitate loquēs, dixit: a *non omnes capiunt verbum istud; sed quibus datum est*, à Deo scilicet: & iterum: b *nemo potest venire ad me*, (imitando eius perfectionem) *nisi pater cœlestis traxerit eum*; suis videlicet inspirationibus eum vocando, & auxilium ad veniendum porrigendo.

a *Mat.19.11*

b *Ioan.6.44.*

II. DEINDE perpendam, quoniam Religiosus status non est omnibus necessarius, vt perueniant ad cælum; ideo Deum D. N. non vocare omnes ad illum, sed tantùm quos vult, idque non ipsorum meritis, sed mera sua gratia & misericordia; & ita sæpe relinquit in seculo optimos, & vocat alios non æquè bonos, vt eos perficiat: quia ita vult illis benefacere, iuxta illud quod aliquando ipse dixit suis Apostolis: c *non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos* in hoc statu; *vt eatis* per mundum vniuersum, *& fructum afferatis, & fructus vester maneat*. Gratias tibi Magister supreme, quòd me in tuum discipulum elegeris, vt sim in schola perfectionis, relictis alijs multis, qui præ me digni erant ad illam venire. Non potuissem ego statum hunc eligere, nisi tua misericordia me ad id præueniisset: siquidem ergo dignatus es me eligere, supplex oro, vt me adiuues ad fructus ferendos, qui permaneant in vitam æternam. Amen.

c *Ioan.15.16*

III. TERTIO perpendam, eos qui à Deo

vocantur ad Religionem istam, dicens: Ita
ait vnus ad cœnam: Quidam homo fecit
magnam cœnam, & vocauit multos. Et
misit seruum suum hora cœnæ dicere vo-
catis, vt venirent, quia iam parata erant
omnia. Et cœperunt omnes simul excusare.
Primus dixit ei: Villam emi, & habeo ne-
cessitatem exeundi, & videndi illam: rogo
te habe me excusatum. Et alius dixit: Quin-
que iuga boum emi, & eo probare illa: rogo
te habe me excusatum. Et alius dixit: Vxorem
duxi, & ideo non possum venire. Et reuersus
seruus nunciauit hæc domino suo. Tunc
irato patre familias, ait seruo suo: Exi cito
in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes, &
debiles, cæcos & claudos introduc huc. Et
ait seruus: Domine, factum est, vt imperasti,
& adhuc locus est. Et ait dominus seruo:
Exi in vias & sepes, & compelle intrare, vt
impleatur domus mea. Dico enim vobis,
quod nemo virorum illorum, qui vocati
sunt, gustabit cœnam meam. Multi enim
sunt vocati, pauci vero electi. Quæ verba
Christi Domini nostri, quæ ad Euangelium
pertinent, quis non videt, quam apte ad
Religionem istam accommodentur? Quis
non videt, quam apte ad Religionem istam
accommodentur? Quis non videt, quam
apte ad Religionem istam accommodentur?

1 Cor. 14. & 2. Cap. 2. 6.

IV. Quæ cum ita sint, quæ cum ita sint, quæ cum ita sint, quid est, quod tam multi ad Religionem istam non accedant? Quid est, quod tam multi ad Religionem istam non accedant? Quid est, quod tam multi ad Religionem istam non accedant?

quem in altera aut non assequeretur, aut non perseueraret, in ea, eò quòd illi desit ad id præstandum facultas, sicut in proxima Meditatione est dictum. Ex hac consideratione, gratias Deo D. N. agam, ob eam curâ, quam de omnibus Religionibus gerit; confidens in eius Diuina prouidentia, quod sit illas ad suam gloriam conseruaturus; quisq; etiam eam fiduciam habere potest, quòd sit ad eam Religionem vocatus, quæ magis illi expediebat; animum sibi faciens ad perseuerandũ, & f *ascensiones*, & incrementa virtutum, *in corde suo disponens, in loco*; in quo à Deo est collocatus, *donec perueniat ad videndum Deum Deorum in Sion.*

f *Psal.* 83. 7.

MEDITATIO XLVIII.

DE BONIS QVAE IN STAtu Religioso continentur, & quàm sit præstans hoc beneficium.

AD *huius beneficij excellentiam cognoscendam, conijciendi sunt oculi in miserias huius mundi, ex quibus Deus ducit Religiosum; & in excellentias status, in quo eum collocat; ac denique in præmia, quæ illis promittit, in hac & in futura vita.*

PVN-

PVNCTVM I.

I. PRIMVM considerandum, quòd intra hunc mundum visibilem, qui bonus est, & factura Dei, sit alius mundus in malitia fundatus, cuius princeps est Dęmon, & cuius studiũ, vt ait S. Ioannes, a *est concupiscentia carnis, & cõcupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* quare hic mundus est congregatio quædam hominum, qui se tradiderunt inordinato amori voluptatum carnalium, diuitiarum, & inanium honorum; vnde proueniunt b *spinæ* culparum, & anxietates, quæ mundanos homines pungunt, & *suffocant sementem* Diuinarum inspirationum; & postea sunt fomentum ignium æternorum. Malus hic mundus duas habet partes: Altera est extra Ecclesiam, Infidelium videlicet congregatio, qui, quòd fide careant, facilè in vitia innumera labuntur; nec sistunt donec in inferna præcipitentur. ex hoc mundo educit Deus sua misericordia omnes fideles, collocans eos in sua Ecclesia, vbi possint saluari.

a 1. Ioan. 2. 16.

b Luca 8. 15.

1.

2. Alterea pars est intra ipsam Ecclesiã, quæ est congregatio peccatorũ, inordinatè appetentiũ & quærentiũ delitias, diuitias, & honores seu dignitates, cũ iactura charitatis, & periculo suæ salutis. nam isti ab hoc amore ducti, resistunt vocationi Diuinæ, sicut restiterunt tres illi, qui vocati ad cænã, cũ venire nollẽt, in perpetuũ fuerunt ab illa exclusi. In medio huiꝰ mũdi habitãt iusti, qui h rc licitè

possi-

possident; quibus tamen periculum imminet ab occasionibus, quæ oriuntur ex bonis temporalibus, quibus fruuntur; & ex malo exemplo hominum huius mundi, quibuscum habitant; & ob calumnias & molestias, quas sustinent ab ijs, qui eadem concupiscunt, & quærunt quæ ipsi possidêt. quapropter Christus Dominus N. loquens de quodam diuite alioquin iusto, sed quia restitit vocanti, vt esset perfectus, dixit: c *facilius esse intrare camelum per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cælorum*; Ab hoc mundo adeò periculoso, educit Deus D. N. ex infinita sua misericordia Religiosos; collocans eos in statu ab his diuitijs, delicijs, & vanis libertatibus spoliato & immuni; vt sint liberi à peccatis, & periculis, quæ illa secum adferunt. quare tot beneficia accipio à Deo in Religione, quot sunt vitia, & angustię, siue anxietates, quas video eos habere, qui degunt extra Religionem. quocirca continuas illi gratias agam. O dulcissime Iesu, vnde mihi tantum bonum, vt, sicut amico tuo Abraham, ad cor dixeris, d *egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui; & veni in terram, quam monstrauero tibi.* gratias tibi quantas possum maximas, quòd me eduxeris de Vr Chaldæorum, igne videlicet quasi Dæmonũ; ne in mearum cupiditatum Igne conflagrarem, & perirem; & siquidem ab eo igne me procul remouisti, ne patiaris me ad eundem iterum accedere; accende potius me igne

c *Matt.* 19. 24.

d *Genes.* 12.

charitatis, vt omninò cupiditas in me extinguatur.

II. PERGAM tamen vlterius perpendere Diuinæ prouidentiæ in hac re adinuentiones: ne cum aliqui adeo sint addicti bonis temporalibus, quæ possident in mundo, cum periculo pereundi, nisi illi ob amicas inspirationes, quibus vocantur, velint sponte illa relinquere; solet ipse quodammodo illos cogere, vt relinquant; permittens eos in calamitates aliquas incidere, in morbos, in tentationes, & interdum etiam in grauia peccata; vt, ad oculum videntes suum periculũ, illud refugere studeant, sicut Angeli videntes e *Loth* tergiuersari, & *dissimulare*, quasi nollet exire è Sodomis, propter affectum ad res, quas ibi habebat, *apprehenderunt manum eius, & duxerunt eum, & posuerunt extra ciuitatem*: ne, descendente igne super eam, & ipse cum suis conflagraret. O Pater amantissime, quas tibi gratias reddam, quod f *me cõpulerũ intrare* in domum tuam, vt ignem effugerem, quo mundus conflagrabat; conserua me intra illam, etiam vi laborum & calamitatum; quò liberatus ab ignibus, qui mihi minantur, præmia consequar, quæ me expectant. Amen.

e *Genes.* 19. 16.

f *Luca.* 14. 23.

PVNCTVM II.

DEINDE considerandum, quòd Religiosus status, valde excellenter contineat in se tria genera bonorum. PRIMVM est bo-

num

num HONESTVM, quod omnes virtutes cõplectitur, tam morales quam Theologicas, cũ omnibus donis Spiritus S. SECVNDVM est bonum DELECTABILE, quod cõplectitur a *Pacẽ Dei, quæ exsuperat omnem sensum*; Et gaudiũ Spiritus Sancti, cũ omnibus delicijs, quas adferunt opera virtutum. TERTIVM est bonum VTILE, quod complectitur omnia media, apta ad conseruandam & augendam vitam animæ, & consequendam æternam, & etiam quæ iuuant ad transigendam vitam corporis tẽporalem, cum emolumento Spiritus. Totum hoc eminentissimè inuenitur in Religione; ita vt de ea dicere liceat quod Sapiens dixit de sapientia Diuina: b *venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas*, & diuitiæ plurimæ *per manus ipsius: & ignorabam quoniam horum omnium mater est.* Et ita est, quod Religio sit verè Mater omnium virtutum, in sua perfectione: illa enim est, quæ eas nutrit, & lacte suæ doctrinæ alit; facitq; vt crescant, per illa media, quæ adhibet, vt actus suos exerceant; clauditque illas vestibus votorum intra domum suam, ne euagentur extrà, easq; extollit ad tantam altitudinem, vt certent cum Angelica perfectione. nam (vt ait S. Basilius) non est aliud Religio, quam transitus quidam ab humano more viuendi, ad eum, quem Sancti habent in cælo; & ex similitudine eius, quod in cælo sit, cognosci potest vita, quam Religiosi profitentur in terra.

a *Philip.* 4.7

b *Sapi.* 7.11.

Reg 8. *ex fusiſ. & de conſtit. Monaſt. c.* 19.

Nam Religiosi specialem hic possessionem accipiunt c *Regni Dei*, quod est *iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto*; qui particulari sua assistentia, Pater est omnium istorum generum bonorum, quorum Religio est Mater, quibus filios suos replet. O Pater amantissime, gratias tibi, quòd me deduxeris ad habitandum, in domum Sanctitatis; faciens me eius filium, quæ Mater est virtutum, vt simul cum illis nutriar. Audi anima mea, consilia Matris tuæ dicentis: d *Fili mi custodi sermones meos, & præcepta mea reconde tibi*; e *conserua præcepta Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ*; & viues, non vitam quam solebas, sed aliam supra humanam, vitam sanctam, hilarem, pacificam, cœlestem ac Diuinam. Incipe statim exequi, quæ illa iubet, & experieris reipsa, quod promittit.

Rom. 14. v.

Pro. 7. 1. Cap. 6. 20

IN vnoquoque trium horum bonorum, licet discurrere in particulari, ac perpendere, quòd Religio sit Mater charitatis, contemplationis, temperantiæ &c. & delitiarum, ac fructuum, quæ ab eis proueniunt, vt in exemplis puncti sequentis apparebit.

PVNCTVM III.

AD benè cognoscendas inæstimabiles huius status diuitias, considerandum est colloquium S. Petri cú Christo Domino N. quod referunt Euangelistæ his verbis; a *respondens Petrus dixit Iesu: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Ie-

Mat. 19. v. Luca. 18 28

bis? Ieſus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël. Et omnis qui reliquerit domũ, vel fratres, aut ſorores, aut Patrẽ, aut matrẽ, aut vxorẽ, aut filios, aut agros propter nomen meũ, centuplũ accipiet, & vitã æternam poſſidebit. In hac interrogatione Petri, & reſponſione Chriſti, perpendendum eſt, quod Religio ſit quoddam admirandum pactum inter Deum & hominem, quo homo offert ſe facturum ſummum quod poteſt propter Deum; Deus verò offert homini propterea excellentiſſimos fauores & præmia.

Quid faciat Religioſus erga Deum.

PRIMVM ergo perpendam, duo eſſe, quæ Religioſus facit erga Deũ, expreſſa hic à S. Petro. PRIMVM eſt, relinquere quæcunq; relinqui poſſunt: nam voto PAVPERTATIS renunciat dominio bonorum temporalium, quæ poſſidet, & iuri in illa & voluntati ad ea ampliùs quærenda; ita vt ſi totus mũdus ipſius eſſet, totum relinqueret; cõtentus ſolùm neceſſarijs ad vitam tranſigendã; idq; cum dependentia à voluntate Prælati. Voto CASTITATIS renũciat omnibus voluptatibus carnis, nõ ſolũ illicitis, ſed etiã licitis; quales ſunt in Matrimonio; renũcians omni I.

iuri habendi vxorem, filios, aut familiam, & ad conſeruandam hanc puritatem carnis, offert ſe, ad eam per pœnitentiam mortificandam clauſurâ & cuſtodiâ ſenſuum: Voto OBEDIENTIAE, renunciat propriæ libertati, offerens ſe ad abnegandum propriũ iudicium, & propriam voluntatem, vt faciat illam quæ eſt, & Dei Prælatorum, qui Dei nomine ipſum gubernant. Ad quod præſtandũ, expedit ſe à Patre, matre, fratribus, amicis, vicinis, & relinquit propriam Patriam; omnes ita abnegando atq; ſi illos nòn noſſet; paratuſq; eſt ad ſanitatem & vitam profundendam, quando lex charitatis & obedientia id exigeret. Ex quo intelligitur, quod religioſus offerat Deo, ex ſe ipſo, & omnibus rebus ſuis, perfectũ quoddam holocauſtum: dans illi, vt ait S. Gregorius, quidquid habet, ſcit, & poteſt. Sed quid magnũ dulciſſime Ieſu, quod ego tale holocauſtum de me offerã in tuum obſequium; ſiquidem tu aliud multo maius in meam vtilitatem obtuliſti? tu renunciaſti rebus omnibus huius vitæ, vt mihi remedium adferres; æquum eſt ergo, eaſdem vt ego relinquam, quò tibi ſeruiam.

. *Baſilius leg 8. ſuſſ.*

. *Greg. homilia 12 Ezechiel.*

II. ALTERVM, quod Religioſus offert, eſt *ſequi Chriſtum D.N.* ita vt quiſque iuxta facultates ſuas imitetur clariſsimas virtutes, quæ in illo eminuerunt, & conſilia perfectionis, quæ ipſe nos docuit: quem aſpiciunt tanquam exemplar vitæ ſuæ, & cum eo familiariter agunt in oratione, b *ſequentes hunc*

b *Apo. 14. 4*

Agnum quocunque ierit, nunquam ab illo aut oculos auertentes, aut ab eius consortio se procul separantes.

QVO verò appareat, plurima contineri in his duabus rebus, quas Deo offert Religiosus; licet eis applicare, quod S Paulus dixit de Sanctis antiquis: nam præclara c *fide* sicut *Abraham*, exeunt de *terra sua*, *& è domo Patris sui*; vitam ducunt tanquam peregrini, *expectantes ciuitatem habentem fundamenta, cuius Artifex & Conditor Deus*: Et sicut idem ille Abraham, offerunt in holocaustum filium suum vnigenitum Isaac, igulauntes obedientiæ voto propriam suam voluntatem, vt expleant Diuinam; confidentes quod posit Deus illam resuscitare cum vita meliore, quàm priùs haberet: Et, sicut Moyses, d *negant* filiationem & nobilitatem huius mundi, *eligentes potiùs* cum iustis affligi, *quàm temporalu peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimantes thesauro Aegyptiorum, improperium Christi*, nihili facientes hominum iudicia; *nam inuisibilẽ tanquam videntes sustinent*. Hac fide exeunt ipsi à tyrannide Pharaonis, qui est Dæmon, transeuntque mare rubrum siccis pedibus, penetrantes & deijcientes murum difficultatum, quæ remorantur ingressum in terram promissionis æternæ; *obturant ora leonum*, propriarum videlicet passionum, *extinguunt impetum ignis*, suarum cupiditatum; *conualescunt de suis infirmitatibus* & imbecillitatibus,

c *Heb.* 11. 8.

d *Hebræ.* 11. 24.

fortes facti sunt in bello, & pugna tentationū. *circumeunt in melotis & pellibus caprinis*, vestibus scilicet rudioribus & asperis cilicijs; *egentes*, esurientes & sitientes; *in solitudinibus errantes, in montibus* & *speluncis, & in cauernis terræ*, excellentem hanc vitam tenentes, vt vestigia sequantur ducis sui Iesu, *quibus dignus non est mundus*.

QVANDO hæc duo prædicta præstitero, sicut S. Petrus, in virtute fidei, & confidentiæ in gratia & Omnipotentia Saluatoris, potero eidem dicere: *quid ergo erit mihi!* O Saluator dulcissime, non hoc intendo, vt tibi propter mercedem seruiam: satis enim magnum est præmium, tibi seruire, quia tu talis es: sed vt imbecille cor meū excitē, dic mihi quæso, *quid mihi erit*? quod reddes mihi præmium propter ea, quæ amore tui facio?

Quid faciat Deus erga Religiosum.

MOX perpendam, quæ Deus facit erga Religiosum, ea reducendo ad tria illa, quæ Christus S. Petro promisit, eoque ordine, quo ipse illa posuit.

I. PRIMVM est, quod in die iudicij, daturus sit illi SEDEM & thronum excellentissimum, pro eo loco, quem deseruit in mundo, vt Religionem ingrederetur; ita vt, cùm reliqui omnes homines comparebunt ante tribunal Christi, vt de eis iudicium feratur, sint Religiosi cum Apostolis, se-

. Aug. Bea & alij.

dentes

dentes in throno gloriæ) tanquam iudices cum singulari gaudio & speciali honore, eo quod imitati fuerunt ipsum Iudicem supremum, in *paupertate, castitate, obedientia*, & in reliquis virtutibus, ad quas amplectendas, nobis in Euangelio cõsilium dedit; quia propẽdet valde, vt a *glorificet eum, qui ipsum glorificauerit*, & eos *exaltet*, qui, vt ipsi honor deferretur, se se abiecerunt, & *humiliarunt*.

a 1. *Reg.* 2. 30
b *Mat.* 23. 12

SECVNDO promittit dare illi CENTVPLVM in hac vita; quod præmium interdum numerat, & in eodem genere redditur. nam (vt Cassianus ait, & ipsa experientia docet) qui domum vnam aut agrum, patrem, fratrem, amicum, aut fidelem famulum, vt Religiosus fieret, reliquit; inuenit omnes domos, reditus, & Eleemosynas totius Religionis cum multis centenariis personarum, quę erga ipsum faciunt officium Patris, fratris, & amici, seruiuntque ipsi maiori fidelitate, quàm seculares; & propter honorem, quem reliquit in mundo, recipit non quæsitum cẽtuplum in honore. Et ipsa specialis Dei prouidentia, est centies millies pluris facienda, quàm omnia quæ reliquit. nam eo ipso, quòd eius amore reliquerim quæ habebam, recipit ipse in se, dare quæ conueniunt, modo superiùs indicato; sicut experti sunt ipsi Apostoli, cum Christus diceret; c *quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt; Nihil.*

II.

Colla. vltima cap. vltimo.

Medit. 31.

c *Luc.* 22. 35.

ALIAS redditur præmium in alio genere,

quod est multo pretiosius; cùm loco rerum quas dimisimus, tantam nobis immittit consolationem, propterea quod ab eis nos expediuerimus, vt excedat in centuplum eam, quam habuissemus, res nostras retinẽtes. Deliciæ enim Spiritus incomparabiliter excedunt delicias carnis, magisque delectatur perfectus Religiosus, dùm opprobriis afficitur, & dum colit paupertatem; quàm ambitiosus & auarus, dum afficitur honore, & abundat diuitiis. Et vt etiam in hac re securos nos faceret Saluator noster, adiecit (S. Marco teste) qui sua reliquerit propter Christum, accepturum centies tantum, d *cũ persecutionibus*. O Pater amantissime, quas tibi gratias reddam, quòd me ad tuam domum deduxeris? verè siquidem, e *melior est dies vna, in atrijs tuis, super millia* extra illam; præferoque *abiectus esse in domo Dei magis, quàm habitare* & honorari *in tabernaculis peccatorum*: neque maior vllus honor, aut maiores deliciæ esse possunt, quàm viuere sub tua protectione. Quid possum, Domine, propter te relinquere, pro quo tu non reddas centuplum? si patres meos desero; tu succedis, vt mihi sis Pater; si hæreditati renuncio, tu es hæreditas mea; si omnia reliquero, tu mihi es omnia. O cambium cæleste! O Diuina permutatio, accipe me Domine in tuum, siquidẽ adeò liberaliter tradis te ipsum in meum.

S. *Basil. de constit. monar. c. 7.*

d *Mat.* 19. 30

e *Psal.* 83. 11

III. TERTIO promittit VITAM AETERNAM, addens iis quę omnibus fidelibus promisit,

miſit, ſpecialem quandam prouidentiam, deducendi illos ad eam vitam, per media adeò ſecura, vt eadem obtineant multò faciliùs, & cum maiori præeminentia. Quamobrem dicunt Sancti, perſeuerantiam in Religione, ſignum eſſe prædeſtinationis: nam in præmium quòd renunciauerit proprio iudicio, & ſui ipſorum gubernationi, Deus ipſe ſingulari cura eos gubernat, vt felix & fortunatum præmium conſequantur. Gaude, anima mea, quòd te Deus elegerit ad felicem hunc ſtatum; ſit tibi cella cælum, viuenti in ea puritate, qua Angeli viuunt in cœlo, ſi enim in ea perſeueraueris vſq; ad mortem, ex ea deduceris in cœlum, vbi regnes cum Chriſto in æternum Amen.

S. Bernard. ad fratres de monte Dei.
S. Laurent. Iuſtin. de perfect. monaſt. conuerſ. c. 7.

CAPVT VIII.

De Ordinatione Diaconi.

Ordinatio Diaconi.

Ordinatio Diaconi fit per manus impositionem Episcopi, qui ad altare stans, & Diaconum ad se vocans, ei manum capiti imponit, & benedictionem dicit. Deinde Diaconus ad altare accedit, & Episcopus ei stolam ab humero dextro sinistro lateri superponit, & ita eum benedicit. Postea Diaconus ad Episcopum accedit, & ei manum osculatur, & ab eo recedit.

Ordinatio Diaconi fit per manus impositionem Episcopi, qui ad altare stans, & Diaconum ad se vocans, ei manum capiti imponit, & benedictionem dicit. Deinde Diaconus ad altare accedit, & Episcopus ei stolam ab humero dextro sinistro lateri superponit, & ita eum benedicit. Postea Diaconus ad Episcopum accedit, & ei manum osculatur, & ab eo recedit.

one noſtri inſtituti, & ad noſtram conſolationem, & vtilitatem. S. Thom. 1. p. q. 23.

PVNCTVM I.

PRIMO eſt conſiderãda exactiſſima prouidentia Dei D.N. circa vocandos & iuſtificandos nonnullos peccatores ante mortem; eò quòd illos ad cœlum prædeſtinauerit. Hæc VOCATIO adeò ſingularis, in eo conſiſtit, vt tali tempore & opportunitate, tanta frequentia & efficacia inſpirationum, totque internis externiſque pulſibus eos vocet, vt tandem conſentiant vocationi Diuinæ, & conſequantur gratiam iuſtificationis, ſicut euenit bono illi a *latroni* in cruce; & interdum adhibet etiã media extraordinaria, & quaſi prodigioſa, ſicut quotidiana experientia nos docet: de qua re ſunt aliqua dicta ſupra *Meditatione* 27. I. a Luc. 23. 42.

DEINDE conſideranda eſt ſpecialis prouidentia eiuſdem DEI D. N. circa MORTEM iuſtorum, qui ſunt prædeſtinati, vt perſeuerent in eius gratia, & in ea, vltimum diẽ ſuum obeãt. Nam primò eos præuenit ſingularibus fauoribus, ne tentationibus ſuccumbant; & præſeruat à multis, quæ illos potuiſſent deiicere: dirigit item modum & genus mortis, quæ illis ad ſalutem conſequendam magis conuenit, ſiue id ſit cum ingentibus doloribus, ſiue cum exiguis; ſiue ſenſim, ſiue repẽte, b *ne malitia mutet eorum cor*, aut prænidentes iam accedere ſibi horam mortis, grauiter affligantur. Quoſdam deducit per II. b Sap. 4. 11.

magnos

magnos timores, ne euaneſcant, & per ſuperbiam pereant: alios per magnas conſolationes, ne deficiant, aut pereant per diffidentiam: quoſdam ſingularibus proſequitur fauoribus, tanquam præmiis ſingularium ſeruitiorum.

Triden. ſeſſio 6. can. 26

DENIQVE per media admiranda & ſecreta, dat illis perſeuerantiæ donum; de quo dixit ipſe Chriſtus Dominus: t *qui perſeuerauit vſque ad finem, ſaluus erit.* & quoniam hoc donum non cadit ſub noſtrum meritum, illud eſt demiſsè à Deo petendum, & Sancti orandi, vt & ipſi pro nobis petant; idque faciendum nobis eſt per feruentes orationes; quæ & illæ medium ſunt prædeſtinationis. O Deus æterne, cuius opera ſunt perfecta: ſiquidem in me cæpiſti opus ſalutis meæ, imponas illi perfectè finem; donum perſeuerantiæ mihi donans, quo tandem obtineam coronam. O Sancti cæleſtes, quibus Deus hoc donum conceſſit, impetrate & illud mihi; ſupplicantes ei, vt talem mei prouidentiam, & mortis meæ gerat, vt ſit principium æternæ vitæ meæ. Amen.

t *Mat. 10. 22.*

ſ. *Thom. 1. 2. q. 109. a. 10. & q. 144 a. 9.*

PVNCTVM II.

DEINDE conſiderandæ ſunt cauſæ, ex quibus altiſſimum hoc beneficium prouenit, vt illud obtinendi ſpem habeamus.

1. *Epheſ. 1 5.*

PRIMA cauſa, eſt infinita BONITAS & MISERICORDIA Dei; quæ videns omnes homi-

homines naturâ ſuâ eſſe inſtabiles; & ob ſuam libertatem & ſimul imbecillitatem, facile eſſe, vt omnes perirent, reſiſtentes mediis generalis ipſius prouidentiæ, voluit aliam maximè ſingularem de aliquibus gerere; in quibus, abſque meritis eorum a *oſtenderet ipſe*, (vt ait Apoſtolus) *diuitias gloriæ ſuæ*, quos propterea appellat *vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam* ſuam, ſicut Meditatione 12. perpendimus. a *Rom.* 9. 23

SECVNDA cauſa eſt, infinita MERITA Chriſti D.N. propter quæ voluit æternus Pater, certam aliquam familiam electorum illis aſſecurare, b *qui conformes eſſent imaginiꝭ* ipſius, *vt eſſet ipſe primogenitus in multis fratribus*, illi ſimilibus in Eſſe gratiæ & gloriæ, ſicut erant in natura. Ex quo fit, vt quamuis hi prædeſtinati pauci ſint reſpectu eorum, qui ſua culpa perierunt, reiicientes conformitatem ipſius Chriſti; abſolutè tamen (vt ait S. Ioannes) c *eſt illorum turba magna, quam dinumerare nemo poteſt*: ſic enim decebat magnitudinem miſericordiæ Dei, & dignitatem Saluatoris, & efficacitatem meritorum eius. II. b *Rom.* 8. 29 c *Apoc.* 7. 9.

EX duplici hoc fonte, magnos concipiam gaudij affectus, ob hanc electionem tot prædeſtinatorum à Deo factam; & confidam, me vnum eſſe eorum; ſiquidem ſalus mea talibus nititur pignoribus; ſi tamen, vt, qui ad Chriſtianiſmum ſum vocatus, d *ſatagam* (vt ait S. Petrus) *per bona opera, certam meam* d 2. *Pet.* 1. 10

voca-

vocationem & electionem facere. nam ex parte Dei, nunquam mihi deerit sufficiens auxilium, ad obtinendam perseuerantiam, & bonam mortem; quamuis ipsius Diuina Maiestas velit, id totum esse mihi occultum, ne quid de Diuino eius seruitio remittam. Ne itaque anima mea, nimiis anxietatibus turberis; sed confidenter proiice te in manus adeò beneuoli Patris, & misericordis Redemptoris, sperans, finituros ipsos perfectè opus, quod sua gratia in te cœperunt. Et quandoquidem ea est eius voluntas, vt tam prædestinatio ipsa, quam perseuerantia tua tibi sit occulta, lauda illum idcirco, & desiste ea scrutanda, neque enim par est velle scire, quod non voluit Deus reuelare, e *sed* (vt ait Sapiens) *quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper*, vt illa impleas; & sic peruenies cum prædestinatis, ad fruendum præmio illorum.

Eccl. 3.22.

PVNCTVM III.

VLTIMO considerabo, multa esse indicia & coniecturas, ad cognoscẽdos eos, qui sunt prædestinati; quæ seriò essent nobis procuranda, tum ad nostram cõsolationem, tum ad resumendum maiorẽ animum: siquidem nulla maior causa lætitię nobis esse potest, quàm *quòd nostra nomina* (vt ipse Saluator dixit) *scripta sint in cœlis.* Hæc signa sunt in primis, audire libenter verbum Dei, obedire occultis eius inspirationibus, conari ei' mandata & consilia opere implere, nomina-

Luc. 10.20

tim

im verò, omnia ipsius amore relinquere; frequentare Sacramenta & orationis exercitia, esse beatissimæ Virgini deuotum, & valde addictum ad misericordiæ opera exercenda; & ipse continuus timor Dei & iudiciorum eius, signum est prædestinationis. etenim enim imprimit cordi nostro Deus, vt vineæ nostrę bonus sit custos. Denique per hęc, quæ diximus, b *ipse Spiritus Sanctus* (vt ait Apostolus, & explicat S. Bernardus) *testimonium reddit* internum *Spiritui nostro, quod simus filij Dei, si autem filij, & cohæredes Christi!* O Rex æterne, supreme c *Pastor, cuius oues* in eo *cognoscuntur, quod vocem tuam audiant*, & vitam tuam imitentur; concede mihi, vt quæ mihi dicis, audiam; & quæ mandas, exequar; vt pignus hoc habeam, quod sim ouis electi tui gregis; & in die iudicij, me ad tuam dexteram colloces, & in regnum tuæ gloriæ tecum deducas. Amen.

b *Rom.* 8. 16 *Serm.* 2. *de Octa. pasch.*

c Ioan. 10. 3.

Ad tollendam anxiam solicitudinem nostræ perseuerantiæ & prædestinationis, iuuerit diligenter expendere, quæ Meditatione 31. sunt posita. vt vero eandem securiorem reddamus, eo modo quo hic fieri potest, plurimum iuuerit, quæ proximè sequitur Meditatio.

Quia nonnulli sunt liberi, qui licet in potestate parentum sint, tamen ex quibusdam causis sui juris effecti sunt: ideo non omnis filius familias, qui testamentum facere potest, etiam intestato decedere potest. Nam si quis ex filiis militaverit, aut praefectus praetorio, vel praefectus urbi, vel consul fuerit, aut ab imperatore inter amicos adhibitus, vel tribunus, aut praefectus legionis fuerit, testamentum facere potest: et quod in eo testamento scriptum fuerit, valebit. Sed si non fecerit testamentum, non ad patrem, sed ad eos pertinet bona, ad quos pertinere debent, si pater non fuisset. Ideo autem de his filiis familias, qui militiae nomine testamentum facere possunt, diximus, quia ceteri filii familias, qui peculium castrense habent, quod a patre vel ex re patris eis adquisitum est, de eo peculio testamentum facere non possunt, quia id peculium ita fit eorum, si nullum testamentum interveniat, ut ad patrem post mortem filii familias non pertineat. Quod autem de militibus diximus, ita demum valet, si in ipsa militia testamentum fecerint. Quod si quis ex his, qui militiae nomine testamentum facere possunt, in militia intestatus decesserit, ad patrem bona pertinebunt. Quod autem de militibus diximus, ita demum valet, si in ipsa militia testamentum fecerint. Quod si quis ex his, qui militiae nomine testamentum facere possunt, in militia intestatus decesserit, ad patrem bona pertinebunt.

Quia nonnulli sunt liberi, qui licet in potestate parentum sint, tamen ex quibusdam causis sui juris effecti sunt: ideo non omnis filius familias, qui testamentum facere potest, etiam intestato decedere potest. Nam si quis ex filiis militaverit, aut praefectus praetorio, vel praefectus urbi, vel consul fuerit, aut ab imperatore inter amicos adhibitus, vel tribunus, aut praefectus legionis fuerit, testamentum facere potest: et quod in eo testamento scriptum fuerit, valebit. Sed si non fecerit testamentum, non ad patrem, sed ad eos pertinet bona, ad quos pertinere debent, si pater non fuisset. Ideo autem de his filiis familias, qui militiae nomine testamentum facere possunt, diximus, quia ceteri filii familias, qui peculium castrense habent, quod a patre vel ex re patris eis adquisitum est, de eo peculio testamentum facere non possunt, quia id peculium ita fit eorum, si nullum testamentum interveniat, ut ad patrem post mortem filii familias non pertineat. Quod autem de militibus diximus, ita demum valet, si in ipsa militia testamentum fecerint. Quod si quis ex his, qui militiae nomine testamentum facere possunt, in militia intestatus decesserit, ad patrem bona pertinebunt.

Quia nonnulli sunt liberi, qui licet in potestate parentum sint, tamen ex quibusdam causis sui juris effecti sunt: ideo non omnis filius familias, qui testamentum facere potest, etiam intestato decedere potest. Nam si quis ex filiis militaverit, aut praefectus praetorio, vel praefectus urbi, vel consul fuerit, aut ab imperatore inter amicos adhibitus, vel tribunus, aut praefectus legionis fuerit, testamentum facere potest: et quod in eo testamento scriptum fuerit, valebit. Sed si non fecerit testamentum, non ad patrem, sed ad eos pertinet bona, ad quos pertinere debent, si pater non fuisset. Ideo autem de his filiis familias, qui militiae nomine testamentum facere possunt, diximus, quia ceteri filii familias, qui peculium castrense habent, quod a patre vel ex re patris eis adquisitum est, de eo peculio testamentum facere non possunt, quia id peculium ita fit eorum, si nullum testamentum interveniat, ut ad patrem post mortem filii familias non pertineat. Quod autem de militibus diximus, ita demum valet, si in ipsa militia testamentum fecerint. Quod si quis ex his, qui militiae nomine testamentum facere possunt, in militia intestatus decesserit, ad patrem bona pertinebunt.

tatione 28. illum est. TERTIVM *fuit, quòd ipsus omnium mearum facultatum & sensuum, & omnes eorum actiones, ita dependeant à Deo, vt sine actuali eius concursu, nihil possim, ne quidem cogitare, sicut ibi fuit expensum.* QVARTVM *fuit punctum, quod etiamsi plurima accepérim, omnia tamen sint nihil, comparatione ipsius Esse Dei, & perfectionum ac virtutum eius, vt Meditatione 6. fuit dictum. Addo* QVINTVM, *quod ex meipso sim fons totius eius, quod est nihil, & eius quod minus est, quam nihil, peccati scilicet; sicut expendimus in Meditatione 4. 1. partis. Hoc inquam totum inuenietur simul collectum in hac Meditatione, cuius argumentum & materia erit similitudo illa, qua frequenter vsus est Christus, dicens:* a Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. quicunque ergo humiliauerit se, sicut paruulus iste, hic est maior in regno cęlorum: *& illud:* b sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos: talium est enim regnum cælorum.

a *Mat.* 1. 83.

b *Luc.* 18. 16

PVNCTVM I.

PRIMVM est consideranda heroica HVMILITAS, quæ in hac Christi Domini cõparatione nobis proponitur; & fructº Diuinæ prouidẽtiæ, qui ex ea colliguntur. cuius causa me in cõspectu Dei constituã, cogitãs,

in terra iacentem, *erigat*; consistentem pedibus, *texeat*; esurienti conuenientem *cibum porrigat*; à meis hostibus oppugnatum *defendat*, doceatq; me orare, ita vt ex parte ipsius prouidētiæ, nunquam mihi desit remedium; id quod magis est in promptu & ad punctum, quàm si fuisset in sola mea libera potestate. Ideoque affectus humilitatis, ac diffidentiæ de me ipso, cò quòd me agnoscam æquè imbecillem, atque si vnus infans, coniungam affectum amoris & fiduciæ in Deum, quem video tanta cura & solicitudine, meo attendere remedio; ne consideratio meæ infantiæ reddat me pusillanimem; sed potius magis animet. nam sicut mater maiorem prouidētiam & curam gerit filioli paruuli, qui nullam sui curam habere potest, aut per se remediū inuenire, quam adultioris filij, qui potest se ipsum iuuare; sic Deus D. N. indulgentem magis habet prouidentiam, & magis particularem humilium, qui se in propriis oculis infantes iudicant, quàm eorum, qui multum sibi arrogantes, magnos & fortes se esse existimant. Et ita ipse ait; g *quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis.* O felicem illum iustum, qui ex humilitate se reputat infantem; quia idcirco fruetur admiranda adeò & indulgente prouidentia. O beatam humilitatem, per quam Dei prouidentia, fructus profert adeò copiosos! O Pater benignissime, quò ego magis miseri-

g *Isaiæ. 66. 12.*

Practica.

IV. PRAE omnibus verò eminet vnio & concordia in tanta multitudine & varietate; quę vnio ſtrictiſſima eſt & iucūdiſſima. oēs enim diligunt ſe mutuo amore quodam ardētiſſimo in Deum, cū ſumma voluntatū cōſenſione, abſque vlla repugnantia, lite, ambitione, aut inuidia. Maiores enim tenerè diligūt minores; cupiuntq; illis quidquid ipſi habent, cōmunicare. Minores intensè diligūt maiores, gaudētes de bono, quo ab illis ſuperātur; Bonū vnius etiam eſt bonū alterius; & bonū omniū, eſt bonū ſingulorū: nam quiſq; accipit alterius bonum atq; ſi eſſet propriū; gaudetq; de illo tanquā de ſuo, propter eminentiam charitatis: oēs ſedent ad eandem menſam diuinitatis, & ex eodem cœleſti poculo hauriunt: eadē omnes habent exercitia, quia eodem ſpiritu, & eidem Deo ſeruiunt, quia k *Deus eſt* in omnibus, & eſt *omnia omnibus*, illos oēs coniungens inter ſe, & ſecum. O Societas beata, in qua nec multitudo cōfundit, nec excellentia inaniter euaneſcit, nec turbat varietas, nec inæqualitas adfert diſſenſionē, aut amorē remittit. Si placet tibi, anima mea, dulcis adeo ſocietas: ſtude ex nunc virtutes imitari, quas in illa animaduertis. Sequere eius obedientiam, amplectens Diuinam eius in terra voluntatem, ſicut illi eam in cœlo exequūtur; imitare fraternam ipſorum vnionem & charitatem, amando proximos omnes ſicut fratres, & pacē cum omnibus colens: Subijcere maioribus, honora

k 1. Cor. 15. 28.

mino-

minores, gaude de omnium bono; & sic in vita imitaberis eos, quos etiam cupis in gloria imitari.

HI sunt præcipui fructus, quos ex hoc puncto percipiam, petens à Deo D.N. vt mihi eos concedat ob merita horum nobilissimorum ciuium, à quibus idem etiam mihi erit petendum, dicendo: O felices Sancti, qui in eisdem periculis fuistis, in quibus nunc ego versor, sed fruimini iam ea quiete, quam ego desidero; adiuuate me vestris precibus, vt vestras imiter virtutes; eoq; perueniam, vt vestrarum coronarum fiam particeps, fruarque vestra societate in æternum, Amen.

MEDITATIO LII.

DE ESSENTIALI GLORIA animæ, & corporis sensuumque eius.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDA in primis est magnitudo gloriæ, quæ propria est animæ, facitque illam plenè beatam: quæ adeò est excellens; vt teste S. Thoma, non potuerit Deus præstantiorem illi beatitudinem communicare; quia hæc continet in se ipsummet Deum; ideoque in hoc *S. Thom. q. 92. Addit.*

iustus fideliſque fueris cum ipſis, omnia implens opere ipſo, quæ illis promiſeras.

II. INTELLECTVS erit plenus Deo, per claram eius diuinitatis & Trinitatis viſionem: ibi videbit d *abſque figura & ænigmatis facie* omninò *ad faciem*, totum Deum, Patrem & Filium, & Spiritum S. & cognoſcet quomodo Pater filium generet, & vterque Spiritum S producat; & quomodo tres Perſonæ vnus ſint tantum Deus, infinitus, æternus, immenſus, & incomprehenſibilis: videbit omnes diuinas eius perfectiones, infinitam eius bonitatem, ſapientiam, charitatem omnipotentiam, & prouidẽtiã. Videbit altiſſima myſteria incarnationis filij Dei, & ſacratiſſimæ eius humanitatis, & ſtupenda opera, quæ Deus operatus eſt, tã naturæ, quàm gratiæ; ita vt omninò ceſſent ignorãtiæ, errores, dubia, & opiniones quas hic habebat. Ceſſabit fides, quia videbit quod credidit; e *& ſpes, quia poſſidebit, quod ſperauit*, & in particulari, videbit clarè ſecreta Dei iudicia, circa hominum gubernationem, quę ipſum hic vexabant, iuxta illud Dauidis; f *extimabam vt cognoſcerem hoc*, iudicia ſcilicet ſecreta: ſed quia ea aſſequi non poſſum, *labor eſt ante me*, & ſolicitum me tenet. Et adhuc magis & in particulari, videbit immenſa ſecreta paternæ prouidentiæ, quâ DEVS ipſum gubernarit, & eius ſalutem direxerit, vt tandem ad exitum perueniret; cognoſcet pericula à quibus ipſum liberauerit, & occulta

d 1. Cor. 13.

e Rom. 8. 24

f Pſal. 72. 16

bene-

beneficia, quæ illi contulerit. Ex quo ad ſummum gaudium occaſionem & motiuum accipiet. Deniq; ibi g *ſatiabitur* deſiderium inſatiabile, quod homines habent ad ſciendum, cùm videbit Deum, in quo ſunt omnia: & aſſequetur modo quodam ineffabili, quod ſerpens dixerat in paradiſo, h *fore ſicut Deos, ſcientes bonum & malum*, gaudens ſummè de bono, & nullam habens partem in malo.

g *Pſal.16.15*

h *Geneſ.3.5.*

III.

VOLVNTAS quoq; erit plena Deo, diuinitati eius cõiuncta, amoris quadam vnione perpetua, continua, intima, & amica, cum omnibus generib. & titulis, quæ eſſe poſſunt amoris ſancti, quia omnes locum habent in Deo clarè diſtincteq; conſpecto; quem volũtas diliget, vt Patrem, vt amicum, vt ſponſum, benefactorẽ, infinitum, ſummum bonũ, primum principium, & vltimum finem ſuũ: ex quo amore emerget i *torrens* quidam continuus, perpetuus, & copioſiſſimus ineffabilium *voluptatum Dei*; ex quo hauriet, *& inebriabitur à* tanta *vbertate domus Dei*, tota immerſa k *in gaudijs* infinitis *Domini ſui*. Ex quo fit vt tota anima plena ſit futura omnib. virtutibus, quarum actus ſumma exerceat voluptate. *Obedientia* enim parebit Deo magna cum delectatione; *Humilitate* totam eidem ſe addicet, & beneuola recognitione ſe mãcipabit; *Religione* reddet illi debitum cultum & adorationem, & cum maxima reuerentia, & gratitudine cõtinuas aget gratias, cum iubilis & canticis & Alleluia perpetuis, nulla

i *Pſal. 35. 9.*

k *Mat.25 21*

enim

enim ibi erit animi perturbatio, nullæ contradictiones, nec aliquid quod impediat aut remittat varietatem istarum delectationum; quæ adeò erunt eleuatæ ac diuinæ, vt nemo l *nisi qui accipit*, probatque eas, nouerit, *sunt enim sicut Manna absconditum*, cuius sapor non cognoscitur, nisi delibetur. l *Apoc. 2. 17.*

IV. Nota.

DENIQVE ad semel assequendã magnitudinem & satietatem gloriæ, hanc rationem expendam, quæ omnes alias complectitur. Quod Deũ facit beatum, illũq; satiat, & infinito gaudio perfundit; sufficiet, vt proportione quadam idem in me efficiat: Cùm ergo Deus, ex quo Deus est, & per totam suã æternitatem sit beatus, satur, & absq; vllo tædio, lætus & exultans, eo solo quod se ipsum videat ametq;, nullâ externâ re ad id indigens: ego quoq; ero beatus, eroque satur, lætus & exultans eo solo, quòd videam Deum, illum amẽ, & eo fruar; ita vt nulla re extra ipsum, ad plenam beatitudinem indigeam, nec in hoc opere vllum sit tædium, nec vlla defatigatio; sed nouitas quædã æterna, & æternitas quædam semper noua; Deum semper vidẽdo, & desiderando semper videre, & gaudẽdo quòd sine cessatione illum videam. O gloria mea, quando te videbo ita clarè, vt saties desideria cordis mei! quando tanta mihi aderit animæ puritas, vt diuinã faciẽ tuã videre liceat? vtinam nunquam feciſſem, quod tuæ bonitati displiceret, & felicem adeò visionem impediret. Accipe, Domine, facul- *S. Thom. 1 p. q. 26. a. 2*

tates

tates oēs animæ meæ, easq; statim occupa in iis, quæ semper sunt factura. *Memoria* mea semper occupetur in te aspiciēdo; *Intellectus* meus in te cognoscēdo; *Voluntas* in te diligēdo; *Lingua* mea in te benedicēdo, *Sensus* & omnia mēbra mea in obediēdo: omnib. exultātib. in te, de te, & propter te, in sæcula. Amē.

Ex dictis intelligā. exercitium orationis mētalis, quæ opus est trium internarū animæ facultatū, vt supra est dictū, esse delineationē quandā & figurā gloriæ; in qua oratione cōsistit beatitudo huius vitæ, quā vocant inchoatā, quæ refert illā, quā anima nostra habebit in cœlo. Quamobrem meritò dixit S. Bern. cellā Religioso esse cœlū: quia exercitia, quæ fiunt in cælo, fiunt etiā in cella, vbi cognoscitur & amatur Deus; vbi Religiosus fruitur Deo, eumq; ex toto corde diligit, ac laudat: ideoq; ipsimet Angeli gaudēt in cellis, sicut in cælis; quia in illis obseruāt orationis opus, quod ipsi præstāt in cælis; & eodē modo cuiuis, orationi addicto, oratorium ipsum erit cælum, si orauerit, sicut oportet.

PVNCTVM II.

DEINDE cōsiderāda est excellentia gloriæ corporis beati, cum quatuor eius gloriæ dotibus, per singulas discurrendo.

PRIMA dos est CLARITAS cum admiranda pulchritudine. tunc enim *iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum*, ad similitudinem corporis Christi D. N. quamquam qui beatior erit, magis quoque splendebit,

Chri-

Christi verò corpus, præ omnibus: Habebit omnium partium suarum, perfectã integritatẽ in magna proportione, cum colore, & figura admiranda, b *absq; vlla* deformitate, *macula aut ruga, aut aliquo huiusmodi*; quo eius splendor obscuretur. Vulnera verò quæ quis in hac vita pro Christo accepit, quorũ in eo cicatrix, aliudue signũ maneat in corpore, erit tanquã encaustum siue gẽmæ pretiosissimæ, quæ illud reddent pulcherrimũ. Præter externam autem pulchritudinẽ, erit quoq; valdè spectabilis, & iucunda interior eiusdem corporis pulchritudo, eò quod erit perlucidũ; in quo apparebit tota harmonia ossium, venarum, & arteriarum, cum ingenti omnium splendore; & propterea comparatur auro quia splendet, & vitro seu crystallo, quod est translucidum.

b *Eph.* 5. 27

S. *Greg.* 27 *Mor. c.* 27 S. *Tho. q.* 85 *Addit. a.* 1

SECVNDA dos est IMPATIBILITAS immortalis, siue immortalitas impatibilis, c *quia nõ esurient neq; sitient amplius*, nec sentiẽt doloreẽ vllũ aut infirmitatẽ, nec mortis metum. nã quãuis sint in medio ignis, nõ cõburẽtur; neq; si flumina aut maria penetrẽt & mergãtur, humectabuntur. Sẽper habebũt talẽ virorẽ, qui nunquã marcescat; talẽ sanitatẽ, quæ nullũ detrimentũ patiatur; & quãdam impatibilitatem æternam, vt & d *cor & caro eorum exultent in Deum viuum*, à quo lætam adeò felicemque vitam accipiunt.

II.

c *Apo.* 7. 16 *Isai.* 49. 10.

d *Psal.* 83. 3.

TERTIA dos est AGILITAS, siue celeritas propter quã ita anima dominabitur in suo

III.

corpore,

corpore, vt possit illud ab vno in alium locũ sine vlla defatigatione aut mora, quæ pœnam aliquam adferat, mouere, sed summa celeritate ac velocitate, instar e *scintillæ*, aut fulguris, *discurrent* per cœlum Empyreum, pro suo libitu, nunc ad thronum Iesu Christi D. N. nunc ad eius Matris sanctissimæ, aut aliorum sanctorum.

e *Sap.3.7.*

IV. QVARTA dos est SVBTILITAS siue spiritualitas, quia nõ subiacebit operib. vitę vegetantis, plusquam si esset spiritus. quare totã vitã ducet sine vllo cibo & potu, sine somno, & aliis operibus, quę sunt bestiis communia: & ideo dixit ipse Saluator, f *in Resurrectione; neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cælo*; vt sint in hoc similes puris spiritibus. Habebit quoque subtilitatem, vt possit in virtute Dei penetrare cælos, & quodcunque aliud corpus, absque vllo impedimento, sicut ipse Christus post suam Resurrectionem, g *cùm fores essent clausæ*, ingressus est in cœnaculum, vbi erant discipuli, & exit ex h *sepulchro, penetrans lapidem, quo illud erat clausum*, vt esset indicium subtilitatis corporis eius glorificati.

f *Mat.22.30*

g *Ioan. 20. 19. 26.*

h *Mat.28.2*

S. Thom. lect.6.in 1. ad Cor.15.

HAE sunt quatuor dotes corporis glorificati; quarum cõsideratione. animum assumã ad patiendum, & sustinendum libẽter miserias & labores huius vitæ, felicitati meæ tribuens eas ita pati; siquidem tantum est illis præmium cõstitutum. O felices ignominias, quarum finis est tantus splẽdor; felices pœ-

nas

nas, quæ efficient corpus esse impatibile; felices labores, qui in præmium accipient tantam quietem & leuamen! O quàm aptè Apostolus dixit: i *non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis* Resume itaque animum anima mea, ad k *mortificationem Iesu in corpore tuo circūferendam*; siquidem corpus tuum ita hic humiliatum, conforme futurum est corpori eius glorificato; amplectere in carne tua eius dolores & cruciatus; siquidem immensam gloriam propterea es acceptatura.

i *Rom.* 8. 18.

k 2. *Cor.* 4. 10.

PVNCTVM III.

TERTIÒ cōsideranda est gloria & delectatio, qua afficientur quinque corporis sensus, discurrendo per singulos eorum.

Doctores in 4. *sent. dist.* 49.

I.

VISVS noster vehemēti delectatione afficietur, videṡ pulchritudinē innumerabilium corporum glorificatorum, in quibus summa erit varietas facierū & figurarū, quæ mirū in modum oblectabunt. Præ cæteris aūt omnibus, delectabitur aspectu sacratissimæ Christi D. N. humanitatis, & splendētiū eius vulnerum; cuius aspectus adeò erit iucundus, vt S. Iob in mediis suis tribulationib. ac doloribus, sese consolaretur spe huiusmodi aspectu, dicēs: a *scio quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum meū, Quē visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius* pro me, *reposita est hæc spes in sinu meo.*

a *Iob.* 19 25.

AVDITVS delectabitur, audiēs dulcissima

II.

verba, quę beati mutuò sibi dicēt, plena sapientia, prudētia, & sanctitate; & laudes Dei, quas ore proferēt, vt dicitur in Apoc. quod b *quatuor animalia requiem non habent, die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens*, & Dauid ait: c *exultabunt Sancti in gloria, exultationes Dei in gutture eorum*, recreabitur quoque auditus, audiens musicas cælestes, & concentus nouos, à sapientia Dei illic inuentos; ad eorum aures oblectandas, quæ in hac vita audiendis ipsius verbis oblectabantur, vt illa crederent; & præceptis, vt ea exequerentur.

b Apoc. 6, 8.

c Psa. 149. 5

III.

ODORATVS recreabitur suauissimo glorificatorū corporū odore, pręcipuè corporis ipsius Christi D.N. de quo ipse dixit: d *vbicunque fuerit corpus*, scil. meum, *illic cōgregabuntur & aquilæ*; Sancti videlicet, eius odore attracti. O quantam fragrantiā, & odorum varietatem, adinueniet ibi pietas Diuina, ad eam carnem recreandam, quæ e *fuit hic bonus odor* in sanctitate vitæ suæ!

d Matt. 24. 28.

e 2. Cor. 2. 15

IV.

GVSTATVS habebit satietatē, & plenam satisfactionem cælestē, absq; vllo fastidio, & nausea, quia Deus D.N. sine cibis ei cōmunicabit suauitatē, quā ex eis accipere potuisset, & quidē multò altiori & sublimiori modo: nam si f *Manna*, cùm esset vnus tantum cibus, *habebat omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem*, cum maiori excellētia, quam ipsi ibi haberēt; vt sic populo suo & iustis Deus in hoc exilio indulgeret, nouerit sine dubio

f Sap. 16. 20

idem

idem Dominus tale saporis condimentum conficere, quod eminenter sapores omnes complectatur, vt suis iam beatis indulgeat.

V.

DENIQVE Tactus qui per totũ corpus est diffusus, replebitur deliciis & voluptatibus sanctis ac puris, ita vt beatus tantus quantus immersus sit torrẽti deliciarum, & voluptatũ Dei. O quã copiosè reddetur ibi præmium sensib. omnibus, ob mortificationes, quas in hac vita sustinuerunt; quãdoquidẽ Dauid ait, g *Secundum multitudinẽ dolorum meorum cõsolationes tuæ lætificauerunt animam meam*, ac porrò etiã corpus meum. O corpus meum, animum magnum concipe ad patiendum pro Christo, vt sensus oẽs tui, gaudio illo fruantur, quo fruũtur sensus eius; h *lætare in his quæ dicta sunt tibi te in domum Domini iturum.* Et quamuis pedes tui moueãtur, & ambulẽt super terram, desiderio tamẽ fige illos in palatiis cœlestibus, & in atriis cœlestis Ierusalẽ. O i *Ierusalem, mater nostra*, quæ es ædificata ex lapidib. viuis tuorum ciuiũ, magna pace inter se ipsos cõiunctorũ; accipe ex nũc cor meum, admittens me in spiritu intra te, vt olim animã simul & corpus admittas. O Deus infinite, Pater Domini nostri Iesu Christi, k *qui secundum misericordiam tuam magnã, regenerasti nos* in Esse gratiæ, & *in spem viuam* obtinendi *hæreditatem incorruptibilem; & incontaminatam, & immarcessibilem conseruatam in cœlis*, quam custodis per viuam *fidem* in tuis electis, quibus eam *reueles in tempore*

g Psal. 93. 19

h Psal. 121. 1

i Gal. 4. 26.

k 1. Pet. 1. 3.

nouissimo; regenera me propter bonitate
tuam in Esse filij tui, conseruans in me ser
per gratiam tuam, vt obtineam supernam
stam gloriæ tuæ hæreditatem. Amen.

MEDITATIO LIII.

DE GLORIA COELESTI, QV
præmia complectitur octo Bea-
titudinum.

MAGNITVDINEM *glor*
declarauit Christus Dominus n
ster in sermone habito in mon
exprimens illam septem illis pr
mijs, quæ promisit actibus virtutum heroic
rum, quas beatitudines nominauit; de quib
susè actum est in tertia parte, Meditatione v
decima. Illis ergò præmissis, meditabimur nu
eadem septem præmia, quatenus inueniuntur
cœlesti gloria.

PVNCTVM I.

PRIMVM est considerandũ, hãc gloriã e
se REGNVM illud CŒLORVM, quo
Christus Dominus promittit *pauperibus sp*
ritu, & iis, *qui persecutionem patiuntur propt*
iustitiam. quod regnum non est aliud, qua
clara Dei visio, & possessio infinitarum ei
diuitiarum, cum sanctitate, a *iustitia*, *pace*,
gaudio in Spiritu sancto, quæ habent Sancti
cælo Empyreo: In quo vnaquæque harum r
rum est, cum magna eminẽtia. nam ipsa D

a *Rom.* 14. 17.

visi

visio, est clarissima, absque vlla admixta obscuritate; diuitiæ illæ sunt absq; vllo defectu & paupertate; sanctitas est pura, absq; vllo genere malitiæ: iustitia, absq; vlla inæqualitate aut iniuria; pax est solida, absq; vlla dissensione & discordia; gaudiũ absq; omni vestigio doloris aut tristitiæ. b *Hoc Regnũ est intra vnumquęq;*: & quisq; possidet illud integrè, absq; dependẽtia ab vllo alio. Nam, etsi vnicus tantum fuisset Beatus, ille habuisset regnũ suum integrũ; licet ex consortio dulciq; societate reliquorum Beatorum, accrescat illi non exiguum gaudiũ. Hinc est, quòd singuli habitatores cœli, accipiant hoc regnum, tanquam suum; ita vt sint veri Reges, & vehementer exultent de Regia sua dignitate, qua simul regnant cum supremo omnium Rege, qui est Deus: ideoq; Triumphãs Ecclesia appellatur c *Regina*, quæ est *à dextris* sui Sponsi, *in vestitu deaurato, circumdata varietate*, plurimorum donorum & virtutum, prout decet sponsam supremi Regis. Quid ergo gloriosius esse potest, quã tale Regnum possidere, & esse Regem in societate tot clarissimorum Regum, d *quorum minimus*, incõparabiliter *maior est* omnibus Regibus terræ. O Rex Regum, & Domine Dominantium, gratias tibi, quod tuis seruis in prȩmium cuiuscunque etiam parui obsequij, tradas regnum adeò excellens. O Regnum infinitum, & cœlum immensum, coangustatum ad cor iusti, & comparatũ operibus iustitiæ

b *Luc.* 17.21

c *Psal.* 44.

d *Mat.* 11.11

e Mat. 6.33 eius! e *si omnia huius mundi bona adijciuntur quærenti primùm hoc Regnum*, qualia erunt bona, quæ reddentur vt merces præcipua ei qui dignus est, illud obtinere. O felices illos qui se ipsos humiliant, & sponte pauperta-tem amplectuntur aut humiliationem & per-secutionem patiuntur propter iustitiam. qu tale regnum pro præmio suo habebunt. f *Ad-*

f Mat. 6.10. *ueniat*, Domine ad me *regnum tuum*, & g *in-*

g Luc. 17.21 *grediatur meipsum*, vt ego ipsum ingrediar & te fruar in æternum. Amen.

PVNCTVM II.

SECVNDÒ est perpendẽdũ; quod cœlesti gloria, sit felix illa POSSESSIO TERRÆ, quæ promittitur *mitibus*, quę hãc, quã pe-dib. calcamus, tãto excellit, quãto stellarum cælum magnitudine, pulchritudine, ac splẽdore eandẽ excedit. hæc .n. terra, est habita-tio morituroru̇̃, & sepulchrum eorũ, quos in puluerẽ cõuertit; Est vallis lacrymarum, exi-lium Patriæ nostræ, miseria plenũ, quia est terra maledictionis, arida, & sterilis, ob cul-pã eius, qui fuit primus eius incola; TERRA

a Psa. 114.4 verò, quæ hic promittitur, est a *Regio viuo-rum*, in qua nullus potest mori, & oẽs cõmu-tant terrenam vitam cum cœlesti; est valli deliciarum, in qua fluunt lac & mel diuina-rum consolationum: nulla ibi suspiria, nulla lacrymæ, nec earum occasiones; est terra be-nedictionis & irrigua cum stupenda fæcun-ditate. nã (vt ait S. Ioã.) cõtinuè irrigatur *flu-*

b Apoc.22.1 *uio aquæ viuæ*, splendidæ instar b *crystalli*, qu-

procedu de sede Dei & Agni, & ex vtraq; parte fluminis plurima sunt ligna vitæ, quæ afferunt fructus duodecim in anno, *per menses singulos*, reddentia *fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium.* O felicissimam terram, in qua continuè perpetuoq; manat aqua viua & clara visionis diuinitatis Dei, & humanitatis Agni Christi Iesu; cuius habitatores sunt sicut arbores vitæ; qui semper humectantur aquâ huius diuini fluminis; cui⁹ virtute producunt innumeros fructus recentium gaudiorum & deliciarum. O felices arbores, quarum folia adferunt salutem gentibus, qui degimus in hac terra. nam propter testimonia, quæ de eis audimus; & protectionem, quam in eisdem habemus, speramus nos victuros cum eis in cœlo. O quis mihi felicis huius terræ possessionem daret! ò anima mea, dilige mansuetudinem Agni Iesu, vt tradat tibi supernam hanc terram in possessionem, quò non possunt peruenire c *hædi*, qui in die Iudicij *ad sinistram eius* collocabuntur, sed *Agni* tantum; qui erunt *ad eius dextram.* c *Mat.* 25.33

PVNCTVM III.

TERTIO est considerandum, gloriam cœlestem esse CONSOLATIONEM, quæ promittitur *lugentibus.* Vbi hęc sunt perpendenda; quis ille sit, qui consolatur, quibus rebus, quo modo, & quanto tempore cõsoletur. QVI consolatur, est ille, qui per excellentiam appellatur a *Paraclitus*, & b *Deus totius consolationis*, & à quo procedit a *Ioa.* 14.1.6 b 2. *Cor.* 3.3

omne, quod nos poteſt conſolari; & in cœlo hoc efficit eminenter.

IBI enim ſunt res innumeræ, quæ ſumma excellẽtia conſolãtur. nã cõſolatur ipſa clara viſio Dei, & humanitatis Chriſti, præſẽtia glorioſiſſimæ eius matris, ſocietas & conſortiũ Hierarchiarũ, Angelorũ, ſuauiſſima conuerſatio cũ Chriſto Patriarcharũ, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, & reliquorũ Sanctorũ felicis illius curię cęleſtis; vbi quiſque eſt alterius cõſolator quatenus omnium bona conſolãtur vnumquemq; : Conſolatur ſecuritas loci, æternitas illius ſtatus, pax cõſcientiæ, quæ exſuperat omnem ſenſum.

QVIS verò modũ explicet talis cõſolationis? non enim cõſolatur ibi Deus, culpas & peccata cõdonãdo, triſtitiaſq; leniẽdo; ſed vtrumq; horũ in æternũ inde repellẽdo; ibi c *gaudium & lætitia inuenitur, gratiarum actio, & vox laudis*, & d *per vicos eius ſemper Alleluia cantatur*, quibus cor recreatur.

ET tota hæc cõſolatio erit ęterna, abſq; vlla vnquã ceſſatione; quia oẽs e *ſunt* iam *intra gaudium Domini ſui*, & f *nemo gaudium illud tollet ab eis*. O vita beata, in qua cõſolatio æquè æterna eſt atq; ipſa vita; & vita æquè æterna, atq; ipſe Cõſolator! felix qui *luget* in hac vita mortali; ſiquidẽ recipiet talẽ *cõſolationem* in immortali. O Deus ſpei, g *reple me omni gaudio, pace*, & cõſolatione, *in credendo* magnalia tuæ gloriæ, vt huius vitæ dolores & cruciatus tolerem, ſpe firma futurarum

c Iſaiæ. 51. 3.
d Tob. 13. 22
e Mat. 25. 21
f Ioan. 16. 22
g Rom. 15. 13

conſo-

cõsolationũ, quas mihi daturus es in futura.

PVNCTVM IV.

QVARTÒ est considerandũ, quod gloria cœlestis sit illa SATVRITAS, quæ promittitur *esurientibus & sitientibus iustitiã*: quæ saturitas est quædam abundantia rerum omnium, quas possunt homines rationabiliter desiderare. Vbi est perpendendum, quod hæc terra sit locus perpetuæ famis & sitis.

NAM aliqui esuriunt escas & delicias carnis, alij diuitias, honores ac dignitates huius mũdi: alij sitiũt scientias & curiositates sensuum: alij denique sitiunt virtutes & gratias cœlestes: nec quisquam in hac vita vnquam satur esse potest: quia temporalia bona non possunt implere desiderium nostrum; spiritualia autem dantur in certo pondere & mẽsura, semperque supereſt appetitio crescendi in eis. idcirco enim dicit Sapientia: a *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient.* At Cœlum, est locus satietatis, & quidem plenæ: nam (vt ait Dauid) b *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* ea enim visio adeò ditat & exaltat Beatum, vt omnes diuitiarum & excellentiarum huius mundi appetitiones excludat: eò quòd omnia hæc comparata cum ipsa Dei visione, sint miseriæ & abiectiones. Illa enim visio, desiderium explet sciendi. nam, viso Deo, omnia videntur, quæ desiderari possunt: illa explet etiam sitim & desiderium virtutum; quia illis adfert cõplementum & vltimam perfectionem. Et

a *Eccl.24.29.*

b *Psal.16.15*

licèt hoc duret per totam æternitatem, nunquam tamen tædium adfert, sed quotidie potius oblectat, ita recens atq; erat initio. Deniq; ibi implebitur quod scriptum est, c *præcipitabit omnem mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie*: & illud: d *Non esurient neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, nec vllus æstus: quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Esuri, anima mea, hanc gloriam, quæ sola sufficit te plenè satiare; esurias quoque & sitias, iustitiam, sine qua non poteris assequi gloriæ magnitudinem.

c *Isaiæ.* 25.8

d *Apoc.*7.16 *Isai.* 49.10.

PVNCTVM. V.

I. QVINTÒ considerandum, quod gloria cœlestis, est illa PLENITVDO MISERICORDIAE; quæ promittitur *misericordibus*. est autem perpendendum, tria esse diuersa loca pro tribus diuersis hominum generibus, *Infernum* videlicet, *Cœlum & terram*, quæ media est inter vtrumque; quæ (vt ait Apostolus) est sicut magna quædam a *domus, in qua non solum sunt vasa aurea & argentea sed & lignea, & fictilia; & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam*; & b *quædam sunt vasa iræ apta in interitum*, ob illorum peccata, *alia vasa misericordiæ, quæ præparauit ipse in gloriam*, in præmium bonorum operum ipsorum, quę in Diuina gratia fundantur.

a 2.*Ti.*2.20

b *Rom.*9.21

te à culpis & animi perturbationibus, & sic fies vas sanctificationis, in quo deponat Deus nunc thesauros gratiæ suæ, & postea etiam thesauros gloriæ, Amen.

CIRCA *hoc punctum, videri possunt quæ dicta sunt in Meditationibus de charitate & misericordia Dei.*

PVNCTVM VI.

SEXTÒ considerandum, cælestem gloriam esse claram illam VISIONEM DEI, quæ promittitur *mundis corde*, in qua beatitudo nostra consistit.

CIRCA quod perpendendū est PRIMÒ, quod sicut in terra, parētes quando filias tradunt nuptui, dant illis dotes & pretiosa donaria, quibus se ornant; & ipse spōsus eo die quo sponsam in domum suam deducit, eidē tradit pretiosa monilia, ita Pater æternus vnicuiq; animæ filij sui sponsæ, die quo inducitur in Cœlestem domum, in qua matrimonium hoc spirituale perficitur, tradit tres pretiosissimas gloriæ dotes, respondētes tribus Theologicis virtutibus, quas in hac vita habuit, quibus cum exornata est pulchriorque reddita, impletur eius beatitudo.

I. IN præmium FIDEI dat illi excellentissimum *gloriæ lumen*, quo clarè videt Deū, omniaq; illa mysteria, quæ credidit in hac vita, nullo amplius occultato, vt impleatur quod dixit Dauid: a *In lumine tuo videbimus lumen*, & b *in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, quoniam gloria*

a *Psal.* 35 10
b *Psal.* 88 16

virtu-

virtutis eorum tues. O quam c *dulce est* hoc *lumen, & quam delectabile est oculis videre solem!* O Sol iustitiæ, reple me diuino isto lumine, vt te videam in tua gloria, & splendore

c Eccl. 11. 7

II.

IN præmium SPEI, datur secunda dos, quæ dicitur *comprehensio*, habere scilicet semper præsentem & quasi in proprietate & possessione, quicquid in hac vita existens, sperabat ac desiderabat. ibi enim habet sibi præsentissimum Deum suum, Patrem suum, Sponsum, & vltimum finem suum, omneq; bonum, quo fruitur tanquam re, quam in sua potestate habet, quam magna securitate, nũquam eam amittendi, aut ab ea recedendi, cõplectitur. Sic enim eousq; cucurrit, vt cõprehenderet. Et in primo illo cœlesti ingressu statim dixit: d *Inueni quem diligebat anima mea, tenebo eum nec dimittam.*

d Cant. 3. 4

III.

IN præmium CHARITATIS, datur ei tertia dos gloriæ, quæ vocatur *Fruitio* siue Amor, diligere videlicet summè bonum, quod videt; & gaudere de conuenientia & bonitate, quam habet, cum gaudio illo & voluptate ineffabili, quæ ex eo in ipsa oritur, quòd se videat ei coniunctam, quem tantopere diligit, amans sicut amatur, & fruens mutuo isto amore. Et ita dicit: e *dilectus meus* totus *mihi*, *& ego* totus *illi*. Dilige anima mea, cordis puritatem, exacuens has tres virtutes, quò DEUS tibi det tres suas glorioſas dotes. O Pater luminum, da mihi lumen tuæ gloriæ, vt videam quod credo lumine fidei.

e Can. 2. 1

O ver-

O verbum Diuinum, animarum Sponſe, da temetipſum mihi, vt ſecurè poſſideam, quod cum ſpe deſidero. O Spiritus ſanctiſſime, oſtende mihi tuam bonitatem, vt cum ſaturitate fruar eo, quod amo cum charitate.

PVNCTVM VII.

VLTIMÒ eſt conſiderandum, quòd cœleſtis gloria ſit perfecta ADOPTIO filiorum Dei, quæ promittitur *pacificis*. Perpendam itaq; quod ſicut CHRISTVS D.N. bis fuit declaratus filius Dei; primùm ſtatim poſt Baptiſmum; deinde in Transfiguratione, veniente ſuper eum Spiritu ſancto in figura columbæ, aut nubis, ſonante voce Patris ac dicente: a *Hic eſt Filius meus dilectus*; ita Iuſtus bis declaratur & promulgatur filius Dei adoptiuus. *Primùm* in hac vita mortali, quando vocatur & iuſtificatur per Sacramenta, quibus illum extollit, talibuſque gratijs & donis illum exornat, vt manifeſtetur dignitas filij Dei, vt indicauimus in Meditatione de Chriſti Baptiſmo. Sed hæc adoptio filiorum adhuc eſt imperfecta, quia periculo eſt expoſita, ne ob noſtram culpam illâ excidamus. Quare etiam ſanctiſſimi, quales erant Apoſtoli, b *qui primitias ſpiritus habebant, & ipſi intra ſeipſos gementes, adoptionem filiorum Dei exſpectabant*, perfectionem ſcilicet primæ adoptionis, accedéte alia adoptione perfectiori, per Chriſti Domini noſtri transfigurationem ſignificata, quæ tribuitur animæ, eo die, quo ingreditur in cæleſtem

Matt. 3. 17 *Luc.* 9. 35.

Mart. 3. *Met.* 3.

Rom. 8. 23

lestem gloriam, & accipit possessionē hæreditatis, filijs debitę, cum iure recipiendi in fine mundi corpus glorificatum, cum quatuor dotibus gloriæ, quæ supra fuerunt positæ; & tunc manifestat magis Deus dignitatē eorū, qui sunt ipsius filij: vt enim ait S. Ioannes, c *Nunc filij Dei sumus; & nondum apparuit, quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* O Pater amantissime, gratias tibi pro suprema hæreditate, quam dilectis filijs tuis largiris, licèt hic eos nonnihil in humilitate contineas, & duriusculè tractes, d *quia flagellas omnem filium quem recipis?* Quamuis e cōplaceas tibi in eo tanquam in filio; quia statuisti eum exaltare, & honorare, hæredem regni tui illum constituendo. O si ego hac spe filiationis huius perfectæ ita excitarer & exultarem, vt vitam ducens, sicut filium talis patris decet in terra; ipse me gloria sua coronaret in cœlo, Amen.

3. *Part. Medit.* 21. 22

c *Prou.* 3. 11

c 1. *Ioan.* 3. 2

d *Heb.* 12. 6.

MEDITATIO LIV.

DE GLORIA COELESTI, QVATENUS complectitur septem præmia, quæ Christus in Apocalypsi vincentibus promittit.

GLORIAE cœlestis præstantiam expressit etiam Christus D.N. in Apocalypsi S. Ioannis; indicans septem genera præmiorum, quæ promittit se vincentibus daturum; vincentibus scilicet Dæmonem & eius tentationes,

carnem

carnem & eius passiones; mundum & vanos eius honores, tyrãnos & eorũ persecutiones; ac deniq; vincentibus seipsos, propriasq; voluntates mortificantes, cum perseverãtia vsque ad mortem: in quibus promissionibus proportionatur semper præmium & corona, cum modo pugnæ, in quâ fuit obtenta victoria, vt in subiectis punctis apparebit.

PVNCTVM I.

PRIMVM ergo considerandum, quod cœlestis Gloria, est præmiũ illud, quod promittit Christus D. N. perseverantibus in primo FERVORE; aut per pœnitentiam ad eum redeuntibus, dicens: a *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei.* in quibus verbis perpendendum est, quæ ista sit arbor vitæ, in quo paradiso consita, & quid sit de ea comedere, ac denique, cui ad comedendum detur.

a *Apoc.* 2.7.

I. PRIMO, ARBOR VITAE est ipsemet Deus cum omnibus suis excellentijs & perfectionibus. Fructus eius sunt opera, quæ ab ipso procedunt; siue intra ipsum maneant, qualis est generatio æterni Verbi per cognitionem, & productio Spiritus Sancti per amorem; siue extra ipsum, qualis est creatio & gubernatio mundi, sanctificatio & glorificatio Electorum, quæ vocatur arbor vitæ, quia semper in seipso viuit, & ipse est b *vita* infinita, & c *apud ipsum est fons vitæ* tã naturæ & gratiæ, quàm gloriæ & vitæ æternæ. O Trinitas beatissima, gaudeo quòd sis arbor

b *Ioan.* 1. 4.
c *Psal.* 35. 10

vitæ,

fructus comedere huius arboris vitæ in æternum, Amen.

PVNCTVM II.

DEINDE considerandum, Gloriam cęlestẽ etiam esse præmium illud, quod CHRISTVS Dominus promittit ijs, qui fuerunt fideles in omnibus tentationibus & persecutionibus, vsq; ad mortem, dicens: a *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ, & qui vicerit, non lædetur à morte secunda.*

a Apoc. 2. 10

I. CIRCA quod est considerandum primò, quòd qui in hac vita superantur à Dæmone & eius ministris, & ob metum aut torporem succumbunt peccato, quamuis aliquo breui tẽpore euadant mortẽ primam, quæ est mors uaturalis, iam inciderunt in mortẽ secundã, quæ est peccatum, & deuenient ad æternam, quæ est in inferno, ita vt non solùm non sint gustaturi arborem vitæ, quæ est in paradiso deliciarum, sed etiam sint mittendi in abyssum pœnarum; vbi dabitur illis vt comedãt de arbore (si ita dicere licet) mortis, cuius fructus sunt b *ignis & sulphur*, vermes, serpentes, fletus, & stridor dentium, *bibentq; de calice* amarissimo *iræ Dei*, vsque ad fœces.

b Apoc. 14 10.

II. CONTRA verò qui vincunt, quamuis aliquid patiantur quoad mortem primam, quia solent interdum in ipsa pugna quoad corpus occumbere, sicut euenit Sanctis Martyribus, euadunt tamen omnino mortem secundam, peccatum scil. & infernũ, à qua DEVS illos liberat,

berat, ac donat *corona vitæ*, id est corona immortali, quæ semper viuat; & quidē vita adeò felici, vt ipsa sit corona victoriæ suæ Ex quo efficitur, vt mors prima, quæ est corporis, illis non noceat, sed potiùs sit illis vtilis, & ex ea magis ipsi lætentur; quia est illis trāsitus ad verā vitam. nā vt ait Sapientia, c *Iustorū animæ in Dei manu sunt, ideoq; non tanget illos*, quod est *tormentum*, & malitia *mortis*. c Sapi. 3. 1.

DENIQVE in die Iudicij, eosdē liberabit à morte prima corporis: nā qui victi fuerint; III.
resurgent ad talem vitam; quæ verè est mors secunda: quia d *mittentur in stagnum: ignis & sulphuris, vbi cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum*. Victores autē resurgent ad nouam vitā glorioſam: e *In quibus secunda mors non habebit potestatem*, quia eorum corpora non solùm erunt immortalia, sed etiam impatibilia, splendentia, & iucunda, ob nouam illā vitam. O Saluator mi, aperi aures animæ meę, vt audiā, quid tuus Spiritus dicat Ecclesijs; & adiuua me pugnare cōtra hostes meos & tuos, eo feruore & fidelitate, vt licet moriatur corpus, non patiatur anima, nec me tangat mors æterna. Cōcede mihi, ita fideliter in obsequio tuo perseuerare vsq; ad mortem, vt à te accipiam coronam vitæ, Amen. d *Apoc.* 20. 10. e *Apoc.* 20.

PVNCTVM III.

TERTIÒ est considerandum, etiam Gloriam esse prę̄mium quod promisit Christus, resistentibus suis hostibus, & eorum cōsortium vitantibus, dicens illis a *Vicenti* a *Apoc.* 2. 1

dabo Manna abscónditum, & dabo illi calculum candidū, & in calculo nomē nouum scriptū, quod nemo scit, nisi qui accipit. CIRCA quam sententiā est perpēdendū, quid sit illud māna, ꝙ promittitur, quid calculus cādidus, & nomē nouum, & quis sit is qui accipit, & scit illud.

I. PRIMVM, MANNA est dulcedo diuinitatis, quæ in ipsa gloria percipitur; quæ sicut alterū illud Manna, eminentissimo quodam modo b *cōtinet omne delectamentū & omnis saporis suauitatē*, quā posset adferre diuitiæ, dignitates, amici, & cæteræ res creatæ; & quā sensus oēs percipere posset, hac ratione manifestans *dulcedinem suam, quā habet in filios.* sed vocat illam *Manna absconditum*, quia est occulta, & hominibus in terra hac degētibus incognita; iustis tamē in Cœlo, quia eā experiuntur, est notissima; imò & iusti in terra existētes habēt nescio quid eius, quod delibant. Quamobrē dixit Dauid; c *quàm magna est multitudo dulcedinis tuæ, quā abscondisti timentibus te*? multitudo est propter varietatē fauorum cœlestium, quos in se cōtinet; magna verò est, propter præstantiam singulorū. O quam dulcis est Dei sapientia, illam vidēti; & quàm suauis eius bonitas illam amanti! quantamcunq; dulcedinem voluntas nostra potest appetere, tantam & multò adhuc maiorem dabit nobis in gloria Diuinitas eius.

b Sap. 16 20

c Psa. 30. 20

II. DEINDE CALCVLVS ille CANDIDVS, qui datur in gloria, est pretiosissimum internum testimonium, quod Beato dat De-

us, quo

us, quo agnoscit ipse approbatum se esse, & electum ad eiusdē Dei fruitionē, cum certissima securitate, quòd nunquā sit reprobandus, aut ab illa gloria excludendus, nec dandus sit illi niger calculus, qui datur infelicibus, in signū æternæ eorū reprobationis & dānationis. appellatur autē *calculus candidus*, eò quòd illū det Spiritus S. ijs, d *qui dealbauerunt stolas suas*, scilicet animas, *in sanguine agni*. Est autē prerioſus calculus, qui datur cū delicioso Manna, ad conuiuas oēs ditandos, & certos securosq; reddendos de sui cōuiuij perpetuitate. Quod si in hac vita ita iustum lætificant e *testimonia, quæ Spiritus sanctus reddit eius spiritui, quod sit filius Dei*, & f *quod nomen eius scriptum sit in libro vitæ*; quanta illa erit lætitia, cernere se iam, non cum testimonijs dubijs aut incertis, sed euidentibus ac certissimis, quod fruiturus sit æternùm dulcedine, quā cœpit degustare? in die autē iudicij, Electis & Victoribus dabit Christus D. N. hunc *calculum candidum*, quæ erit sententia publicæ & manifestæ approbationis, qua dicet: g *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod præparatum est vobis ab origine mūdi*: reprobis aūt, qui victi fuerunt, dabit *calculum nigrum* sententiæ damnationis illorum. Quamobrem attende, anima mea, quomodo vitam tuam ducas, quia in hora mortis, est causa tua examinanda, & calculi dandi, & suffragia ferenda circa vitam tuam: attende autē, calculum siue suffragium non es-

d Apoc. 7. 14

e Rom. 8. 16
f Apoc. 20. 12 & 21. 27.

g Matt. 25. 34.

se nisi vnum, quia iudex tantũ est vnus: quod si malè vixeris, suffragium & calculum dederit nigrum, tuæ videlicet condẽnationis; contrà, si benè vixeris, proferet *calculum dandum* tuæ approbationis & Saluationis.

III. TERTIÒ NOMEN NOVVM quod est Scriptũ in *calculo* est nomen Filij Dei & hæredis regni eius; quod nomen exprimitur illa approbatione. nã tunc dabit Spiritus S. electis h
Rom. 8. 16 *testimoniũ, quod sint filij Dei, & si filij, & hæredes; hæredes quidẽ Dei, cohæredes autẽ Christi.* Vocatur autẽ hoc, *nomen nouum*, quia perfecta adoptio filiorũ, & hæreditas gloriæ cælestis, de nouo illis datur; & cõseruabitur in ea nouitate in æternũ; cuius tanta est excellentia, vt impossibile sit eam cognoscere, aut vt par est æstimare, nisi cũ recipitur in gloria. O felices illi, qui peccata vincunt: siquidẽ tale præmium, pro sua victoria sunt accepturi ô quàm erunt læti cũ illo cibo *Manna*! quã diuites & contenti cũ *candido* illo *calculo* perpetuæ suæ approbationis! & quàm honorati
1. Ioan. 3. 1 ac glorioſi, cũ h *nouo illo nomine filiorum Dei*, quãdo sci. *apparuerit, quod futuri erant, & similes ei erunt videntes eum sicuti est*: imò etiã ipsi dãnati, in quadam veluti vmbra & rudi horũ omnium cognitione quã in die iudicij
Sapi. 5. 5. habebunt, clamantes & eiulantes dicẽt. i *Nos insensati, vitã illorum æstimabimus insaniã, & finẽ illorum sine honore: ecce quomodo cõputati sunt inter filios Dei, & inter Sãctos sors illorum est.* O Sancti glorioſi, quorum sors adeò fuit

felix,

felix, vt *candidus calculus* æternæ approbationis vobis cõtingeret; impetrate mihi à cœlesti Patre, qui vos in filios & hæredes accepit, vt ita meã vitã instituã in terra, vt eandẽ vobiscum sortẽ obtineam in Cœlo, Amen.

PVNCTVM. IV.

QVARTÒ considerandum, Gloriam cœlestem esse quartum illud præmium, quod promittit Christus a *vincenti & custodienti vsq; ad finem opera ipsius*, præcepta scil. quæ ipse seruanda iussit, & opera quæ ipse fecit; & ita ait illi: *Dabo illi potestatem super Gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquã vas figuli confringentur; sicut & ego* eam potestatem *accepi à Patre meo: & dabo illi stellam matutinam.* a *Apoc. 2. 26*

CIRCA quod perpendendũ est primùm, quanto honore Christus D.N. eos Sanctos afficiat, qui in hac vita fuerunt oppressi, & à peccatoribus vexati, commutat enim eorum sortes: nam iustis dabit potestatem super Gentes, à quibus fuerunt afflicti, etiamsi Reges sint & Principes; quos tenebunt sub pedibus suis, & exultabunt ob iustitiam & seueritatem Dei, qua illos castigabit seuerè in virga ferrea, confringens illos tanquam vasa terrea, quæ non sunt vtilia. Quapropter dixit Dauid; b *Exultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis. Exultationes Dei in gutture eorũ: & gladij ancipites in manibus eorũ. Ad faciendã vindictã in nationibus, increpationes in populis: Ad alligandos Reges eorum in* b *Ps. 149. 5.*

I.

compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. vt faciant in eis iudicium conscriptum & decretum: *gloria hæc est omnibus sanctis eius.* O gloria vera, gloria solida, & ineffabilis, ad honorandos sanctos à Deo ipso destinata! O c *quã honorificati sunt amici tui Deus, & quã cõfortatus est principatus eorum*, quibus tu eam potestatem tribuis, quam à tuo Patre accepisti; eò quod imperio tuo subiecti vixerint. Gratias tibi Domine, pro eo honore, quo illos afficis, concede mihi illos imitari in hac vita, vt earum particeps fiam gloriæ. Amen.

c Ps. 138. 17.

II. STELLA MATVTINA; quæ est danda, est IESVS Christus, verus Deus & homo, qui seipsum hoc nomine cõpellat. nam quà Deus, d *genitus est à Patre suo, in splendoribus sanctorũ, ex vtero eius ante Luciferum*; quà vero homo, natus est in mundo, & postea resurrexit; tanquã principiũ lucis, & primitiuæ resurrectionis. Hanc stellam dat Christus victoribus, & ipsum in suis operibus imitantibus, vt ipsum videant & fruantur, eoq; perueniant, vt ad ipsius etiã imitationẽ, sint ipsi *stellæ* in firmamento, & participes eius glorioſæ resurrectionis, resurgentes in corporibus glorificatis similibus corpori ipsius. O IESV amantissime, qui natus es tanquã stella matutina, ad expellẽdas è mũdo tenebras ignorantiç, & tritias, ac amaritudines culpæ; fac me stellam in militanti tua Ecclesia, vt in eo splẽdens lumine vitæ ac doctrinæ, sim quoq; postea stella splẽdens in Ecclesia triũphanti in æternũ. Amen.

d Ps. 109. 3.

PVN-

PVNCTVM V.

QVINTÒ considerandum, gloriã cælestẽ esse 5. præmium, quod Christus D. N. promisit iis, a *qui non inquinauerunt vestimenta sua, & quorum opera coram Deo sunt plena*; quib. ipse dicit; *Qui vicerit, vestietur vestimẽtis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ; & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius.* In quibus verbis includuntur tres gloriæ ipsius excellentiæ, quas reddit Deus in præmium victoribus.

a *Apoc.* 3. 2. 4. 5.

PRIMA est, quòd *vestientur vestimentis albis*, quia exornabuntur animæ eorum pretiosissima veste gratiæ, & luminis gloriæ cũ diuina quadam puritate; & replebuntur perpetua lætitia: Et eorũ corpora, vestiẽtur quoq; pretiosa veste immortalitatis impatibilis, & impatibilitatis splẽdẽtis, & splẽdoris pulcherrimi, supra pulchritudinẽ solis; adimpleturq; illis quod scriptum est, b *in terra sua duplicia possidebunt, vestimentũ. S. salutis, & indumentum iustitiæ.* O dulcis Redẽptor, gratias tibi pro iis gloriæ vestimẽtis, quæ in cælo præparasti pro iis, qui in terra gratiæ tuæ vestẽ induerunt; indue me quæso, veste hac tua, vt fiam dignus, quẽ aliis illis postea induas.

I.

b *Isai.* 61. 7 10.

SECVNDA excellentia est, quòd *non delebitur nomen eorum de libro vitæ*; securos scilicet eos reddens, quod æternum sint cum ipso mansuri in gloria; & sicut ab ipsa sua æternitate, illos scripsit in suo intellectu & voluntate, eos eligens vt essent beati; ita per

II.

totam quoque æternitatem permanebunt; ac
Apoc. 20. porrò certos faciēs, nunquam fore, vt *c mittantur in ſtagnum ignis*, quò illi mittentur, qui ſcripti non ſunt in illo libro.

III. TERTIA excellētia eſt quod *eos cōfitebitur* laudabitq; *corā Patre ſuo, & Angelis eius*, honori ſibi ducēs, quod illos habeat ſecum; & manifeſtans ſeruitia ſibi ab ipſis exhibita, vt omnes idcircò illos honorēt. Quod ipsū ex-
Luc. 9. 26. plicati⁹ adhuc faciet d *in die iudicij*, corā vniuerſis hominibus etiā iniquis; tum ad ipſorū iniquorum confuſionē; tum vt videāt, quàm fideliter ipſe impleat quod promiſit, honorare ſc. eos, qui ipſi fideliter ſeruiūt. O Deus æterne, qui e *nō confunderis vocari Deus Abra-*
Heb. 11. 16. *hā*, & reliquorū *iuſtorum*, qui peregrinantur in terra, *quib.* ditiſſimā & nobiliſſimā *paraſti ciuitatem* in cœlo, gratias tibi, ob hunc honorē, quo illos afficis. Supplico Dñe demiſsè ne cōfundaris accipere me in ſeruum tuū; ne me à regno tuo repellas in æternum. Amen.

PVNCTVM VI.

SEXTÒ conſiderandum, cœleſtem gloriam eſſe præmium 6. quod promittit Chriſtus D. N. iis, qui ſunt conſtantes in cuſtodi-
Apoc. 3. 13. endo bono, quod acceperunt dicens: a *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei; & foras non egredietur amplius; & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei; & nomen ciuitatis eius nouæ Ieruſalem, quæ deſcendit de cœlo, à Deo meo, & nomen meum nouum.*

I. Perpendēdū hic eſt primò, quod qui vin-

cunt

cunt hostes Christi, & sunt tanquã columnæ sustentãtes fidem & ipsam Ecclesiam vita & doctrina sua, habebũt in cœlo honorem tanquam tales colũnæ, omnibus eos laudãtibus ob sanctitatẽ & fortitudinẽ, quã habuerunt in terra: ideoq; facit illos Deus ibi b *colũnas tẽpli* sui cælestis, ad eius ornatum illas expoliẽdo & exornando multò melius quã *Salomon* exornauerit colũnas sui tẽpli, mille sc. cælaturis & ornamẽtis gratiarum & virtutũ. Erũtq; columnæ firmæ, & immutabiles, quia nunquã deserẽt locum sibi à Deo designatũ; nec vnquã è cœlo exibunt ad priorẽ statum, in quo fuerãt. Et hoc interest inter illos, & iustos, qui hic sunt columnę Ecclesię. hi enim eò quòd ex seipsis sint mutabiles, decidunt interdum ex statu suo; & propterea dixit ipse Christus Dominus: c *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Quod si vicerit, faciam te columnam in templo Dei mei, & foras non egredieris amplius.* O Redemptor dulcissime, columna vtriusque Ecclesiæ Militantis & Triumphantis, qui d *tuam domum ædificasti* in terra, *super septem columnas* magnæ firmitatis; da mihi ita firmiter & constanter tibi seruire, vt tandem columna fiam in tuo sancto templo. Amen.

b 3. *Reg.* 7. 15. *&c.*

c *Apoc.* 3. 11.

d *Prou.* 9. 1.

II.

DEINDE est perpendendũ, quod Christus D. N. ad has cœlestes columnas magis celebrandas & honorãdas, promiserit, e *scripturum se super* eas tria nomina, e *nomen* videlicet *Dei, & nomen ciuitatis nouæ Ierusalem, &*

e *Apoc.* 3 12

nomen

